DN. CONRADI CLINGII THEOLOGI ET ECCLESIASTAE QVONDAM ERFORDIENSIS, DE SECVRITATE CONSCIENTIAE

Catholicorum in rebus Fidei, & de periculo atq; errore Sectariorũ huius seculi, Libri Duo, in quorum priore traditur luculenta Antithesis seu Collatio præcipuorum inter Catholicos & Sectarios dissidij Religionis articulorum, in altero verò sanæ & amplectendæ Doctrinæ Consilia ac theses continentur.

ITEM

EIVSDEM AVTHORIS CONFVTATIO MENdaciorum à Luteranis aduersùs Librum Imperij seu INTERIM editorum, cum acri defensione confessionis Catholicæ Fidei.

CVM INDICIBVS MATERIARVM ET CAPItulorum, in principio cuiusque libri præmissis.



COLONIAE
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni,
Anno M. D. LXIII.

Cum Gratia & Priuilegio Ferdinandi Cæsaris August. in decennium.

CAPITVLORVM SEV ARGVMENTORVM IN CAPITVLA PRIMI LIBRI DE SECVRITATE Conſcientiæ, &c. Catalogus.

IN LIBRVM II.

D. CONRADI CLINGII DE SECVRITATE CONSCIENTIAE CATHOLICORVM IN REBVS FIDEI, *& de periculo Sectariorum, Liber primus.*

PROOEMIVM seu Caput I.

Salomon in libro Prouerbiorum Cap. 15. inquit: Secura mens quasi iuge cóuiuium: ex quo sequitur, quòd vbì est incertitudo rei vel causæ, illic non gaudium aut pacem mentis, sed timorem ac dubium parit, & inquietã mentem reddit: Et quidem hoc maximè graue & periculosum est in rebus fidei, ibì non habere securam ac certam mentem, certam fidem & opinionem, sed sequi incertitudinem, & amplecti rem dubiã, aut fortè aliàs confutatam & abiectam. Prætereà Apostolus 1. Cor. 9. dicit: Sic currite fratres, vt apprehendatis brauium, id est, effectum & fructum fidei ac Sacramentorum, vt sitis certi in fide vestra & vsu Sacramẽtorum, non sicutì qui in incertum currunt, vel vt qui aerem verberãt, quemadmodùm sunt hi, qui relicta vnione Ecclesiæ, & fide ac forma Sacramentorum extra Ecclesiam orãt, credunt, baptizantur, communicant, aut nouas cæremonias obseruãt, ieiunãt, opera faciunt secundùm Sectæ suæ præscriptum: Omnes hi, inquam, extra Ecclesiam currunt in incertũ, id est, nesciunt nec certi aut securi sunt, aut brauium (id est, fructum fidei, Sacramentorum, ac operũ suorum præmium) aliquod consecuturi sint néc ne, eô quòd talis ipsorum modus & vsus, contra formam ac cõsuetudinem est totius Ecclesiæ Christianæ. Deindè quòd etiam Prælati à Deo constituti, prohibent talem modum, formam ac vsum: vndè si qui cõtrarium faciunt, non securitas mentis, sed temeritas & contemptus est. Sicut enim viator volẽs peregrinari, ignarus tamen itineris, securiùs ac rectiùs cõmunem ac regiam viam incedit, quàm vias deuias: & vt tutiùs habitatur in ciuitate murata, quàm in villa non munita tempore belli: ità quoquè qui tempore Schismatis ac dissidij errare non vult, securiùs ambulat, si cum communi Christianitate (id est, Ecclesia vniuersali) permanserit, amplectens illius fidem, vsum ac formam Sacramẽtorum ac cæremoniarum. Hic securus est de brauio, id est, fructu fidei (qui est vita æterna) & Sacramẽtorum, nempe quòd in Baptismo Catholico sit ritè baptizatus, & quòd acceperit remissioné peccatorum, quòd in communione Catholica verum Christi corpus acceperit, quòd oratio sua, ieiunium, obedientia & opera bona, certissima habebunt præmia. Ibì est vera certitudo recipiendi brauij, eô quòd ipsa Ecclesia totius Christianitatis est columna & basis veritatis, 1. Tim. 3.

Si quęras, quomodò Christianitas vniuersalis, quæ dicitur Ecclesia, dicatur columna & firmamẽtum veritatis: Respondeo, eô quòd nulla Secta ab initio mundi potuit aduersùs eam præualere, nec totam Christianitaté labefactare suo errore. nam nec Arriani, nec Manichæi, nec Donatistæ, nec Vuiclefistę, nec Hussitę aut Zuingliani, & id genus sexcentæ Hæreses, præualere potuerunt. Semper enim Deus sibi reseruauit aliquas prouincias & regiones, quæ non assenserunt Sectarijs aut Hæreticis. Nam Deus hunc honorem soli suo tribuit Euangelio, vt per totum mũdum volaret. dicit enim discipulis Marci vlt. Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. & Dauid Psalm. 18. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Solum igitur Euangelium IESV Christi auditũ est voce & fama per vniuersum mundum, nulla aũt Secta potuit ità per totum mundum dilatari. Et quoniam Christi ordinatione nulla Secta poterit occupare totum orbẽ, sed semper maxima pars mundi conseruata fuit ab errore, & constanter perseuerauit in sibi tradita & accepta fide, do-

ctrina ac vſu Sacramentorum & Cæremoniarum: Ideò Apoſtolus vocat totã Chriſtianitatem ſiue Eccleſiam vniuerſalem, columnam & firmamẽtum veritatis, 1. Timoth. 3. eò quòd nunquàm in toto corruit, aut in errorem Hæreticum prolapſa fuerit: nam & Chriſtus dixit, illi non præualituras portas inferorum, Matth. 16. Ob id tempore Schiſmatum ac diſſidij audienda ac ſectanda eſt vniuerſalis Eccleſia, id eſt, maxima pars Chriſtianitatis. Ad hanc reſpicere oportet, non ad angularem aut nouiter natam Sectam, aut prouincias vel ciuitates aliquas, per Sectarios ſeductas, verbis ac doctrina Pſeudoprophetica ac falſaria: nam hoc prohibet Chriſtus Matthęi 7. Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimẽtis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. & prædixit tales futuros, vt eo meliùs eos cauere poſſemus, Matth. 24. Tunc ſi quis vobis dixerit, Eccè hîc eſt Chriſtus, ant illic: nolite credere. Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ità vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Quarè ipſam Eccleſiam & Apoſtolos ſuos & viros Apoſtolicos audire iubet, Luc. 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. Et certum eſt, quòd etiam adhuc maior pars tam Germaniæ, ac præſertim inferioris, quàm Franciæ, immò tota Italia, Hiſpania, Polonia, Auſtria & magna pars Græciæ, Angliæ, Scotiæ &c. non ſectaria vel Hæretica, ſed Catholica eſt & firmiter manet. Maior itaque pars Chriſtianitatis in Europa, fidem & vſum Eccleſiæ Catholicæ tenet, & circa opera rectè credit ac confitetur, nempe quòd opera noſtra non ſua virtute mereantur vitam æternã ſiue cælum, ſed Deum ex gratia & miſericordia donare nobis cælum pro pijs operibus: & quòd hanc gratiam nobis meruerit Chriſtus per ſuam paſſionem, & propter illum hoc fieri. Deindè maior pars Chriſtianitatis baptizat Latinè, aqua conſecrata & chriſmate, & vtitur ſeptem Sacramentis forma ac modo conſueto, maior pars Europæ cõmunicat ſub vna ſpecie, & celebrat Miſſam Latinã tanquàm ſacrificium, & alias Catholicas obſeruat Cæremonias. Securius igitur eſt, huic potiùs quàm Sectis ſubſcribere dãnatis & inter ſe pugnantibus. Scriptum eſt enim: Nè trãſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui, Prouerb. 22. & ſcindentẽ ſepem mordebit ſerpẽs. In ſumma, Eccl.10.
apud Eccleſiã reperitur concordia, veritas fidei, certus numerus & efficacia Sacramẽtorum, cum ſuis fructibus, volũtaria Deo placentia, atq; acceptatio noſtrarum orationum, ieiuniorum, cæremoniarum ac reliquorũ operum bonorum. Apud hanc dixit Chriſtus ſe manſurum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſeculi, Matthęi vlti. Huic aſſiſtit ſpiritus veritatis in æternum, Iohan. 14. Hæc nos certiſſimè credere debemus, ac nullatenùs dubitare: Nam ſic nos in Articulis fidei confitemur, Credo Eccleſiam Catholicam, id eſt, quòd illa ipſa ſit, in qua eſt verus Baptiſmus, vera Communio, vera Ordinatio, præmium operum: quodq; ſola habeat rectum ac ſanum intellectum verbi Dei: ideò meritò illi obedire & credere debemus: nam ad quid diceretur à me, Credo Eccleſiam Catholicam, ſi nõ quoquè obedirem illi, aut certus ac ſecurus eſſem, quòd in ea vigeat vera ac ſana religio, vera fides & efficacia ac forma Sacramentorum? Econtrà, apud ſectas omnia opera, fides, baptiſmus, communio, ordinatio, oratio, prædicatio, cæremonię & alia, nullius ſunt valoris aut efficaciæ apud Deum, & ſunt inter ſemetipſa pugnantia, incerta, ac plurimùm periculoſa: quin & infructuoſa eſſe dicit B. martyr Cyprianus: nam ille Sectarios ſacerdotes (id eſt, rottenpfaffen) aſſimilat ſimijs, inquiens: Simiæ cùm homines non ſint, homines tamen imitantur: ſic Nouatiani volunt ſibi authoritatem vendicare Eccleſiæ, nempe prædicare, celebrare, ordinare, baptizare &c. cùm tamen in Eccleſia nõ ſint: ob id infructuoſus eſt illorum Baptiſmus, prædicatio, celebratio, & alia opera ipſorum. Et idem in Tractatu de ſimplicitate Prælatorum inquit: Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus, adulteræ iungitur, & à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur, & brauio, id eſt, fructu fidei, cæremoniarum ac operum, priuatur. Nam Deus promiſit vitam æternam fidei Catholicæ, non Sectariæ: & remiſſionem peccatorum baptiſmo Catholico, incorporationem communioni Catholicæ: præmium operum, ſed in vnitate Eccleſiæ ſanctorũ. Quiſquis ergò ſe ab illa vnitate vniuerſalis Eccleſiæ & maiore parte Chriſtianitatis ſeparat, & ſectis tanquàm adulteræ iungitur, promiſſis Chriſti priuabitur. Dicit enim Saluator, ait Cyprianus, Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui Luc.11.
non colligit mecum, diſpergit: id eſt, qui vnionem ſoluit, aduerſus Chriſtum eſt,

qui

Iohā.10. qui venit nos omnes colligere in vnū ouile,& vult vt vnum simus inter nos. Quarè qui extra vnionem Ecclesię colligit,id est, baptizatur,prædicat, orat, cōmunicat,ordinatur,ieiunat,operatur: is non colligit præmia vitæ æternæ,sed dispergit, & nullum planè fructum capit aut meritum boni operis: sic enim inquit Paulus 1. Corinth. 13. Si habuero omnem fidem, ità vt montes transferam, charitatem autē non habuero,id est,vnionem, nihil sum &cęt. Idem Cyprianus inquit: Quòd Hæretici proprium modum interpretandi Scripturam ad suū placitum fungūt, & propriam modum baptizandi,celebrandi,communicandi, sibi præscribūt, hoc arguit,quòd sicut ipsi ab ecclesia sciſſi sunt,& non sunt de vnione,sed segregati: ità quoquè priuatas Scripturę interpretationes sibi vsurpant,& alio modo sacra faciunt:quod etiam eos prodit, & sunt signa quatenùs semetipsos segregârunt ab vniuersali Christi Ecclesia: sed infructuosa sunt omnia eorum: immò, vt idem inquit in Sermone de lapsis,quòd pro tam temeraria vsurpatione officiorum Ecclesiæ, ac iniusto Baptismo ac communione, adimplentur immundis spiritibus, multique ad insaniam ac furorem mentis rapiuntur,id quod nos quoquè hodiè videmus in Sectariorū prędicantibus,quantis clamoribus, quàm inquietè, immodestè ac furiosè sua apud populum defendant: nam inquietat eos spiritus malus Saul, 1. Reg. 16. non ad salutem eorum, sed æternam perniciem: nec tranquillo aut placato animo poterunt esse, nisi ad Ecclesiæ vnionem rediêrint. Quum itaque sinè fructu salutis æternę apud Sectas fiant omnia, quis adeò temerarius fuerit,& propriæ tam immemor salutis, vt illis velit coniungi, & eorum Sacramenta & administratiōem approbare? Quis compater fidelis sic vult fraudare infantem infructuoso Baptismo? Quis pater filium suum vult participare de infructuosa & non cōsecrata specie corporis Christi? Aut quis prudens homo petat absolutionem peccatorum ab inordinato sacerdote sectario? Cùm igitur ipsorum sacra, doctrina,oratio ac ceremonię nullius sint efficaciæ ac nullius valoris, studendum est ante omnia certitudini, ac cum Ecclesia permanendum,vt securi simus. Sed inquias: Verba ipsorum, vt eis credam, me mouent: adeò enim clamant & affirmant, sua omnia vera & pura esse. Respondeo, quid si maior numerus,& idem pręstantia ac sanctimonia dignior, reclamet, ac ipsorum omnia reprobet? nunquid paucorum temeritati atque inscitiæ, vniuersalis Ecclesiæ decreta, dogmata ac Cæremonias postpones, & corrupta quædam membra sanitati vniuersi corporis anteponese? etsi enim dicant, hîc est Christus: vetat Saluator & dicit, Nolite exire, id est, extra vnionem Ecclesiæ: sed illius fidem, Sacramenta ac doctrinam amplectimini. quàm quoquè periculosum sit,tranquillum Ecclesię vniuersalis portum deserere, & ad Sectarum & Hæreseon syrtes declinare, docent exempla ac Historiæ veteris Testamenti, vt Num. 14. quandò de sexcentis millibus solùm duo intrârunt terram promissiōis, eò quòd crediderunt nouis dogmatistis exploratoribus, ac dubij & incerti facti sunt de promissione Diuina. Sic contigit Nume. 16. adhæsoribus Dathan, Chore & Abiron, qui illegitimè Sacerdotium sibi vindicabant, quosq; Deus iussit vitari, & qui hoc non fecerūt, morte percussi sunt. Et 3. Reg. 12. Propheta manducans panem cum Schismaticis, in via per Leonem dilaceratur. Et Apostolus denunciat in nomine Domini nostri IESV Christi, vnumquenque se subtrahere ab omni fratre ambulante inordinatè 2. Thess. 3. & Iohan. 2. epistola iubet, nè illos salutemus, nec Aue dicamus, nè scilicet communicemus operibus ipsorum malis. Quia ergò Sectarij nihil faciunt, nec administrant iuxta Doctorum Ecclesiæ sententiam, sed omnia infructuosa sunt, nec te quisquā certificare potest, an veram acceperis Cōmunionem, veros ordines, veram absolutionem, verū baptisma à Sectarijs, quia ipsi tibi falsa persuadent, & aliquandò audis cōtraria à Catholicis: tu igitur si vis in conscientia securus esse, non ad Sectarios illos transfugas, sed ad magnam illam communitatem Ecclesiæ te associa, & ibì accipe Sacramenta, fidem, absolutionem: ibi ora, ieiuna, & da Eleemosynam, & certus eris, quòd omnia illa tibi sint salutaria & fructuosa. Nec claudicare licebit in vtranq; partem, sed simpliciter & per omnia certum tibi constare oportet, nempe quòd ea quæ in Ecclesia Catholica sunt & fiunt, vera, salutaria, ac fructuosa sint, non verò item extra Ecclesiam. Sic fecit Tobias, non curans vitulos aureos, neq; doctrinam sacerdotum Tob.1. illorum, sed perseuerauit in cultu templi Hierosolymitici. Ideò Helias 3. Reg. 18. vehemētèr correxit sic claudicantes vtrinquè. Et ij quoquè grauissimè peccant, qui

solicitant à fide Maiorum simplices, sicut
Nũ. 12. Maria soror Mosis lepra percutitur, quòd populum solicitauit ab obedientia fratris: & sic quoquè miserabili morte pereût in deserto exploratores, qui populum ad reditum in Aegyptum solicitabát, Num. 14. Vndè tales sunt venatores diaboli, venantes animas diabolo & Christo subducétes. Væ itaq; illis prædicantibus Sectarijs, qui ità populum solicitant ad sectariam Communionem, Baptismum, & alia: nam & pueri accusabunt parentes in nouissimo iudicio, quòd eos ad Sectarios duxerint, vt inquit Cyprian. Serm. 5. de lapsis. Quandò igitur apud Schismaticos oĩa sacra & opera & dogmata sint infructuosa, periculosa, & non ex veritate vel dilectione, sed ex inuidia & temeritate procedẽtia, à Catholicis hominibus antè omnia caueri debent. Rursus Cyprianus inquit: Qui extra Ecclesiam colligit, etiamsi obierit in confessione nominis Christi, tamẽ macula ista separationis, non diluetur etiam sanguine ipsius. Nã inexpiabilis culpa est discordia, nec passiõe Martyrij purgatur: nec martyr esse potest, qui in Ecclesia nõ est, 1. Iohã. 4. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Cum Deo igitur manere non possunt, qui in Ecclesia eius vnanimitatem nõ seruârint. Ardeant licèt flammis, & ignibus traditi vel obiecti bestijs, animas suas profundant: non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ. Occidi talis potest, coronari non potest. Sunt enim non verè Christiani, sed Antichristi. Si igitur nec martyriũ proderit extra Ecclesiam, quomodò baptismus, communio, prædicatio, absolutio, opera, oratio, ieiunia & id genus alia? Præterea accedit communis & legitimus processus Excommunicationis Ecclesiæ, Pontificis & Cæsaris, propter ipsorum contumaciam & perfidiam: quæ sententia non est absque magno animarum periculo. Quomodò igitur securè moriantur & bona conscientia, quicunque in tali inobedientia præsentem finiunt vitam?

DE FIDE ILLA GENERALI SEV CATHOLICA, PER TOTUM mundum diffusa, Cap. 2.

PRIMO, fides illa Catholica (id est, generalis) dicitur, quæ diffusa est per totum & vniuersum orbem, quam Christus iussit discipulos prædicare, dicens Marc. vlti. Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Et Matthæi vlti. Euntes, docete omnes gentes &c. Et Psalmo 18. In omnem terram exiuit sonus eorum &cæt. Particulæ igitur istæ, Omnis, & Vniuersum, exprimunt & docent, illam fidem esse veram, quæ est diffusa per totum orbem: qualis neque Iudæorum, neque Turcarum, neque Hæreticorum fides est: atque ideò DEO sic prouidente, nullius Hæretici, quãtumuìs omnibus linguis & artibus instructissimi, opinio vel fides per totum orbem diuulgata & radicata est. Cum illa igitur generali de Christo & eius Sacramentis fide constãter manere & adhærere, certificat & securam facit animam nostram de salute & remissione peccatorum impetranda, de oratione nostra exaudienda &cæt. In hac quoquè fuerunt & vsq; ad finem vitæ suæ permanserunt tot sanctissimi Patres, & tot millia charissimorum hominum à tot annorum centenarijs vsque in hunc diem: & in euidentẽ eius fidei confessionẽ ac testimonium, vitam, sanguinem, bona & omnia sua profuderunt. Hanc quoquè fidem Paulus innuit, cùm dicit Roman. 1. quòd fides vestra annuncietur in vniuerso mundo. Porrò hæc est illa Catholica fides, de qua idem Apostolus 1. Corinth. 15. inquit: Hoc est Euangelium meum, id est, prædicatio fidei, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, Id est, mors personæ Christi, est victima, precium, causa, satisfactio, reconciliatio pro totius mundi peccatis, estque fundamentum, propter quod liberamur à peccatis. Nulla igitur alia iustitia, meritum, opus, est precium, satisfactio aut victima, sed sola mors Christi: hic resurrexit propter nostram iustificationẽ, Roman. 4. vt nobis condonarentur peccata: nam remissis peccatis, homo iustus constituitur, id est, reputatur ex gratia à Deo propter Filium Christum. Est igitur hæc generalis illa & Catholica omnium fides, quicunque sunt veri Christiani, quòd propter Christũ consequantur hæc, nempe remissionem suorum peccatorum, vitam æternam, Spiritum sanctum, & omnia bona corporalia & spiritualia. Fundamentum igitur salutis nostræ est extra nos, id est, passio Christi, non institia vel meritum intra nos: quia Christus solus est agnus ille DEI, qui tollit peccata mundi, Iohan. 1.

Deindè

Deindè hęc fides Catholica credit, à solo Christo esse promeritã remissionem & salutem: & quomodò nunc nobis distribuatur, ad nos pueniat, & quomodò nos participemus ac fruamur, vt nostra fit ac fiat, passio ac meritum Christi, hoc eadem fides Catholica credit fieri per media, non propter merita, sed gratìs, attamẽ per media. Media autem sunt ad appræhendendam remissionem peccatorum, ipsa pœnitentia, id est, conuersio & cessatio à vitijs: alia mens, & intentio cordis, quàm qualis antè fuit: ideò cõtritio & dolor de admisso peccato, deindè fides in mediatorem, hæc appræhendunt iustificationem, id est, remissionem peccatorum. Sic dicit Marci 1. Pœnitemini, & credite Euangelio. Et Luc. vlt. Prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum: & Christus ipse sic incepit prædicationem suam, Matth. 4. Pœnitentiã agite, appropinquat enim regnũ cælorum. Pœnitentia igitur & fides appræhendunt gratìs, id est, non propter nostrã pœnitẽtiam, opus aut dignitatem, sed propter Christum remissionem peccatorum. Distributio igitur fit per hæc duo media, nempe pœnitentiam & fidem: & sinè his medijs nõ fit distributio: quanuìs dum distribuitur per media, adhuc gratìs distribuiť, id est, propter aliã causam, nempe Christum, & non nostra media. Promissio salutis, ad quam persona peccatoris in iustificatione est acceptata, vt retineatur, iterùm per media (id est, fidem & obseruantiam præceptorum) fit, sinè quibus nõ retinetur salus: nam accepta iustificatione per fidem, si nõ sequitur obedientia præceptorum, non retinetur. Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: & si non retinetur, non sequitur salus, sicut 1. Corinth. 6. Ephes. 5. Galat. 5. qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Ideò necessariò debent sequi bona opera, id est, obedientia legis, Rom. 3. Legem per fidem statuimus. Non exiguntur vt mereantur salutem, quam Christus semèl meruit, sed vt appræhendant distributionem, pmeritæ salutis: Media enim sunt fides & obedientia, quæ retinent & appræhendunt salutem, non autem merita. Porrò signanter hæc notanda sunt, media & merita: fides & opera sunt media, quæ apprẹhendũt gratìs Christi beneficium, id est, virtutẽ victimæ, non merentur remissionẽ & salutem, quæ sunt virtus victimæ; semper manet immobilis hæc regula Apostoli Roma. 6, Gratia vel donum Dei vita æterna, ppter Dominum nostrum Iesum Christum. Media igitur, quia solùm media sunt apprẹhensionis remissionis et salutis, & non merita effectiua promerẽtia remissionem & salutem, ideò non repugnant merito Christi: atque idcircò gratìs distributio contingit, vt fides sit certa Rom. 4. nam si ex sufficientia nostrorum meritorum appræhensio penderet, semper essemus incerti: ideò distributio fit gratìs, non tamen sinè medijs. Hoc quoquè singulariter notandum est, quomodò Scriptura ponit hæc media: & primò, quo ad appræhensionem remissionis peccatorum, ponitur primo loco pœnitentia, & deindè remissio peccatorum. Mar. 1. Pœnitemini, & credite Euangelio. Et Lucæ vlt. Prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Atque sic pœnitentia primo loco ponitur, & fides remissionis peccatorum secũdo loco. Nam sola fides sinè pœnitentia nõ appræhendit remissionem peccatorum: Deindè, quo ad appræhensionem salutis, Scriptura ponit media fidem & obedientiam præceptorum: & hic primo loco ponitur fides, & secundo loco obediẽtia præceptorum, eò quòd sola & nuda fides, si non habet sequentes bonos fructus, id est, obedientiam præceptorũ, non retinet appræhensam iustificationem, & promissam salutẽ non appræhendit: ideò Paulus non abolet legem, sed statuit, Roman. 3. Præstereà hoc quoquè notandum, quo loco Paulus ponit opera, vtrùm post fidem, an ante fidẽ: certumque est quòd post fidem: nam statuit per fidem legem: ergò pœnitentia & fides, ante obseruantiam legis, appræhenderunt iustificationem: quarè opera sequentia fidem, non possunt hoc mereri quod iam gratìs appræhendit fides. Non ergò docentur opera ante fidem, vt iustificent, sed post iustificationem & post fidem, vt retineant iustificationem: & iuxta regulam veterum Patrum, opera non respiciunt iustificationem, sed præmium in cælo &c. At inquis: si pœnitentia debet præcedere fidem, & pœnitentia est opus, ergò opera merentur fidem, vel sola & per se sinè fide salutem, & sic opera ponuntur primo loco. Responsio: Si pœnitentia & obedientia legis essent perfecta, & perfectè à nobis præstarentur, tunc iustificarẽt, & sic essent merita iustificationis & salutis: sed quoniam nemo perfectè obseruat legem & satìs pœnitet, ideò neque pœnitentia neque fides merita esse possunt, sed so-

lùm media, per quæ gratìs distribuitur remissio & salus: & hoc modo sunt necessaria, quòd sinè illis non distribuitur neque retinetur promerita salus per Christum, non vt mereantur, &cæt. Est enim vnum meritum CHRISTI. Attamen media illa, id est, dolor & contritio de admisso peccato, obseruantia præceptorum, oratio, ieiunium, Eleemosyna &cæt. licèt non merentur salutem, attamen frustrà non fiunt: Habent enim sua præmia promissa in Scriptura Deuterono. 28. Leuitic. 26. Exod. 20. Etiam in futura vita secundùm gradus operum erit & præmiorum gradus. 1. Corinth. 15. Differt stella à stella in claritate & magnitudine. Vult enim DEVS coronare sua dona in nobis, & sua dona vult esse nostra merita, scilicet appræhensionis, non simpliciter vt mereantur hæc præmia: alioquin Christus gratìs venisset & mortuus fuisset, Galat. 2. Coronantur igitur varijs præmijs nostra opera bona, & tandèm omnia, quæ ex fide ad laudem DEI fecimus, compensantur gloria æterna ex gratia imputatiuè, id est, propter CHRISTVM, & non propter ipsorum operum dignitatem, id est, vita æterna omnia recompensat. Hæc est fides nostra Catholica, & quicquid huic repugnat, non acceptamus: nempe quòd DEVS solam fidem exigat, & non respiciat opera nostra bona, & nullum esse meritum, &cæt. Hoc enim Sectarij docent. Porrò de Sacramentis hæc est fides nostra Catholica, quòd sunt signa gratiæ DEI, aut vasa gratię, id est, ipsa gratia promerita effusionis sanguinis CHRISTI per fidem: sub illis signis dispensatur à Deo ex misericordia: & hæc est voluntas Dei, vt sic fides in vsu Sacramentorum appræhendat varia dona & gratiam Christi, quatenùs conscientia sit certa de appræhensione. Sunt autem plura dona, quæ Christus nobis meruit suo sanguine: primò remissionem peccatorum, & hanc vult distribuere per pœnitentiam: fidem in Baptismo. Marci vltim. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Meruit quoquè nobis Spiritumsanctum, qui nobis cum fructibus suis assistat, Galat. 5. id est, in fide confirmet: ideò datur Spiritussanctus in robur in Confirmatione per impositionem manuum, Actorum 8. deindè vt nos doceat, & testimonium perhibeat de CHRISTO. Ideò datur in Sacramento Ordinis, vt reddat testimonium spiritui nostro, quoniam filij DEI sumus, ad Romanos octauo. Datur igitur ad doctrinam in impositione manuum sacerdotij, vt ad Timoth. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij, 1. Timoth 4. Meruit quoquè CHRISTVS sui effusione sanguinis à Patre, quòd lapsis redeuntibus per veram contritionē & pœnitentiam, velit ignoscere & recipere in gratiam: ideò donatur Spiritussanctus, qui efficit cor pœnitens, & hoc quandò confitemur peccata nostra, & cessamus à vitijs. Item meruit nobis CHRISTVS, vt postquàm amiserimus communionē bonorum CHRISTI & eius Ecclesiæ, redeundo per pœnitentiam, & communicando Eucharistiam, iterùm intramus in illam CHRISTI & Ecclesiæ communionem. Iohannis 6. Qui manducat meam carnem & bibit meam sanguinem, in me manet, & ego in illo. & 1. Corinth. 10. Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Præterea ex CHRISTI merito est, quòd coniugium quod in fide Christiana inchoatum est, vel quoniam DEVS sic ordinauit, quòd hic status sit benedictus, sinè peccato, & quòd ei omnia necessaria velit prouidere. Ideò dicitur ad Hebræos decimotertio, Honorabile connubium in omnibus & torus immaculatus. Porrò CHRISTVS meruit sua passione, vt homo moriens nè desperet, nè sathan ei præualeat in extremis propter admissa peccata omnium membrorum, quòd per orationem fidei & vnctionem certificatur de sanitate spirituali animæ & corporis. Iacob. 5. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei saluabit infirmū, & alleuiabit eum Dominus &c. Et sic oīa Sacramenta non ex se, sed ex virtute sanguinis CHRISTI habent efficaciam. Sacramenta enim vt sunt signa visibilia, id est, aqua, verbum, oleum, hostia Eucharistiæ, opera pœnitentiæ, impositio manuum &cæt. non sanctificant, nec merentur remissionem peccatorum & salutem, sed sola virtus passionis CHRISTI omnia efficit, & hæc virtus solùm hauritur ex Sacramentis tanquàm vasis gratiæ: ibi conscientia sola certificatur de vera appræhensione efficaciæ sanguinis Christi, iuxta promissionem Christi: ideò dicuntur signa

gna gratiæ, ſigna Diuinæ voluntatis, quòd vtentibus illis per fidem certò adeſſe velit, & diſtribuere beneficia Chriſti. Nec Sacramenta valent ſinè fide, neque etiam ordinata lege Deus vult diſtribuere gratiam per ſolam fidem ſinè Sacramentis. Vtrunque enim commemorat ſemper, vt fidem & aquam Baptiſmi, fidem & pœnitentiam, fidem & Euchariſtiam, fidem & Ordinem, fidem & Vnctionem &cæt. hęc ipſi coniuncta placent: non ergò tribuitur Sacramentis aut vſui Sacramentorum remiſſio & ſalus, ſed morti & vulneribus IESV Chriſti: exindè fluit virtus Sacramentorum. Sunt enim hîc tria: promiſſio verbi, deindè fides verbi, tertiò vſus Sacramenti, in quo diſtribuitur ipſa promiſſa efficacia: & ibì conſcientia conquieſcit: hæc eſt fides Catholica, quicquid huic aduerſatur, reijcimus. Porrò de cæremonijs hæc eſt fides Catholica, quòd illa non merentur remiſſionem peccatorum & vitam æternam nobis, ſed hoc ſolum reſeruatur vnico Chriſto, de quo dicitur 1. Iohan. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Ipſe ſolus eſt victima, Eſaiæ 53. & vnicum opus propitiatorium fecit. Ideò nullæ Cæremoniæ ſunt inſtitutæ ad iuſtificationem, ſed vt omnia fiant ordine in Eccleſia, 1. Corinth. 14. Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis. Deindè, vt ſint pędagogię ſimplicium, donec creuerint in virum perfectum, aut quòd prębeant maieſtatem Diuino cultui. Quarum quoquè vnitas plurimùm códucit ad vniformitatem fidei, ſicut difformitas etiam lacerat vnitatem. Ideò ſunt ex obedientia Patrum & Eccleſiæ obſeruandæ. Quicquid ergò huic doctrinæ de Cæremonijs repugnat, non recipimus, vt ſi quis putat Cæremonias eſſe virtutem, aut ſaluare credentes, &cęt. vt eſt varia ſuperſtitio multorum circa hęc externa Cæremonialia & Sacramentalia, vndè Hæretici anſam quærunt perturbandi Eccleſiam. Debemus verò obedientiam Eccleſiæ in ſuis præceptis & ordinationibus: & hæc obedientia licèt non meretur remiſſionem & ſalutem, tamen contemptus obedientię fit peccatum: & hic contemptus cedit etiam in contemptum Dei, qui præcepit obedire Pręlatis & prępoſitis Eccleſiæ ſuæ. Hebre. 13. Obedite præpoſitis veſtris & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri &c. Prętereà fides Catholica de ſuffragijs mortuorum & inuocatione Sanctorum, hæc eſt, quòd nó ſaluant nos Sancti, nec remittunt peccata: hęc enim ſolius Dei ſunt propter Chriſtum. Neque nos noſtris ſuffragijs liberamus animas mortuorum, id eſt, vel cum Miſsis vel vigilijs noſtris, ſed Sancti ſolùm nobiſcum hoc idem, quod nos oramus, ſunt cooperatores, eô quòd inuicèm ſumus membra, & vnum corpus myſticum, quod non diſſoluitur per mortem naturalem. Chriſtus verò alio modo orat, id eſt, ſanguine & iure cum poteſtate, & dat vitam ęternam & remiſſionem, Iohannis 10. Sic non orant pro nobis Sancti, ſed deſiderio benè cupiunt noſtris cómembris, & imprecantur hoc idem beneficium Chriſti quod ipſi iam poſſidét, & nos oramus cum noſtris ſuffragijs, vt Deus Pater propter mortem Filij ſui dignetur animas illorú liberare à pœnis, ſi in illis ſunt. Non tribuimus noſtris Vigilijs aut Miſsis efficaciam liberationis, &cæt. Hæc quia nullibì prohibet Scriptura, & Chriſto non derogant, ideò tenet ſic fides Catholica, & reijcit eos, qui negant interceſſionem Sanctorum, & orationem pro defunctis: & hoc ex inuidia potiùs quàm ex veritate, ſicut teſtatur Auguſtinus in lib. de Hæreſibus ad Quoduultdeum &c. Deindè fides Catholica de Monachatu, indulgétijs, peregrinationibus, fraternitatibus eſt hæc, quòd per illa nó mereamur remiſſionem peccatorum & ſalutem: hęc enim per fidem in Baptiſmo ſunt appræhenſa, ſed in finem retentionis congruentiori modo, ſcilicet iuſtificationis, valent: nam Monaſtica vita vel regula, non eſt mors Chriſti vel redemptio: & indulgentiæ olim non quo ad æternas pœnas, quæ ſola Chriſti paſſione tolluntur, ſed temporarias iuxta rigorem Canonum tollebant: ſic peregrinationes non tollebant peccatum, ſed exercitium corporale erant aut media, quatenùs DEVS ex miſericordia & precibus S. Iacobi &c. concederet ex theſauro vulnerum Chriſti remiſſioné pœnę & culpæ: hęc quoquè fides Catholica reijcit omné abuſum, peregrinationem, & auaritiam &cæt. Summa autem fidei Catholicæ eſt, quòd ſola CHRISTI mors eſt victima, precium, cauſa, quòd eſt & exhibetur à DEO Patre remiſſio peccatorum: donatur Spirituſſanctus, & omnia alia dona ſpiritualia & corporalia: promittitur & exhibetur ſalus æterna ex gratia & miſericordia: hæc in nulla alia re, aut per nullam aliam iuſtitiam, cauſam, meritum aut

precium acquiri possunt, quàm per fidem ad hoc vnicum opus ꝓpitiatorium Christi. Cætera omnia quæ sunt vel extra vel in homine, siue sit fides per se, siue obedientia legis, Sacraméta, Cæremoniæ, Sacramentalia, Vota religionum, Missæ, indulgentiæ, ieiunium, oratio, eleemosynæ, castigatio proprij corporis, peregrinatiões, festa, campanæ &c. hæc omnia specialem habent finem, & nó eò pertingunt, vt cum morte aut merito Christi conferri valeãt, quæ mors sola tam efficax est, vt iustificet & saluet, non indiget aliquo adiutorio. Ideò omnia nostra opera & exercitia pietatis in eum finem ordinantur, vt vel appræhédant, vel retineant gratiam promeritam per Christum, non vt ipsam merean tur, quia solus vnus est redemptor Christus &c. Hoc porrò signantèr est notandum, quandò dicitur, fides appræhendit iustificationem, & charitas retinet iustificationem, nulli hîc neque fidei, neque dilectioni attribuitur iustificatio effectiua, aut quasi causæ remissionis peccatorum et salutis: hæc enim causa est sola mors Christi, & Deus qui author est iustificationis: propter illam causam, hoc est, propter Filij sui passionem & mortem nos per fidem iustificat, id est, remittit peccata, donat Spiritúsanctum & vitam æternam: & non sunt causa, propter quam Deus nos iustificet, opera nostra bona, iustitia, virtutes, exercitia, &c. sed illa causa extra nos est. Ideò fides dicitur iustificare, id est, quòd respicit iñ Dei misericordiam, & cupit sibi exhiberi Christi meritú, & accipit certò, & sic propter appræhensionem iustificationis dicitur largè iustificare fides, non quidem propter suam dignitatem aut virtutem. Sic quoquè nostra dilectio, quæ tamen imperfecta est in nobis, sicut & cæteri fructus Spiritussancti, Galat. 5. non iustificat, neque causa est effectiua, propter quã Deus nos iustificaret, sed mors Christi est causa efficiens, vt dictum est: sed quia retinet, & DEO obedit ac legi suæ, gratias agit & diligit propter exhibitum beneficium &c. hæc enim Spiritussanctus operatur in iustificatis, quia dilectio est fructus eius, Galat. 5. Ob id dilectio non iustificat, attamen propter retentionem iustificatiõis dicitur largè iustificare cum cæteris fructibus Spiritussancti & bonis operibus: Atque sic gloria remissionis & salutis nostræ transfertur in solam Christi passionem & mortem: ipse enim solus est propitiatio pro peccatis nostris, 1. Iohan. 2. Hoc quoquè inter alia notandum est, nó idem esse, mereri salutem operibus nostris, id est, fide, dilectione, ieiunio, oratione, &c. ac distribui salutem: solus enim Christus semèl meruit, sed promeritam illam distribuit credentibus per fidem: & sic distributa iustificatio retinetur per dilectionem: Sed quomodò distribueretur, si iam anteà nó esset promerita? De distributione Patres loquũtur, quòd Deus credentibus & obedientibus donat vitam æternam: non quòd opera nostra mereantur. Sic pro operibus ex gratia distribuit vitam secundùm suam ꝓmissionem, non quidẽ ideò, quòd opera dignitate sua hoc mereantur, sed quia Deus coronat dona sua in nobis. Quarè quicquid docetur vel de fide vel Sacramentis, cæremonijs, operibus &c. quod nó consentit huic Catholicæ doctrinæ, Sectarium est: nam magna est differentia inter Christianum Sectarium, & Christianum Catholicum, de quo suo deincèps loco agemus.

QVOD DICAMVS VNITATEM COLENDAM ESSE Ecclesiæ Catholicæ, Cap. 3.

ARticulus fidei nostræ est, Credo vnam sanctam & Catholicã Ecclesiã, hoc est, credere quòd sola vna sit Ecclesia, & ea sit, quæ dicitur & est Catholica. Ideò quotiès Scriptura meminit Ecclesiæ, semper cõiungit illa duo verba, Vnum, & Catholicum, *ein & gemeyn*. Vndè Genes. 22. In semine tuo, quasi in vno: non dicit, In seminibus, quasi in multis: deindè dicitur, Benedicentur omnes gentes: eccè tibi hîc ecclesiam Catholicã, omnes gentes. Et Marci 16. Prædicate Euangelium, non Euangelia, quasi essent multa, cùm solùm vnum sit Euangelium, quod Euangelistæ, Apostoli, Prophetæ de Christo scribunt: porrò dicitur, In mundum vniuersum: eccè iterùm notam Ecclesiæ Catholicæ, vt testatur Augustinus Epistol. 50. Sic quoquè Christus hæc duo cõiungit, Vnum ouile, Iohan. 10. Ouile, id est, Ecclesia, vnum est, id est, vna est. Sic & Apostolus semper connectit cùm dicit Ephes. 4. Vnum corpus, vnus spiritus, vna spes, vnus Dominꝰ, vna fides, vnum baptisma & cæt. non dicit simpliciter, corpus: sed, vnum corpus: non simpliciter, spiritus: sed, vnus spiritus: & sic consequẽter vbiq; connectit vnum, ad signi-

ſignificandum, quia ſolum eſt vnum cor-
pus, id eſt, Eccleſia: non ergò poſſunt eſſe
duæ vel plures Eccleſiæ: deindè vnus Spi-
ritusſanctus, quia non ſunt plures quàm
vnus, vel D. Athanaſio teſte, ſpiritus qui
Eccleſiam illam vnam ſeu corpus vnum il-
luminat & docet. Poſteà dicit, vna ſpes, id
eſt, Euangelium quo vocamur ad ſpem
vnam conſequendæ ſalutis æternæ, quæ
ſcriptura vocatur ſancta, vt Rom. 1. in ſcri-
pturis ſanctis, quia docet nos fidem Chri-
ſti quæ ſanctificat nos. Rō. 10. fides ex au-
ditu. & quomodò ſalutem conſequamur
oſtendit. non ſic philoſophorum ſcripta,
Platonis, Ariſtotelis, &c. Eſt igitur ſolùm
vnum Euangeliũ Catholicũ: deindè dicit,
Vnus Dominus, i. Chriſtus. 1. Cor. 1. Nun-
quid Chriſtus diuiſus eſt? & hic ſolus eſt
efficax in eccleſia hac vna Catholica: extra
illam vnioné nemo habet Chriſtũ, Luc. 11.
Qui nó eſt mecũ, i. in ouili vno, Ioã. 10. &
Ioh. 15. in vite palmes, vel ouis in meo pa-
ſtoratu, hic contra me eſt. Nam Chriſtus
ſemper vult vnitatem, Ioh. 17. Pater, rogo
vt vnũ ſint, ſicut & nos vnum ſumus. Schi-
ſmatici aũt ſcindunt vnitatem, ſed pericu-
lum & pœnam non effugient, teſtante ſcri-
Eccl. 10. ptura, ſcindenté ſepem mordebit ſerpens.
Porrò dicit, eſt vna fides, i. Catholica in
Chriſtum. Ioan. 14. Nemo venit ad patrem
niſi per me. Ideò fides Iudęorum & Gen-
tilium atq; hæreticorum non ſaluat. tam-
etſi enim hęreticorum fides Chriſtum ore
confiteatur, tamen Chriſtum facto negãt,
vt Paulus ad Tit. 1. nam Chriſtus vult vt
fides operetur per fidem, Gala. 5. ergò vbi
charitas nó eſt, neq; cõmunio Eccleſię: ibi
fides vera nó eſt, nec ſaluat, ꝓpter odiũ &
peccatũ ſchiſmatis. Vide Auguſtin. de fide
ad Pet. ca. 38. Prætereà dicit Apoſtolus, eſt
vnũ baptiſma, & hoc intra vnitaté Eccle-
ſiæ: ideò hæreticorũ Baptiſma ꝓpter labé
ſchiſmatis inefficax eſt ad remiſſioné pec-
catorũ, niſi ſic baptizati rediêrint ad vni-
taté Eccleſiæ. Deindè dicit, vnus Deus, &
queãdmodùm Deu. 6. habetur, quòd De-
us vnus ſit, ità ipſe idem Deus pacis eſt, &
non confuſionis: qui ergò pacem cum Ec-
cleſia non ſeruant, nec verum Deum ha-
bent, nec filij Dei vocabuntur: Vnus enim
Deus in vnitate vnam gubernat Eccleſi-
am. Quarè colimus, credimus & venera-
mur vnam illam Eccleſiam, quæ in nullos
cœtus diuiſa eſt, in qua ſunt efficacia, fides,
Euangelium, Sacramenta, Oratio, Prædi-
catio, extra verò illam ſunt inutilia & ina-
nia. Eſt igitur tantùm vna Eccleſia Catho-
lica, eaq; vera, in qua vnitate omnia ſunt ef-
ficacia & ſalutaria: ideò rogat Apoſtolus
propter nomen Domini noſtri Ieſu Chri- 1. Cor. 1.
ſti, nè ſint inter nos ſchiſmata, i. diſſidia
quæ vnitaté ſcindunt, nè ſ. hæc pars dicat
ſe habere verius Euangelium, verioré Ec-
cleſiam, ritum, cæremonias, ſacramenta: il-
la verò neget, & viciſsim glorietur ſe ha-
bere meliorem fidem & religionem, & ſu-
perbè præſumat contra aliam parté, deſpi-
ciat, criminetur & perſequatur. Ideò Apo-
ſtolus oportuniſſimè addit, inquiens: Sitis
ſoliciti ſeruare hanc vnitatem in vinculo
pacis, Ephe. 4. Sic rogat patré Domini no-
ſtri Ieſu Chriſti, vt donet nobis idipſum
ſapere, & vna mente & ore honorare De-
um & patré cęleſté. Quare penès hanc vni-
tatem viſibiliter agnoſcitur vera Eccleſia
Chriſti, quę dicitur & eſt Catholica, i. vni-
uerſalis per totum orbem diffuſa: Hæreti-
corum verò ſectæ non ſunt vniuerſales,
neq; ſunt vnum inter ſe &c. At inquies: ec-
cleſia eſt congregatio omniũ fidelium in
Chriſto, ſed ſchiſmatici etiam credunt in
Chriſtum, ergò & ipſi conſtituũt vnã cum
Catholicis Eccleſiam, & in vtraq; parte eſt
Chriſtus efficax, &c. non ergò ſoli Catho-
lici ſunt Eccleſia. Reſpond. Hoc primùm
notandum eſt, quòd Eccleſia Catholica
continet bonos & malos, ſicut in vno cor-
pore ſiue ventre Rebeccæ erant Iacob &
Eſau, qui ſe collidebant in vtero Gen. 25.
In domo Abrahę erant Iſaac & filius ancil
læ Iſmaél, qui hęredé perſequebatur Gen.
21. & Mat. 13. legitur zizania cũ tritico, ſa-
gena bonorũ & malorũ piſcium: itẽ Matt.
25. Virgines fatuæ & prudentes. Sic in vna
eccleſia ſunt boni & mali, in vna arca Noê Gen. 7.
mũda & immũda animalia, in vno corpo-
re ſana mẽbra & vlceroſa. Sed hæc omnia
tolerantur in eccleſia, quia non per falſam
fidé, ſed malã vitã reputantur mali eſſe, ad-
ulteri, auari, ſuperbi &c. fidé tamé habent
verã in vnitate eccleſiæ, manẽtes intra ar-
cã: quicũq; verò extra eã ſunt, vt hęretici,
ſchiſmatici, Iudæi & pagani, diluuio pere-
unt & damnãtur. Quanquàm verò parùm
ꝓderit eſſe Catholicũ fide, & moribus pa-
ganũ, iuxta illud Pauli 1. Cor. 6. & Gal. 5. &
Eph. 5. qui faciũt opera carnis, & non pœ-
nitent, licèt ſint membra & in fide Catho-
lici, haud tamen ilicò ſaluantur, at tamen
verò illi non ſunt abciſi à Catholica Ec-
cleſia: queãdmodùm enim ſi vlcus aut pu-
tredo eſt in brachio vel alio membro cor-
poris, nó ideò membrũ illud auulſum vel
abciſum dicit̃ à corpore, etſi ſanũ non ſit,

cùm verò membrum illud abcisum fuerit à corpore, tũ deniquè emarcescet & emorietur. Sic quoquè hæretici nõ quia membra vlcerosa sunt, id est, ob malam vitam, sed quia semetipsos tanquàm membra à toto corpore auulserunt per falsam fidem de dogmate veritatis & Sacramentis, atq; ideò non sunt ampliùs membra corporis mystici, id est, Ecclesię Christi, & consequenter cũ capite Christo ac cæteris membris non possidebunt regnum cælorum. Sicut ergò abcisum brachium aut pes aut manus, non funguntur ampliùs suo officio cum cæteris membris in corpore adhuc existentibus, atq; sic non constituunt nec faciunt vnum corpus integrũ, ità quoquè Hæretici per propriam præsumptionem & falsam doctrinam abcisi, alienati & obstinati non cõstituunt vnum corpus mysticum cum Catholicis, & sic non sunt membra vnius corporis Christi donec redierint. Prætereà, sicut remota causa vlceris membrum sanum redditur, & corpus ipsum rectificatur, sed si mẽbrum abcisum fuerit, nunquàm aut ægerrimè corpori restituitur aut viuificatur: ità etiam hæresiarchę perrarò reuertuntur ad vnionem corporis mystici, quin obstinati permanent in errore. Sic & Iudas non fuit reuersus Matth. 27. nec Lucifer Esai. 14. Diuersa igitur ratio est inter membrum putidum, id est, malum hominem: & membrum auulsum, id est, hæreticum aut schismaticum. Porrò inquies: Quid ergò est quod discernit & differentiam facit inter Christianum catholicum & sectariũ, cùm tamen vterq; confiteatur eosdem articulos fidei de Christo, vterq; doceat Euangelium, baptizet, prædicet, cãtet, oret &c. an hæc non sufficiũt? Respond. Duo sunt quæ faciunt hæreticum: odium erga Ecclesiam, & priuata interpretatio. Nam schismaticus omnia quæ facit, docet, interpretatur, allegat, ex odio Ecclesiæ facit, in cõtemptum facit, & ad separationem & nouam aliquam electionem facit. Vndè & hæresis dicitur electio: Et quia omnes sermones dirigunt in catholicos quos Papistas vocant, & omnia noua & propria fingunt: hoc odium erga proximum & confratres suos, facit vt omnia illorum sacra, & fides & prædicatio Euangelij, sint inutilia,
1.Co.13. inania & hæretica. Inquit enim Paulus: Si habuero omnem fidem, & charitatem erga proximum non habuero, nihil
Mat 5. sum &c. & Christus iussit primò reconciliari fratri, alioquì munus acceptum non futurum. Sic Oseę 6. de sacrificio, cui prefertur misericordia &c. Ille ergò contemptus & odium, gladius est, qui amputat & abscindit membrum, id est, hæreticum à corpore Christi mystico: dicit enim Ioã. 1. Epist. cap. 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. quasi dicat, odium erga confratrẽ, est homicidium. Porrò Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 17. ait, Non negamus hæc in schismaticis quod à Deo & Ecclesia habent, nempe Baptismum & Eucharistiam &c. Sed hoc corrigimus quòd non habent, & admonemus vt habeant, quatenùs illa quæ habent, illis efficacia sint. Sed quæ igitur habent? nempe Baptismum & Eucharistiam: quæ verò non habent? nempe fraternam charitatem & vnitatem. Ideò admonemus vt resipiscant à secta, & redeant ad vnitatem, & tunc vtilia erunt illis omnia, quæ aliâs propter labem schismatis inutilia erant. Et rursus obijcitur lib. 1. cap. 12. quomodò cõstabit, quòd ego accipio & communico Sacramentis quę tollunt peccata, vt Acto. 2. & dicit mihi, quia erit hoc inutile & infructuosum? Respondet, Docetur in parabola Mat. 18. quomodò seruus accepit veniam debiti sui à Domino &cæt. Sed postquàm noluit commisereri conseruo suo, tunc redierũt ilicò omnia eius peccata. Sic quicquid salutaris boni adfert Sacramentum, id in puncto iterùm tollit peccatum odij hęretici: & quandò oras Dominicam Orationem, verè & rectè oras: attamen eodem momento odium fraternum tollit quicquid boni attulerat oratio, & sic permanebit inefficax donec odium cessauerit. Sic sacramenta sunt efficacia, accepta in schismate, sed si ad vnitatẽ redierint. At dices: Quid est Ecclesia? an fides? an sacramẽta? an cæremoniæ? orationes? opera? non, quia hæc omnia possunt habere schismatici, qui tamen non sunt Ecclesia. Quid ergò est Ecclesia? Respond. Vnum vel vnitas. Augustinus super Luc. ca. 10. inquit: Da vnũ, & populus Dei est, id est Ecclesia: & quoniam schismatici non seruant huiusmodi cum populo Dei vnitatem, nec sunt in ea, sed se absciderunt, dicuntur esse extra Ecclesiam, id est, abscissi, alieni & excommunicati à tali vnitate. Est igitur vnum siue vnitas Ecclesia: & quicunque in illa vnitate Catholica non est, membrum non est Corporis Christi. Hoc est illud vnum, id est, charitas, sinè qua om̃ia alia dona, tametsi insunt, non tamen prosunt ad salutẽ.
Quid enim Simoni mago baptismus profuit? Acto. 8.

fuit? quid Caiphæ donum prophetiæ, licèt vera dixerit? Ioann. 11. quid fides dæmonibus Christum filium Dei confitentibus? Marc. 1. Quid Iudę suus Apostolatus? Sic nihil planè sunt omnia, si charitatem non habuerimus, 1. Cor. 13. In hac vnitate Ecclesiæ omnia Sacramenta in suo genere valent, & sunt salutaria: extra verò illam, nequaquàm prosunt ad salutem, quia vnitas non adest, id est, charitas. Vndè rectè Augustinus dicit lib. 1. cont. Donatist. cap. 9. Vide quàm multa, & quàm magna nihil prosunt, si vnum quidem defuerit, & videant quid ipsum vnum sit. Quarè non fides, sed fidei vnitas: non Sacramentum, sed vnitas Sacramenti: non Euangelium, sed vnitas intellectus & consensus doctrinæ Euangelicæ: non Eucharistia, sed vnitas sumptionis &cæ. facit Catholicam Ecclesiam. Augustinus Epistola 164. ait: Non quærimus vbi sit baptismus, sed vbi prosit: nos baptismum Christi vbiq; veneramur, sed schisma detestamur. Et Moses inquit Numeror. 16. Nè respicias sacrificia ipsorum, scilicet propter schisma.

VBI DICAMVS ECCLESIAM ESSE. Cap. 4.

CERTAMEN ab initio fuit inter Catholicos & schismaticos, in qua parte sit Ecclesia. Augustinus igitur probat Ecclesiam ibi esse, vbi est caput & corpus coniunctū, id est, Christus, qui est caput & corpus, id est, Ecclesia. Sic quoq; inquit scriptura Genes. 22. In semine tuo, id est, Christo, intellige caput. Deindè, benedicentur omnes gentes, intellige corpus capitis mystici: cùm autem caput sit vniuersale super totam terram, consequenter & corpus, id est, Ecclesia extensa est super totam terram. Deindè oportet, vt vitis & palmites sint coniuncti, Ioā. 15. alioqui nullus profert fructus. Christus autē vitis est, & nos palmites sumus, cum ipso fructificantes, si nō ab ipsa vite abscissi fuerimus. Augustinus lib. 2. cont. literas Petiliā. ca. 83. & 73. Vos schismatici dicitis nos Catholicos lupos, vos esse oues: sed è diuerso nos Catholici vos dicim⁹ esse lupos, nos verò esse Ecclesiam & Christi oues, sic probamus: Christus dicit Ioh. 10. Oues meæ vocē meam audiunt, ergò qui audiunt, sunt oues & Ecclesia: at cùm vos non auditis, ergò neq; ecclesia neq; oues estis, quia Christus dicit ecclesiam suam per totum orbē terrę diffusam, Luc. 24. & iussit Apostolos cōstituere & colligere ecclesiam per euangeliū in vniuerso mūdo: sequitur quòd vos Ecclesia non sitis, quia angulū quæritis, specialem sectā inchoatis, dissentientes inter vos & cum tota ecclesia Catholica. Christus collegit vnū ouile ex Iudęis & Gentibus: at vos hoc vnū ouile sciuditis ac dissipatis in sectas, & ex vna ecclesia facitis allas sectarias. Veste ouina vos tanquàm veraces ostenditis, sed lupū vestri dentes: vestris maledictis ostēditis, quòd non oues, sed lupi dissipatores estis, & contra Christum facitis, qui inquit Luc. 11. Qui nō colligit mecum, nempe in vnitate, dispergit: & qui non est mecū, i. in vnitate, cōtra me est. Ibi igitur ecclesia est, vbi Christus est. at Christus non est, vbi charitas & vnitas non est, sicut apud sectas. 1. Ioann. 4. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: & qui iubet credere in filium, iubet etiam diligere proximum, 1. Ioann. 3. Augustinus Epistola 170: Omnem hominem scire necessarium est, super terram vnam saltem esse Ecclesiam catholicam, sicut confitemur in symbolo: & qui hoc non credit, errat in fide & articulo vno fidei: deindè quòd hæc eadem Ecclesia sit in omnes fines terræ diffusa, iuxta Psal. 18. In omnem terram &c. Si porrò quæras, vbi tandèm sit vera Ecclesia? dico quòd ibi sit, vbi hæc tria in doctrina fidei simul deprænhendis, nempè antiquitatem doctrinæ, consensionem, & vniuersalitatem. Postremò, licèt in Ecclesia hac eadem sint multiuariæ hæreses & sectæ, nihil impedit, quò minùs sit ipsa vera ecclesia: non enim Zizania contaminat triticum, si non consenserit triticum, id est, si non Catholici consenserint sectis. Nam licèt Angelus de cælo diceret, ait Augustinus epist. 165. Suscipe partes Donati, anathema illum dicerem.

Ioh. 10.

DE FRIVOLA EXCVSATIONE RELINQVENTIVM ECCLEsiam Catholicam, Cap. 5.

NEMO apud iudicem Christum in iudicio extremo poterit sufficienti ratione excusare recessum suum ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ, aut sibi ipsi persuadere, quòd hoc ei non sit damnabile futurum. Non enim mala sut scan-

scandalosa vita Catholicorum, quęquam à facta secessione ab Ecclesia, excusabit,
Mat. 18. quia ipsemet Christus ait oportere esse scandala, sed væ per quos. Deindè & ipsi desertores sunt peccatores, & dicunt: Di-
Mat. 6. mitte nobis debita nostra: & fortè grandiora habent peccata. nemo quoquè ipsorum adeò sanctus & purus à peccato est, vt dicere queat se peccatum non habere. Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, &c. 1. Ioan. 1. Nec errorem doctrinæ in Ecclesia poterunt allegare, tametsi fingant: nam audituri sunt à Iudice Christo, qui huius suæ Ecclesiæ caput est, quis te constituit Iudicem Ecclesiæ meæ? Præ-
Mat. 18. cepi vt audires ecclesiam Catholicam, non vt iudicares: nec mandaui Ecclesię meæ vt te audiret. Matth. 18. Qui Ecclesiam non audierit, &c. illa habet potestatē probandi
Deu. 17. di spiritus, & definiendi, si quid difficile aut ambiguum emerserit. Illi datus est spi-
Ioh. 16. ritus veritatis, qui eam errare nō sinit: qui igitur eam erroris arguit, blasphemus est in Spiritumsanctum, quasi is per ora patrum antiquorum Ecclesiæ, cui in doctorem datus est, falsa & erronea locutus sit, nec illis veritatem suggesserit &c. Nec te excusabit, quòd inquis te educatum esse in hæresi, & quasi alieno peccato corruptum esse. Nam quemadmodùm omnes quidem nascimur in alieno delicto peccatores, nempe ob peccatum primorum parentum: sed tamen nisi damnari volumus, oportet nos renasci & deponere illud peccatum per Baptismum: ità quoquè oportet per pœnitentiam redire ad Ecclesiam, & ei reconciliari, & vnum fieri cum ea, quicunq; cupit saluus esse: alioquin in extremo salutis periculo hærebit. Nec excusabit, quia dices, putabam idem esse & sinè periculo, siue extra Ecclesiam, siue intra Ecclesiam accipere Sacramenta, Eucharistiam, Baptismum, &c. & quòd idem esset vbiquè colere Christum: Nequaquàm: Nam iuxta sententiam Apostoli Rom. 15. Vnanimis & vnius oris debet esse cultus Dei, & hic Deo placet. Vndè rectè D. Chrysostomus super illum locum,
Mat. 18. Vbi duo vel tres in nomine meo fuerint congregati, &c. Cùm ait, Vbi duo vel tres congregati, id est, per fidem & charitatem ☞ vniti, & non per discordiam & dissensionem diuisi, neque per affectuum immoderantiam dispersi, in nomine meo, id est, honorem Christi, & non suam gloriam & commodum quærentes, &c. Deindè sententia est communis Conciliorum, quòd hæreticum facit dissensio, non sacramenta. Ideò qui extra Ecclesiam, id est, vnionem charitatis Deo seruiunt, frustrà seruiunt. Putabat enim & Cain idem esse suum sacrificium, & idem Abelis: sed errauit, Gen. 4. quia extra vnionem charitatis offerebat. Cæterùm nec nos vllo modo laudamus errores, si qui sunt, nec malam aut scandalosam vitam: sed hæc omnia corrigere, & quantumcunquè possumus, emendare studemus. Sed schisma nullo modo licet facere, sed quæuis potiùs scandala & mala tolerare ob vitandam dissensionem, iuxta Apostolicam doctrinam, cùm dicit: Alter alterius onera portate. & 1. Corint. 1. Ob- Gal. 6. secro vos fratres &cæt. vt idipsum dicatis omnes, & non sint inter vos schismata &c. Et hoc ipsum aduersariorum principis Luteri sententia confirmat, vbi in commentarijs suis super hunc locum Pauli ad Galat. 6. Alter alterius onera &cæ. ità inquit: Bohemorum dissidium à Romana Ecclesia, nulla potest excusatione defendi, quin sit impium, quia contra charitatem, id est, vnitatem perstat. Nam quod vnicè allegant, sese timore Dei & conscientiæ defecisse, nè inter malos Sacerdotes & Pontifices viuerent, hoc eos maximè omnium accusat: si enim illi mali sunt, & tu vera charitate ferueres, non desugeres, sed etiamsi in extremis maris esses, accurreres, fleres, moneres, argueres, &c. Igitur vitandum est ante omnia schisma & dissidium à Romana Ecclesia, vel ipso Lutero teste, tanquàm præcipuum & maximum post infidelitatem peccatum: nam & hoc nos regno Dei excludit. Galat. 5. Sectæ regnum Dei non possidebunt. & Apostolus vbiquè monet & rogat, nè sint inter nos schismata &c.

DE AVTHORITATE PRAELATVRAE ET OBEDIENTIA IN Ecclesia Catholicorum. Cap. 6.

Primò hîc notanda est inanis querela Sectariorum, qua se excusant, dum prætendunt, Pontificem impiè viuere, Episcopos luxu & ocio diffluere, sacerdotes fornicari, monachos auaritia aut alijs vitijs inquinari, &c. ideò non esse veros prælatos Ecclesiæ, nullum ius habere edendi decreta aut traditiones, nec interpretandi in Concilijs scripturas, nec habere Spiritumsanctum. Sic enim Bucerus fictitio nomine argu-

argumentatur in lib. de conuentu Haganoënsi, atq; ideò ipsis non obediendum. Pro quo notandum, quòd aliud est Ecclesia, doctrina, ordo hierarchicus, Sacramenta Ecclesiæ, cæremoniæ, &c. hęc omia Dei ordinatione & Apostolica traditione per se existunt vera: & aliud est vita vel dyscolia eorum, qui præsunt & regunt Ecclesiam, & in ea officijs defunguntur docendi, dispensandi Sacramenta, ordinandi, orandi, celebrandi, cæremonias peragendi &cæt. Ecclesiæ igitur atque doctrinæ, tum sacramentis & cæremonijs, ac toti statui Ecclesiastico nihil mali aut vitij asscribi potest: illa enim per se sunt incontaminata, à Deo & Apostolis instituta, & à Spiritusancto profecta. Non igitur peccata vel vitia hominum debent neque possunt asscribi doctrinæ, ordini hierarchico, Sacramentis, cæremonijs &c. Nec enim sic argumentari oportet: In Matrimonio multa pasśim fiunt adulteria, malum igitur est matrimonium: cùm tamen id per se sanctum sit Sacramentum à Deo institutum: item, Vinum multos inebriat, & ad luxuriam prouocat: vinum ergò malum est, vel mala creatura. Sic etiam Mgistratus ciuilis est per se iustus, sanctus & licitus: quanuis gerentes magistratum, sæpè sunt iniusti, adulteri, vsurarij, tyranni, &c. Idem est de Mægistratu Ecclesiastico. Sic mali mores aut abusus non derogant Ecclesiæ, quo minùs sit Ecclesia: aut Sacramento ordinis vel Matrimonij, quo minùs sint sacramenta: aut potestati Ecclesiasticæ, quo minùs sit potestas: aut hierarchico statui, quo minùs sit ordo hierarchicus aut Episcopalis &cæt. detrahendum non est, etiamsi personæ gerentes hæc officia, non sint bonæ vitæ:
1. Pet. 2. expresśè enim Apostolica vox iubet, vt obediamus præpositis nostris etiam dyscolis. Est enim hæc potestas à Deo, Roman. 13. sicut & ministerium verbi. 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo, &cæ. & Acto. 20. cap. in quo, scilicet populo, Spiritussanctus vos posuit Episcopos. & 2. Corinth. 3. Fecit nos dignos ministros noui Testamenti &cæt. Quarè ad hanc ordinationem & potestatem diuinam oportet respicere, & ideò, id est, propter DEVM, illam audire, obedire & tolerare, 1. Petr. secundo, & non respicere ad vitia, abusus & peccata præsidentium. Non enim ad personæ dignitatem est ligata potestas illa, aut ministerium verbi, sed ad Dei ordinationem: quòd si enim res penderet à dignitate & sanctitate personæ, nullus esset in mundo verus prælatus aut idoneus ad præsidentiam, ad ministerium vel politiæ vel verbi Dei aut Sacramentorum, quoniam ex humanæ naturæ defectu omnes sumus peccatores, 1. Ioan. 1.
nec vnus potest ad alterum dicere, Ego primus proijciam lapidem. Et Diuus Hieronymus dicit, quòd malitia hominum Ioh. 8.
mundi ab initio fuerit. Si quis igitur abutatur sua potestate, aut in ea constitutus, vitijs ac fœdis peccatis se polluat, ille suum onus portabit, & pro se reddet rationem de ijs, quæ in vita gessit, siue bona, siue 2. Co. 5.
mala. Nihil verò interim derogatur diuinæ ordinationi & Apostolicæ traditioni, quæ semper est efficax circa suam ordinationem &c. Sic Christus separat officium doctrinæ ab impia vita sacerdotum, cùm inquit Matth. 23. Super cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, secundùm verba eorum, id est, doctrinam legis, non secundùm vitam vos gerite. Quarè officium hoc ministerij est à Deo, & conseruatur ab ipso, & efficax est per illud, non considerando personæ dignitatem. Sic summo Pontifici Caiphæ accessit efficacia prophetiæ, Ioann. 11. cùm diceret quòd expediret vt vnus moreretur pro populo, & non tota gens pereat. In eo loco dicit Euangelista, quòd Caiphas hoc non dixerit à semetipso: sed cùm esset pontifex anni illius, prophetauit quia Christus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed & populo Iudaico, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum: idq; propter officium, quod ipse tunc gerebat. Ergò pontificatus ipsius Caiphæ habuit hoc donum prophetiæ, quod nullius aliorum habuit. Ità & Paulus 2. Timoth. 1. inquit: Commoneo te, vt suscites donum Dei, quod in te est, per impositionem manuum mearum. Hóc autem donum nihil aliud est, nisi potestas, quam Deus confert officio, id est, sacerdotio, ad exequendum veraciter, quæ sacit: sicut Magistratui datur potestas diuina, Roman. 13. exequendi officium, quam potestatem exequendi non habent, qui officium Magistratûs non habent. Sic est de potestate ordinis hierarchici: ad hanc potestatem & eius officium respiciendum est, non ad personam hominis, modò persona sit veraciter aut legitimè in officio, tunc peccatum personæ non tol-

lit officium vel impedit efficaciam illius ministerij. Deus enim assistit officio & potestati, quam ipse ad hanc contulit: si autem persona non est legitimè electa in Magistratu ciuili aut Ecclesiastico, sed seipsam ingerit, aut per alium prophanum principem intruditur sinè ordinaria potestate & consecratione in ministerio, DEVS non est efficax in ipsorum officio, nec eis assistit, vndè Matth. 25. dicitur: Vocatis seruis suis, &cæt. At sic instant sectarij: Verbum DEI est efficax in omnibus, qui illo vtuntur: ergò quicunque ex verbo ministrat in Ecclesia, etiamsi non est ab hominibus & potestate ordinaria electus, tamen efficax est ipsius ministerium. Respond. Vendicabant sibi sacerdotium hoc modo Chore, Dathan & Abiron, & dicebant quòd omnis multitudo esset sanctorum, & in ipsis esset Dominus: sed sic sentientes & facientes, terræ hiatu viui absorpti sunt, Numer. 16. Sic rex præsumens adolere incensum in domo DEI, lepra percutitur, 2. Paralip. 28. Sic filij Sceuæ, qui volebant etiam hoc facere, nempè expellere dæmonia, quod fecit Paulus, à diabolo puniuntur, Actor. 19. Ideò ad Hebre. quinto dicitur: Nemo sibi assumit honorem, nisi qui vocatus fuerit à DEO, quemadmodùm & Aaron: ità nec CHRISTVS semetipsum glorificauit vt fieret pontifex, sed is qui dixerat illi, filius meus es tu &cæt. Præterea omnibus quidem commissum est verbum DEI, vt illud credant & audiant & custodiant: sed officium & ministerium verbi atque Sacramenta dispensandi, non omnibus est commissum: nec omnibus Christianis, sed Apostolis ac Discipulis commisit CHRISTVS ministerium docendi, absoluendi, Sacramenta porrigendi, &cæt. Vndè apertè inquit Paulus 1. Corinthior. 12. Num omnes sunt Prophetæ? num omnes Doctores? & Ephes. quarto, Elegit quosdam in Ecclesia Pastores, quosdam Doctores, &cæt. ad ædificationem corporis Christi. Quarè vbicunquè est legitima vocatio per Catholicos Episcopos & Catholica Consecratio, ibi secura est & certa conscientia nostra de efficacia & veritate Sacramenti: vbi verò sectaria vel superintendentialis vocatio, ibi suspecta sunt omnia, nec est approbatio DEI, nec vlla efficacia. Porrò contemnere præcepta & interpretationem Patrum ac Conciliorum, est contemnere Spiritumsanctum & negare eius præsentiam atque assistentiam in Ecclesia: quod est, ipsum CHRISTVM mendacem facere. Insupèr cùm Spiritussanctus etiam DEVS sit, qui ergò generalia Concilia contemnit & non recipit, hic verbum DEI & suggestionem Spiritûs sancti, qui Deus est, contemnit & reijcit. Sic Apostolus 1. Thessal. 4: inquit: Qui hæc contemnit, non hominem, sed DEVM contemnit, qui dedit nobis Spiritumsanctum. Non ergò habent sectarij iustam causam recedendi ab vnitate Ecclesiæ, & faciendi scissuram, idq; fortè propter vitia clericorum. Nam officia conseruare oportet, & reijcere aut damnare vitia, non autem scindere charitatem, id est, vnitatem: nam disertè dicit Apostolus: Sectæ regnum DEI non possidebunt, &cæt. Nam quòd fingunt alias causas, nempe quod nolint in dogmata Ecclesiæ consentire, qualia sunt de Missa, de meritis bonorum operum, nihil efficiunt. Missa enim non est prophanatio, quia Christus alio modo quàm in cruce offertur DEO Patri, sicut ipse instituit, iussit & voluit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem &cæt. Simili modo se habet cum meritis bonorum operum, & alijs eiusmodi, de quibus singulatim suo loco dicemus.

Mat. 28.

Galat. 5.

Luc. 22.

DE LEGITIMA VOCATIONE MINISTRORVM CATHOLICORUM in Ecclesia Dei.

Cap. 7.

PRIMO notandnm est, quòd fundamentum, quo vtitur Ecclesia catholica in vocatione ministrorũ Ecclesiæ, primũ ex verbis Apostoli sumitur 1. Tim. quarto, Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, id est, orationem & consecrationem, quæ facta est tibi cum impositione manuum presbyterij, id est, authoritate ordinarij Sacerdotij. Non dicit, cum impositione manuum laicorum vel multitudinis, aut secularis alicuius Magistratûs, sed Sacerdotij. Ergò qui sunt laici, neque ordinati ab alijs Sacerdotes, nulla authoritate vel titulo possunt alicui conferre hoc donum, id est, potestatem consecrandi CORPVS DOMINI, absoluendi à peccatis, copulandi Matrimonium, Baptizandi, præ-

prædicandi verbum Dei, &c. & quanuis fuerint olim ordinati sacerdotes ab Episcopo, & posteà in hæresin vel schisma prolapsi fuerint, eò quòd se extra vnionem Ecclesiæ Catholicæ separârunt, non possunt tamen conferre Spiritum sanctum aut donum Sacerdotij alijs, quia nemo extra Ecclesiam vel habet, vel conferre potest Spiritum sanctum. Hoc autem donum est aliud nihil, nisi potestas quam Deus confert officio, id est, sacerdotio, ad exequendum ac peragendum veraciter sacra munia quæ obit, sicut magistratus habet donum, id est, potestatem exequendi officium *Rom. 13.* gladij, quam non habent subditi. At nunquid dum multitudo vel laici subornant aliquẽ alium sibi magistratum, quem ipsa senatoria potestas non elegit, & sibi vsurpant hanc potestatem, illa ne ordinatio erit iusta? immò tumultuaria, seditiosa & contra ordinationem Dei & leges ciuiles, sicut patet 1. Reg. 8. vbi populus petit regem sibi &c. & Domin⁹ dixit ad Samuelem, qui erat iudex populi constitutus à Deo: Non enim te abiecerunt, sed me, nè regnem super eos. Quasi dicat, eligunt sibimet regem, & nolunt sibi quem ego ordino. Si ergò in re temporali, quæ est politia secularis, quandò fit sinè ordinaria & legitima potestate, displicet Deo, & irrita est apud saniores: quanto minùs in re spirituali & sancta, id est, ministerio Ecclesiæ, vocatio illa quę fit sinè ordinaria Christi potestate, poterit esse Deo accepta, aut *Mat. 25.* efficax in opere & dono Spiritus sancti? dicente Christo, vocatis seruis suis tradidit bona sua. Vt ergò senatus deligit senatores alios, ità Episcopi qui sunt & debent omnes esse sacerdotes, nomine totius Ecclesiæ suæ vocant & ordinant sacerdotes alios, qui curam gerant pastoralem in populo, & illis sacramenta dispensent: & sicut non communis populus eligit quem vult senatum, ità nec in spiritualibus fieri debet, vt laici præficiant sacerdotes. Accedit ad hoc praxis primitiuæ Ecclesiæ. Paulus enim ordinauit Episcopos, sed cùm ipse existeret episcopus, nempe Timotheum, & Titum cui commisit vt in Creta *Tit. 1.* oppidatim constitueret presbyteros, inquiens: sicut ego disposui tibi, hoc est, sicut ego te ordinaui. Sic & tu alijs facies, vocando & ordinando ipsos cum impositione manuum Sacerdotij. Ecce hîc Episcopus Paulus, à Christo summo episcopo vocatus, ordinat alios episcopos, & illi Episcopi, alius in Creta, alius alibi, ordinant alios sacerdotes, & sic successiuè: non verò laici ordinant vel vocant. Vt ergò nemo confirmat & approbat senatorem electum à plebe sinè authoritate ordinaria, ità nec talis electio ministrorum Ecclesiæ approbatur, quæ fit sinè legitima potestate senatorum spiritualium, id est, episcoporum. Sed in scriptura sunt multa exempla grauissima, quæ docent quòd sacerdotes semper à diuina electione & à sacerdotali magistratu fuerint euocati, non autem à plebe. Quorum vnum tantùm nobis contra prophanatores illos sectarios, sufficiet: scriptura refert Nume.16. de quibusdam, qui propria authoritate surrexerunt contra legislatorem & ducem suum Mosen, quem ipsis Deus dederat, vt eius præceptis obedirent: hi dicebant aduersùs Mosen & Aaronem: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus &c. Quasi dicerent: Omnes laici possunt esse sacerdotes, ergò & nobis vsurpabimus sacerdotium. Sed Moses respondit illis, dicens: Manè notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, id est, qui veri sint sacerdotes & sanctos applicabit sibi, & quos elegerit, appropinquabũt sibi &c. Audis hîc diuinam & ordinariam electionem in sacerdotibus? Sed quid factum est? cùm cessaret Moses orare ad Deum & loqui, confestim dirupta est terra sub pedibus eorum: & aperiens os suum, deuorauit illos &c. Insupèr etiam miraculo Deus paulò pòst ostendit, quòd sacerdotale officium & electio non ad multitudinem, sed ad Aaronem summum pontificem & filios Leui spectaret, idque per florentem virgam Aaronis, quæ virga, vt scriptura ait, posteà seruata fuit in signum rebellium filiorum Israel. Porrò adhuc obijciunt sectarij: Baptismus consecrat omnes Christianos in Sacerdotes, nulla ergò opus est ordinatione Episcopali vel Papali, sed quilibet vocatus à populo, hic nomine populi potest hoc exequi officium. Nam dicit.1.Petr.2. Vos estis regale sacerdotium &c. & Apocalyp.5. Fecisti nos Deo regnum & sacerdotes. Ergò quilibet Christianus potest esse sacerdos. Respon. Primò hoc certum est, quòd Petrus authoritatem ex veteri testamento Exod.19. desumpsit, vbi omnibus Iudæis dicitur: Si audieritis vocẽ meam, &c. eritis mihi genus electum & regale sacerdotium: quòd si omnes Iudęi erant sacerdotes, cur ergò soli Aaroni & filijs eius dicitur Exod.29. Eruntque mihi sa-

cerdotes religione perpetua? cur specialiter elegit Aaronem cum filijs in sacerdotes per miraculosa signa terræ hiatus, & virgæ aridæ florentis, vt iam audiuimus Numer.16.&17. si omnes Iudæi ex æquo erant sacerdotes? Respondeant mihi ad hoc, quòd Scriptura signanter dicit, Erunt mihi sacerdotes religione perpetua: quasi diceret, Nolo vt de filijs Aaron quispiam, relicto sacerdotio, redeat ad pristinum laicatûs statum: ergò nec Christi sacerdotes semel consecrati, recidere debent ad laicatum, vel apostatæ fieri. Cæterùm sumus quidem omnes sacerdotes spirituales & templum Spiritussancti, & quisque sibi rex est: sed non sequitur quòd omnes Christiani sint in publico ministerio Ecclesiæ Sacerdotes, vel Reges dominantes: hoc enim absurdum esset: sed tantùm ritè vocati, ordinati, vncti & præfecti sicut Aaron. Vndè scriptura apud Apostolum Hebr.5. ait, Nemo sibi honorem (scilicet sacerdotalem) assumit, sed qui vocatur à Deo sicut Aaron. Si ergò iam etiam noui Testamenti sacerdotes debent ritè vocari, sicut Apostolus de Aarone hîc ait, qui fuit sacerdotalibus vestibus indutus, & oleo super caput inunctus, vt patet ritus consecrationis illius Exod.29. cur iam despiciunt sectarij consecrationem & vnctionem Episcoporum? & vel ex hoc constat, eos non esse vocatos à Deo vel ordinaria potestate electos, quia huiusmodi solennibus & antiquissimis cæremonijs repudiatis, semetipsos in officium intrudunt, & honorem sibijpsis assumunt, quod contra exemplum Christi est, qui semetipsum non glorificauit vt pontifex fieret. Præterea si Baptismus ex æquo omnes facit sacerdotes, audiamus Euangelistam. Postquàm baptizati essent discipuli, dicente Iohanne, venit Iesus &
Ioh. 3. discipuli eius in terram Iudæam, & illic morabatur cum eis, & baptizabat, scilicet, per discipulos. Si ergò Baptismus contulit sacerdotium, & potestatem consecrandi, absoluendi, baptizandi alios: cur postea specialiter ordinauit, & commisit illis potestatem consecrandi, cùm inquit:
Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem, id est, ex pane hoc corpus meum facite? & Matth. 18. Quæcunque solueritis super terram &c. item Mat. vlt. Baptizate eos in nomine patris &c. & Marc.16. Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium &cæt. Item Ioann.20. Quorum remiseritis peccata, &cæ. Quæ omnia illa sunt sacerdotum officia. Ergó ne omnibus baptizatis Christianis hæc sunt commissa? & quarè Paulus dat Sacerdoti donum cum impositione manuum sacerdotij, si iam ex baptismo erat sacerdos? Non ergò obseruatus est à CHRISTO & Apostolo hic vocandi & consecrandi modus: sed quàm impiè ac temerè faciant sectarij, qui hanc diuinam & Apostolicam ordinationem consecrandi sacerdotes abijciunt, idque in odium cleri, iudicent omnes cordati homines. Sic enim Ethnici fecerunt quondam, vocantes sacerdotes suos è plebe sine omni consecratione & ordinatione. Et docet Scriptura, quòd impiùs Ieroboam de nouissimis populorũ 3.Re. 12. elegit sibi Sacerdotes, vt iã sectarios omninò facere videmus, admittentes ad pastorale siue sacerdotale officium quoscunque Barbitonsores, Sutores, Restiarios, profugos monachos, & id genus de fæce hominum: At inquiunt, Christus quoquè elegit infimos homines, piscatores, telonarios, & id genus alios ad prædicandum verbum suum, ergò non malè facimus. Respond. CHRISTVS erat verus Sacerdos in æternum, & quos ille vocauit & assumpsit in Apostolatum, illi veri erant sacerdotes & veri pastores ac piscatores hominum, & illis afflabat Spiritum sanctum, & licèt erant infimi de plebe, tamen eos sic ab æterno prædestinauit. Vndè & hanc vocem à suo cælesti Episcopo audire meruerunt: Sicut me misit viuens pater, ità & ego mitto vos, Ioh. 20. &cæt. Vides hîc ordinariam CHRISTI missionem à patre, & Apostolorum (id est, sacerdotum noui Testamenti) missionem à Christo, & successorum ipsorum vsq; in hodiernum diem ab Apostolis missionem & legitimam vocatione? Inanis igitur est & friuola hęreticorũ objectio. Quid quòd scriptura quoq; docet, ordinarij sacerdotij abiectionem semper secutam esse deuastationem regnorum, mutuam dissensionem & alia mala & incommoda Imperij, vt 3.Reg.14. habetur de domo Ieroboam, quę ob hoc penitùs fuit deuastata, &c? sed nostri temporis exempla satis manifesta sunt, quæ & quanta perturbatio Reipublicæ in Germania, Anglia & Gallia ob hâc legitimi sacerdotij prophanationẽ & abiectionem secuta sit: idq; ex nulla alia causa, nisi ex iusto Dei iudicio ac punitione, vt tandèm resipiscant sectarij ac hostes Ecclesiæ. Quod si rursus objiciant, Atqui verbum Dei est efficax, non ipsa conditio

vel

vel dignitas personæ ministri. Quicunque ergò profert verbum Dei, ille absoluit, prædicat, baptizat, &c. efficacia enim verbi Dei, non est ligata ad personam certá. Respon. In omni administratione sacramentorum, vnum est quod Deus facit, aliud quod minister. Potentia & virtus Dei absoluit peccatorem, hoc est, tollit ab ipso peccatum, emundat & renouat in baptismo, consecrat corpus filij sui Iesu Christi, vt Ioan. 1. Hic est qui baptizat &cæ. In hoc non est dubium, quin omnia virtus & potentia Dei per verbum suum prolatum faciat, & non ipsa ministri potentia. Sed num in falso ministro, qui non per ostiũ, sed aliundè intrat ouile, id est, sinè ordinaria Ecclesiæ Catholicæ commissione seipsum ingerit, Deus per huius ministerium sit æquè efficax, dùm profert verbũ Dei, cæremonias & alia, inuestigabimus. Primò hoc certum est, quòd Deus de multis falsis ministris siue prophetis conqueritur, tam in veteri quàm in nouo testamento, quòd loquantur & multa dicant, quæ tamen ipse eis non commiserat nec approbauit, & quotiès populus delusus illis fidem dedit, totiès secuta est in regione illa magna plaga, sicut patet Hier. 14. & 23. & Matt. 7. & 24. Christus verò semper nos monuit, dicens: Nolite credere illis, nolite exire domum, id est, Ecclesiæ Catholicæ communitatem. Hoc igitur clarũ est ex sacra scriptura, quòd multi sunt falsi prophetæ, & semper exurgent in mundo, præsertim in nouissimis temporibus, qui iactabunt nomen Dei, & Christi verbum semper in ore habebunt. Dicit enim
Hie. 14. 23.26. Deus: Et in nomine meo prophetabunt fallaciter, id est, contra sensum Ecclesię & SS. Patrum docebunt, quorum tamen verbum Deus non approbat, sed dicit Mat. 7. Nunquàm noui vos, discedite à me operarij iniquitatis. Immò punit ipsos plaga cõfusionis, dissensiõis, erroris ac spiritu vertiginis, atq; indè fiunt bellici & seditiosi motus aduersùs magistratũ, vel magistratuum ac principum aduersùs principes, regni contra regnũ &c. an non hi sunt egregij fructus istorum falsorum prophetarũ nostri quoq; tẽporis, è quibus eos cognoscere nos iubet Christus, an non satìs hactenùs nostro damno, immò publico exitio experti sumus, ab vtra parte sint falsi ministri, falsi prophetæ & pseudoeuangelistæ? apud antiquám ne & sibi perpetuò constantem Catholicam Ecclesiam, an verò apud istos nostrorum temporũ Sectarios? At inquies: quomodò tũc certus sum de vero ministro vel Doctore, per quẽ efficax sit verbum Dei, & cuius ministerium Deus approbet? Respond. Deus ideò ordinauit potestatẽ, & hanc dedit hominibus certis, non oĩibus, sed certis personis, per quam potestatẽ certificatur conscientia, ꝙ Deus hic efficax sit. Quicquid ergò ordinaria potestas facit, hoc præsumendũ est, quasi Deus faceret, quia fit ex ipsius ordinatione, dicẽte Apostolo: Omnis potestas Rom. 13. (id est, tam in spiritualibus quàm secularibus) à Deo est, & qui ei resistit, Deo resistit. Quicũq; ergò sectarij his potestatibus resistunt, & aliquid noui incipiunt, præsumunt, ac se ingerunt cõtra ordinariã commissionem huius potestatis, illi Deo patri cælesti resistunt, & consequenter Deus ipsorum ministeria, aut sacrificia non approbat, nec efficax est in ipsorum dispensatione sacramentorũ. Atq; sic apud sectarios nunquàm erit certa aut secura conscientia de virtute aut efficacia Sacramentorum, quotiès quis vel ordinatur, cibatur Eucharistia, baptizatur, copulatur matrimonio, absoluitur à peccatis ante obitum, licèt illi proferant verba Christi. At dices: quid si secularis potestas vocat ministros, qui doceant ad intentũ sectę Euangeliũ, & more sectario distribuant sacramenta &c. an tunc non habent potestatẽ ordinariã? Respõ. Hoc docet historia 3. Reg. 14. quàm minimè placuerit Deo ipsius Ieroboam temeraria vsurpatio spiritualis administrationis, quę sibi non competebat, cùm de nouissimis faceret sacerdotes. docet quoquè historia Num. 16. quandò populus adhæsit Abiron, Chorę & Dathan &c. Est igitur magistratûs ministeriũ gladij, Rom. 13. at sacerdotum, ministerium verbi: ad quod Christus Apostolos & eorum discipulos vocauit, non reges aut principes, 1. Cor. 4. quæ duo distincta sunt ministeria. Igitur qui ex ordinaria potestate præficitur, eius conscientia secura est: & ideò sancti patres semper suspectũ ministerium habuerunt hæreticorum, idq; vel propter labem schismatis, vel propterea quòd sinè ordinaria potestate faciant suum ministerium, quos Cyprianus simijs assimilat, quæ licèt hoĩes nõ sint, attamen gestiunt facere & mentitur ea quæ hominis sunt propria. Monet Matt. 7. igitur Christus, vt caueamus nobis à falsis prophetis, quorum multi exurgent in nouissimis diebus, Matth. 24.

DE CONCORDIA IN REBVS FIDEI CATHOLICORVM, ET DE discordia sectariorum. Cap. 8.

APOSTOLVS gratias agit Deo pro Romanis, eò quòd illorum fides annunciaretur in vniuerso mundo, Rom. 1. id est, quòd ipsi æqualiter de rebus fidei sentiant, hoc est, de Christo, de Sacramentis, operibus, cæremonijs, quemadmodùm fideles in vniuerso mundo, & mundus vniuersus quemadmodùm ipsi. Hoc quoquè petijt per nomen Domini nostri Iesu Christi fieri à Corinthijs, quatenùs non essent inter ipsos schismata, 1. Corinth. 1. scilicet in rebus fidei: nam maximè placet Deo illa concordia fidei in populo. Præterea hoc donum accepit Ecclesia vniuersalis à Christo, qui dedit illi idipsum sapere, Rom. 15. maximè in rebus fidei: nam semper idem sentiebat de Christo, de Sacramentis, de operibus, cæremonijs, &c. & nunquàm immutauit vel deposuit susceptam semel fidem, sed constanti confessione eam tenuit: nec possunt sectarij conuincere, Ecclesiam nostram Catholicam in dogmatum confessione ac rebus fidei fuisse discordem, quemadmodùm & olim & in hodiernum diem videmus apud hæreticos & schismaticos: mutauit quidē Ecclesia mores & consuetudines siue cæremonias secundùm tempora, nunquàm dogmata fidei siue veritatis immutauit, nempe de Missa, Eucharistia, Baptismo, Operibus & alijs: hoc autem contigit ex dono Christi, quod donum negabitur in æternum sectarijs. Schismatici autem secundùm prophetiam Apostoli Pauli 1. Timot. 4. quòd in nouissimis diebus discedent quidam à fide, id est, spontè & sinè coactione, credentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, vt hodiè videmus, semetipsos segregant ab Ecclesia vniuersali, vt Iudas dicit, Spiritum Dei non habentes, dissentientes non solùm ab Ecclesię veritate, sed à seipsis, atq; aliter administrant sacramenta, alias glossas & expositiones fingunt, nō solùm ad suam, sed aliorum etiam perni-
1. Ioh. 2. ciem: vndè rectè Ioannes inquit: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enī ex nobis fuissent, id est, si corde & verè fuissent Christiani, permansissent vtiq; nobiscum: sed vt manifesti sint, qui non sunt ex nobis, id est, qui veri Christiani non fuerunt, ideo exierunt à nobis. Præterea, vt dixi, non solùm cū vniuersali Ecclesia dissentiunt schismatici, sed & inter se variāt: & maximè quidem dissentiunt & pugnant in rebus fidei, Sacramētis & doctrina, non solùm in cæremonijs & forma religionis, sed in ipsis capitibus primarijs: quę dissensio mutua inter eos, verissimum est signū falsitatis & mali spiritûs, hoc est, sathanici, cuius regnū est diuisum, & desolationi propinquum. Ipsorum enim discordia prodit falsitatem & prauitatē ipsorum hæreticā, cùm neutra pars cum altera consentit. Ità enim accidit illis, sicut peruersis illis senioribus, quorum falsitatem ac fraudē Daniel retexit per hoc, quòd illi sibi in sermone suo non constabāt, licèt ambo erant nequissimi & turpi amore erga Susannam Dan. 13.
castissimam accensi: tamē quia vnus dicebat, Vidi ipsam sub arbore schino, alter verò ait, sub prino: sed discordia ipsorum & dissensio vocū, arguit & conuicit eos pessimi doli & falsitatis. Ità quoq; hæreticorum inconstantia, quoniā sibijpsis nō constant, verissimū signum est falsitatis. Nam vt id obitèr tantùm in specie attingamus, sectarij de potioribus salutis sacramentis nec cum Ecclesia, nec cum sibimetipsis conueniūt. Luterani enim baptizant aqua non cōsecrata, & sinè chrismate sacro, lingua vernacula, atq; ità contendunt Baptismum suum solum esse verū & rectū: Ecclesiæ autē Catholicæ vniuersalis esse falsum, eò quòd baptizat in aqua consecrata cum schismate & lingua Latina. Econtrà veniunt Anabaptistæ, qui dicūt baptismū paruulorum & morē Luteranorū esse falsum, & contendūt solùm adultos & perfectæ ætatis homines, baptizandos in aqua fluenti, non baptismali seu consecrata in Ecclesia, idq; defendere student ex loco scripturæ Marc. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. & quòd Christus stetit in Iordane fluuio, cùm à Ioanne baptizaretur: & quòd Apostoli ac illorū discipuli multos baptizārint in fluuijs &c. Quia igitur sectæ hæ duæ ità inter se dissentiūt de vsu & forma Baptismi, Ecclesia autem sibi semper & à mille annis cōsentijt: relinquitur, Catholicorū Baptismū solùm verum & salutarem esse. Similiter de Sacramento eucharistię Luterani concedūt, cum pane & vino adesse realiter corpus & sanguinē Christi, iuxta verba Christi Mat. 26. Hoc est corpus meum &c. Sed Zuingliani siue Sacramentarij ijsdem verbis CHRISTI probare contendunt, tropum esse sermonis & figuratam locutionem, sci-

scilicet, Hic panis designat aut est figura corporis mei &cæt. quæ dissensio illorum Hæreticorum quid aliud arguit, nisi quòd neutra pars ipsorũ rectè ac verè sentit de sacrosancto illo Sacramento? etsi Luterani in hoc Articulo sint tolerabiliores ipsis Sacramentarijs, non tamen excusantur omninò, eò quòd negant adorationem Sacramenti, & quia docent manere panem, nisi sumatur, & in qualibet specie esse partem sacramenti, non totum Christum. Pari modo de Missa discordant Luterani à Sacramentarijs. Illi enim in Missa induunt casulam, altare adornant cereis & linteis, & magnam partem Latinæ Missæ canunt, excepto maiori & minore Canone, nec tamen in canticis sibi constant ipsi, sed plerunquè cantilenas omninò Hæreticas immiscent, blasphemantes summum Pontificem &c. pro nullis defunctis orant. Sacramentarij verò non altare, vt reliqui, sed mensam instruunt, & cœnam parant, ac sedentes longo ordine, edũt de pane, & propinant inuicèm de calice, & non curantes vel casulam, vel altare, vel vllas cæremonias Missæ: atque ità neutra pars cum altera vniformiter celebrat Missam, nec media forma Missæ, nec cœnandi vna forma, sed fluctuat animo, & quotannis nouam quisque formam Missandi excogitat, prout illi spiritus familiaris suggerit. Porrò si veneris ad templa & cæremonias illorum, Deus bone, quanta diuersitas? dum quidam etiam non temporum anni ac summorum festorum cantica obseruãt, sed sinè discrimine in Festis alijs siue cantica Paschæ, siue Pentecostes canunt: quidam statim ab initio tres Germanicas cantilenas proferunt, quascunque illis suus concionator præscribit: posteà concionem incipiunt, quam concludunt itidèm tribus aut quatuor cantilenis, & quandoquè nullos habent communicantes, atque ità è templo tanquàm è taberna exeunt &cęt. ità planè nullus est apud ipsos ordo, nulla conformitas, vt dicere possis ipsos Ethnicos non minùs cõformiter suum cultum Diuinum celebrãsse. In concionibus verò (de quibus maximè gloriantur) iam non ampliùs ad pietatem & disciplinam Christianam vulgum hortantur, sed maximam temporis partem terunt in conuicijs: iam Zuinglianos, iam Anabaptistas, iam Caluinistas pro Hæreticis declamant, iam Papam, Episcopos, & Catholicos Reges tyrannis impijs assimilant: & aliquandò plùs amaritudinis inter semetipsos habẽt, quàm erga Catholicos. Sed vereor nè tandèm illis tempus futurum sit, cùm erit cum illis, sicut ait Apostolus Galat. 5. quòd si inuicèm mordetis & comeditis, videte nè inuicèm consumamini. Huiusmodi autem Sectariorũ circa res sacras dissensio, quid aliud indicat, nisi quòd fraudulenti sunt Prophetæ, operarij iniquitatis, & Pseudoapostoli? ob id nemo securam consciẽtiam habere poterit, qui sectis illorum se adiungit. Quomodò enim quis certus erit apud ipsos, vbi nulla est certitudo? Hęc autem dissensio & mutua pugna hæreticorum aliud nihil est, nisi visibilis plaga & vindicta Dei erga ipsos, quemadmodùm pari dissensione & confusione puniuit superbos ædificatores turris Babylonicæ, & sic confudit omnes, vt cogerentur cessare ab incepto: Nam bellum hęreticorum, pax est Ecclesiæ, vt ait Hilarius: & hic gladius est, quo Christus hostes suæ Ecclesiæ iugulat: non enim hęreses tam benè gladio seculari vel igne vel aqua possunt extingui, sicut mutua & intestina dissensione: & quamprimùm Deus talem vindictam dissensionis in eos miserit, tunc euidẽs signùm est, quòd ipse pugnat pro Ecclesia sua, cuius membra vult vnũ esse, non discordia. Confundit quoquè Deus eos, qui hominibus & mundo placere volũt: Omnis enim noua hęresis in principio placet hominibus, & cum quodã furore oppida peruagatur, sed tandèm cùm tempus vindictæ adest, confunditur à Deo, & gehennę supplicio punitur. Intereà verò dulcis veritas ecclesię stat sicut lilium inter spinas, & conseruatur vsque ad consummationem seculi à sponso suo Christo. Quemadmodùm autem turris Babylonicę ędificatores primò omnes consentiebant, vt extruere possent turrim tantę altitudinis, quò essent supra omnes minas Dei, vt nè eos diluuio punire possent: in ipso autem ædificandi opere & studio dissentire inuicèm incipiunt, & frustrà tentata relinquunt: ita quoquè hæretici ac Sectarij in hoc primò omnes conueniunt, vt se supra Papam & eius ordinariam ac legitimam districtionem ponant, insurgentes super Episcopos, Sacerdotes, Monachos, & nolunt Ecclesiæ præceptis se submittere: intereà tamen inter semetipsos in Articulis doctrinæ dissentiunt, digladiantur, contendunt, & alteri alteros pro Hęreticis condemnant, ità vt inter sese diuisi & dispersi sint, sicut impij ædificatores turris Babylonicę: & inter ipsos Sectarios nihil aliud videas, nisi schismata

Gen. 11.

siue mutua dissidia: vndè notare possunt manifestè vel ipsi laici, quòd non habeant veram religionem, nec bonam causam, & quòd periculosum sit se adiungere istis sectarijs: & quemadmodùm ædificatorum Babylonicorum propositum Deo displicuit, nec prosperatum fuit: ità nec Sectarij Deo placere vnquàm possunt, & tandèm
Psal. 1. ipsi quoquè dispergêtur & dissipabuntur à facie Ecclesię Catholicę tanquàm puluis quem proijcit ventus. Quandò verò obijciunt Sectarij, etiam inter Papistas magnã esse diuersitatem, in diuersis Monasterijs, ordinibus religionum, & alias cæremonias isthìc, alias isthìc celebrari & diuersas esse Doctorum opiniones, & diuersa quædam Concilia & Decreta ab alijs, &c. Respódeo, quòd hęc diuersitas apud Catholicos tantùm reperitur in particularibus: & vt intelligibiliùs dicam, in prouincialibus cæremonijs, traditionibus, ordinibus &cæt. quę omnia quia non aduersantur fidei Catholicæ & Sacramẽtis, licitè possunt secundùm tempora, & mores hominũ mutari, figi ac refigi: nec illorũ diuersitas nocet vniuersali Ecclesiæ fidei, Articulis ac Sacramentis, sed aut tolluntur aut fiunt in vnitate & charitate, prout visum est huius vel illius regni Synodis aut Concilijs particularibus. Nulla verò ostẽdi potest apud Catholicos dissensio in doctrina fidei & rebus salutis, putà circa Baptismum, circa Eucharistiam, Missam, & circa reliqua Sacramenta & dogmata Ecclesiæ: nunquàm enim Ecclesia Catholica vel dissentijt, vel errauit in his sacrosanctis rebus & Articulis, sicut videmus hæreticos & sectarios in hisce perniciosè & fœde errare, dissentire, & inter se pugnare. Ostendant igitur ipsi & probẽt, talem esse inter nos Catholicos in arduis rebus fidei dissensionem, pugnam vel controuersiam, qualis est inter ipsos, & cedemus ipsis, & causam nostram deseremus: sed tantum abest vt in scriptis suis editis cõcordent, quum etiam in conuentibus, comitijs ac colloquijs inter sese de dogmate conuenire neutiquàm potuerunt, quod nouit totus orbis de conuentibus ipsorum per discordiam mutuã abruptis, vt in Marpurgensi cum Oecolampadio, Lutero, Bucero & alijs, tum in Ratisponensi, Vuormatiensi anno 1558. vbi excluserunt quinque suorum Theologorum. Quid quòd nullus ferè principatus, dominiũ aut ciuitas Imperialis, apud ipsos habet vnam & eandem cum cæteris fidei ac religionis confessionem? habent enim suam confessionem Magdẽburgenses, suam confessionem Augustani, suam Brandenburgenses, suam Vuirtẽbergenses, suam Palatinenses, suã Zuingliani, suam Caluinistæ &c. án ne his Deus dedit idipsum sapere? Rom. 13. án ne hi ducuntur Spiritusancto, qui est princeps pacis? án ne Christus horum tam distortorũ inter sese membrorum potest caput esse? Audiant igitur, qui aures habẽt, & qui oculos habent, videant, vtrùm securius sit ac beatius Ecclesiæ Catholicæ, quæ amabili cõcordia, vnitate & dulci veritate est à Deo donata, adhærere: an verò leuissimis illis Sectarijs, qui tam turpiter sese dant in suis dissidijs, assensum præbere? Præterea nõ solùm fœdissima ipsorum dissensio ipsos pro falsis Prophetis arguit, sed etiam summa & impudentissima ipsorum arrogantia, inflatio & temeraria iactantia, qua sese totius Catholicæ Ecclesiæ SS. Patribus ac Doctoribus non aliter quàm diabolus se Deo, opponunt, nullo modo cogitãtes sese humiliare maioribus, ità vt vel digito possit tam gi, eos ipsos esse quos Apostolus introducit 2. Timoth. 3. homines tumidos, proteruos, voluptatem magis amantes quàm Deum. An enim non satanica est illa arrogantia & præsumptio Hæresiarchæ illius Luteri, qua audet publicè scribere in libro de Capt. Babyl. hæc verba, Ego certò scio quòd doctrinam meam de cęlo habeam? item in Præfatione Germanica super Apocalypsin Iohannis, cùm de eo libro censuram fert, bonús ne an malus sit, inquit: Spiritus meus qualis nam hic sit liber, se expedire non potest &c. ità non veretur superbus ille spiritus etiam sacris Canonicis libris, quos totus mundus pro authenticis colit, fidem & authoritatem detrahere: Sic quoquè Coruinus ille impudentissimus homo, in Germanica sua Postilla audet omnia concilia sinè discrimine erroris & mendacij arguere, cùm inquit: Concilia & Patres errãrunt, quia hanc sententiam non rectè exposuerunt &c. Econtrà verò nota est & omnibus constat Christiana humilitas & modestia ipsorũ Christi Apostolorum & sanctorum patrum atque Doctorum, quomodò se in suis doctrinis ac scriptis semper humiliãrũt. Apostolus enim Rom. 15. tantæ erat humilitatis in rebus Euangelij ac fidei docendis & enarrandis, vt diceret, Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus in verbo & in factis atque prodigijs &cæt. Eccè ipse Apostolus nihil tentauit ex

ex præsumptione docere, de quo non erat certus & securus per Christum. Sic SS. Patres, Ambrosius, Hieronymus, Augustin⁹ & reliqui doctissimi atq; illuminati Ecclesiæ Christi defensores, passim & manifestè in suis libris sese humiliantes, dixerunt se nolle vt scriptis aut dictis ipsorum tāta fides, quanta Canonicis literis debetur, à quoquam habeatur, &c. Sic reliqui mediç ætatis ac recentiores Ecclesiæ Catholicæ scriptores, cùm vel aliquid scripserunt, docuerunt, soluerūt aut explanárunt in ijs, quæ ad sacram Scripturā & fidem attinent, semper ex Christiana humilitate ꝓtestati sunt, his verbis: Hæc omnia mea scripta iudicio ac censuræ vniuersalis Ecclesiæ submissa sunto &c. Vndè si fortè vnus aut alter illorum ex fragilitate humana errare potuit, nō ideò statìm fuit reputatus hęreticus aut sectarius, eò quòd se emendationi atq; correctioni iudicij Ecclesiastici subiecerit. hæreticum verò arguit esse aliquem, in errore suo atq; opinione, quam ex superba præsumptiōe elegit, perseuerare ac defendere. Et quoniam Christus docuit Ecclesiam suam annos iam plùs mille & quingentos, ac ea quę ipsi suggessit per Spiritūsanctum, miraculis atq; prodigijs confirmata sunt: verisimile est & ipsi rationi humanæ consentaneum, Deum non siuisse sanctos Patres & sancta legitima Concilia per tot centurias annorū in docendo, scribendo & explanando Scripturam errare, mentiri aut falsa dogmata tradere: dixit
Mat. 28. enim Christus se apud Ecclesiā suam sem-
Iohā.16. per fore, & Spiritūsanctum ducturum esse eam in omnem veritatem: si verò antiqui SS. Patres & Concilia errârunt, vt hæretici blasphemant, sequitur quòd Spiritussanctus aut tanto tempore in Ecclesia fuit absens, vel ociosus præsedit, aut verò in Patribus falsa & erronea ac mendacia locutus fuerit: quod qui cogitat, nedùm asserit, blasphemus est in Spiritumsanctum, quales sunt omnes hæretici & Sectarij, qui doctrinæ Ecclesiæ siue sanctorum Conciliorum contradicūt, & noua dogmata excogitant. Porrò iussit Christus vt Ecclesiam audiremus, Matth. 18. quam quicunque audit cum obedientia & humiliatiōe & captiuatione intellectûs ad obsequium Christi, ille non excitabit hæresim aliquā, nec dissensionem, nec separationē aut discessionem ab vnitate amabilis concordiæ Ecclesiæ mouebit: quicunque verò illam non audierit, habetur & habendus est pro Ethnico, id est, pro homine infideli. Vndè intelligi datur, quòd Sectarijs sua fides in Christū nihil proderit, qa ethnicis comparantur, eò quòd Ecclesiā (id est, authoritatem sanctam Patrum ac Conciliorum) non audiunt, immò irrident & erroris arguunt. Quum ergò sectarij sint ethnici, sequitur quòd priuabūtur promissis Ecclesiæ, id est, priuabūtur remissione peccatorum, meritis, atq; ipsa vita æterna, vt testatur S. Cyprianus: Hęc sententia lata p Christum, oēs in extremo iudicio condēnabit hæreticos & schismaticos. Nam habuerunt Ecclesiam quā audisse debuerāt, quemadmodùm parabolicè dictum est in Euangelio fratribus diuitis epulonis, quòd haberent Mosen & Prophetas, quos audire debebāt &c. nec vlla excusatione vel prætextu ignorantiæ vel abusuum aut scandalorum euadent suppliciū ignis æterni. Dicit em̄ Apostolica vox, Gal. 5. Sectę regnū Dei non possidebunt, ergò gehennā. Quis est igitur iam excæcatus, quem fœdissima illa ac babylonica dissensio ac confusio inter ipsas sectas, vt redeat ad ecclesię gremium, non moueat? Illa inquam incōstantia atq; mutabilitas, dum id quod hodiè affirmant & consentiunt, sequēti tempore negant, & quod ipsorum asseclæ pro vero asserunt, hoc ipsi damnant? Quarè quicunq; simplici oculo sese ecclesię vniuersali subiecerit, etiam si per impossibile ecclesia erraret, tamen simplicem virtus obedientiæ à damnatione liberabit, vt inquit Gerson. Deus enim nouit omnium corda. Quamobrē summa est securitas conscientiæ, perseuerare in illa laudabili cōcordia fidei ac obedientia Ecclesiæ: quicunq; verò se dogmati & obediētię Ecclesię opposuerit, ille peccat in articulū fidei, Credo vnā sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: nam quid prodest hoc cōfiteri, si non sequaris ipsam Catholicam ecclesiam, & ei obedias? Nam si interrogemus Sectarios, quam ipsi Ecclesiam putent in hoc articulo? tunc certè non respondere poterunt cum veritate, ibì intelligi vel Luteranam, vel Zuinglianam Ecclesiam, cùm illorum schisma iamdudùm & passìm multis argumentis sit reprobatum. Cogentur igitur dicere, quòd intelligatur ibì illa antiqua, vniuersalis & vnanimis Ecclesia, quæ nostra est, id est, Catholicorum, & non Sectariorum, Ecclesia: propterea sinè veritate confitentur ore Sectarij hunc Articulum, Credo Vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam &c.

DE FALLACIIS VERBORVM IN THEOLOGIA SECTAriorum.

Cap. 9.

APostolus Colossenses suos diligenter monet, vt attendant, nè quis eos seducat & decipiat, Capit. 2. quoniam in Prouerb. capit. 28. dicitur, qui corripit hominem, gratiam posteà inueniet apud eum, magìs quàm ille qui per blandimenta linguæ decipit. Ob id multo tutius est audire & loqui veritatē ad salutem, quàm blandiloquentia decipere ad perniciem.

Habet autem nunc temporis Sectariorum Theologia aliqua verba, quę nisi cautè pensentur, facilè decipiūt homines simplices, & falsificant veritatē doctrinæ Ecclesiæ, & priuant sequaces salute æterna:
I. quorum primum est, iustificare: illo verbo iam penè totum mundum mouerunt, docentes iustificationem esse salutem & gloriam, quasi omnis iustificatus, iam sit saluatus, & quidem gratìs, vt inquiunt, sola fide, ex Paulo ad Rom. 3. absque operibus, vndè gratìs illi & sinè operib9 saluantur: atque sic, si id verum est, nihil sunt oīa opera, omnes cæremoniæ, ritus & disciplina hominis Christiani. Sed hoc fuit primum tonitruum emissum à Sectarijs in mundum: sed quàm frigida sit hæc argumentatio ipsorum, ex sequentibus patet: primò, quòd iustificare idem est quod remittere peccata: Apostolus verò vsus est hoc vocabulo contra errorem quorundā Iudæorum & gentilium, quorum opinio erat, neminē posse iustificari, nisi primùm obseruâsset legem & cæremonias Mosaicas, atque ob id gentiles condemnabant, & non posse iustificari dicebant, eò quòd legem non seruarent: dicit ergò Apostolus Romanis, hominem fide in Christum iustificari: quasi diceret, siue præcesserit obseruantia legis & cæremoniarum, siue non, tamen simpliciter fides in Christum, impetrat iustificatiōem, id est, remissionē peccatorum, eò quia non lex iustificat, sed gratia propter fidem in Christum. Deindè iustificatio (id est, remissio peccatorū) & salus ac vita æterna, differunt: quia iustificatio præcedit salutem, quemadmodùm flos arboris pomum vel pirum, & sanitatem medicina nam primùm gratìs iustificamur propter fidem in Christum, nō propter obseruantiam legis: deindè iustificari & sanari à fœditate peccatorū, aliud nihil est, nisi noua creatio ad bona opera facienda, Ephes. 2. id est, bona opera facere debemus, pro quibus ex gratia promittitur præmium æternæ salutis: ad hoc enī iustificamur & sanamur, vt nunc laboremus & acquiramus præmium: Sic arbor viret ac floret, quatenùs indè fructus crescant. Vt igitur falsa est hæc argumentatio, illa arbor quæ habet florem, habet & fructum siue pomum, quia poterit aëris iniuria vel loci incommoditas impedire fructum, quo minùs proueniat pomum, etsi pollicebatur: ità quoquè falsa est hæc argumētatio, ille iustificatus est, ergò iam est saluatus: ille adultæ ætatis homo baptizatus iam est, ergò iam habet salutem ęternam: Cùm tamen post Baptismum & iustificationem fieri possit propter peccata commissa, vt excidamus à iustificatione quam accepimus, ità vt salutem non consequamur: ergò iustificatio & salus siue vita æterna, multùm differunt: nam & Iudas fuit iustificatus, sed tamen non fuit saluatus, Matth. 26. & 27. Sic omnes Asiani de quibus scribit Apostolus 2. Timoth. 1. vt Philetus, Hermogenes, Alexander & cæt. naufragium fecerunt circa fidem: an non illi primùm erant baptizati & iustificati? sed nunquid fuerunt saluati? Quarè fallacia est Sectariorum in hoc verbo, iustificare: quia non vna res est, iustificari, & saluari. Paulus dicit ad Roman. 3. Iustificati gratìs gratia ipsius. & 8. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. Ex his locis appáret, Apostolum distinguere inter gratiam & gloriam, inter iustificationem & salutem.

Secūdum verbum, quo fallaciter vtuntur Sectarij, est Fides, dum dicunt, Sola fides iustificat, id est, efficit iustificatiōem, non autem requiritur vllum opus: atque sic habens fidem, habet & iustificationem & salutem. Vndè sola fides hominis iustificat, probum, beatum ac saluum facit: sed dicimus hanc esse deceptionem Sectariorum. Fides enim in homine & Deus non est vna eademque res: sed Deus est qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem, vt inquit Apostolus Roman. 3. quòd si Deus iustificat fide & per fidem, ergò non sola hominis fides hoc facit: nam fides est veluti instrumētum, per quod Deus iustificat: ergò non fides ex sese aut propria virtute iustificat. Deindè fides accipit oblatam gratiam & retinet, sicut testa nucleum: ergò gratia Dei quę iustificat, primùm gratis offertur: deindè il- II.

lam

lam cupit & accipit fides: postremò, accepta gratia, non est vacua, 2. Corinth. 6. sed operatur. Dispositiuè ob id fides iustificat, sed Deus effectiuè sua gratia: quoniam ergò fides sinè gratia, testa est sinè nucleo: ideò non prodest ad salutem sinè gratia, neq; iustificat aut probum facit. Deniquè fides nõ est gratia, sicut nec testa nucleus: sed fides potiùs donum gratiæ & fructus Spiritussancti est, Galat. 5. ergò non sequitur, quòd habẽs fidem, habeat & gratiam, id est, iustificationem & salutem. Dæmones enim fidem habent, sed non gratiã iustificationis, Iacob. 2. quarè non sequitur, sola fides saluat, sed præexigit gratiã præcedentem, & opera subsequentia bona: efficit ergò gratia iustificationem, sed fides & opera retinent, quarè hęc tria simul exiguntur ad consequendam salutem.

III. Tertia Sectariorum fallacia est in verbo, Promissio: cùm dicunt, promissio salutis siue gratiæ propter solam fidẽ in Christum facta est, & non ꝓpter aliquod opus, nec propter vtrunque, sed pro sola fide, ideò opera non sunt necessaria, Roma. 4. ergò propter fidem facta est promissio, vt sit firma: sed si esset promissio etiam propter opera, nunquàm esset firma: nũquàm enim satìs operari possumus, ergò propter solam fidem constat ꝓmissionem esse factam salutis. Respon. Promissio iustificationis promittitur absque merito præcedentium operum legis, sicut Apostolus loquitur. Sed promissio salutis, non propter solam fidem, sed & propter opera ex fide facta, ex gratia fit atque promittitur: nam Luc. 6. & Matth. 6. dicitur: Si dimiseritis, dimittetur & vobis &cęt. Credas quãtum voles, nisi & opus fidei ostenderis, non accipies promissam salutem. Ideò non solùm pro fide, sed etiam pro operibus simul facta est promissio salutis. Habẽt enim opera suas à Deo magnas promissiones, sicut & fides, vt testant Euangelistæ Matth. 25. 19. 16. 10. 5. Quarè differẽtia est inter promissionem gratiæ iustificationis, & promissionem gratiæ salutis: harum prima fit gratìs sinè iustitia operum legis propter fidem in Christum, altera verò præsupponit & exigit opus, cui ex gratia promittitur & donatur vita, vnusquisq; mercedem accipiet secundùm laborem suum, 1. Corinth. 3.

IIII. Quarta falsificatio Sectariorum est, hoc nomen, Spiritus, quo contra opera argumentantur, sic nimirùm: Si spiritus intùs credit in Christum, tunc sanctus est, & satìs habet ad salutem, & liber est ab omnibus operibus exterioribus, vt sunt vestitus, delectus ciborum, cultus cæremoniarum, castigatio corporis &c. omnia hęc nõ possunt sanctificare spiritum obseruata, neq; labefactare neglecta: & hæc est spiritûs ac fidei iustitia, credere quoniam propter solum Christum, & nõ ob vllum respectum operum iustificamur: igitur spiritualis potest omnia reijcere sinè periculo. Respondeo, Apostolus ad Rom. 8. inquit: Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: atqui Spiritusancto mortificare facta carnis, quæ enumerantur Galat. 5. quomodò quis potest, nisi per bona opera ac virtutes, tanquàm per contrarium remedium, sicut luxuria per continentiam mortificatur, gula per ieiunium, ira ac dissidium per concordiam, secta per obedientiam &cęt. Solum ergò spiritũ magnifacere intùs, & foris opera carnis facere, qualis tunc erit ille spiritus? Ob id Apostolus commemorat fructus spiritûs Galat. 5. esse dilectionem proximi, patientiam, mansuetudinẽ, castitatem, fidem, misericordiam &c. Hos fructus si parit spiritus Sectariorum, totus mundus iudicet: faciunt igitur hæc exteriora ad conseruationem sanctitatis spiritûs intùs, siue sit delectus ciborum, seu vestitus: suntque signa fidei interni spiritûs cæremoniæ seu cultus Dei. Igitur non solùm externã iustitiam operum sinè iustitia cordis intùs exigimus, sicut Pharisęi faciunt, neq; solùm internam iustitiam cum abiectione exterioris, sicutì Sectarij faciunt: sed vtranque iustitiam cordis & corporis, intùs & foris, & quoniam hoc non faciunt Sectarij, ob id mundanis placent.

Quintum est tonitruum Sectariorum,
quo mundum replent, nempe, verbũ Dei, V.
& hoc purum & clarum, quod ipsi scilicet soli habent: à cęteris verò omnibus erratũ est hactenùs: aliorum interpretatiões sunt opiniones & traditio hominũ &c. Ad hoc paucis respõdeo, quandò solum vnum est Dei verbum, vna spes vocationis vestræ, vna fides, vnus Baptismus, vnus Dominus Christus, vnus Deus, Ephes. 4. & hæc fuerunt ante tempora istorum Sectariorum, quãdò multi sancti miraculis & sanctimonia vitæ claruerunt & saluati sunt: quis adeò seipsum decipere vellet, vt credat ac sibi certò persuadeat, nunc verbum DEI solum ad illos apostatas Ecclesiæ volâsse, & non potiùs apud antiquos sanctos Patres fuisse? aut dicere velle, illos oĩes verbo Dei caruisse, & dãnatos esse, Sectarios

verò

verò apostatas saluatos? absit hoc. Verbũ enim veritatis semper fuit in Ecclesia Catholica, quæ ob id, quia verbum Dei habet, dicitur firmamẽtum & basis veritatis, 2. Timoth. 3. Nemo igitur sinat se per fallacias verborum à Sectarijs decipi &c.

DE STROPHIS AC MENDACIIS SECTARIORVM, quibus impugnãt Ecclesiam.

Cap. 10.

Apostolus ad Ephes. 4. admonet, dicens: Deponite fratres mendacium, & loquimini veritatem vnusquisq; cum proximo suo, quoniã inuicèm sumus membra. Et Propheta quoquè Dauid inquit Psalm. 5. Perdes omnes, inquit, qui loquuntur mendacium: quarè dubium non est quin grauissimè peccent, quicunque alios per mendacia grauant aut denigrant: est enim opus diaboli, qui dicit pater mendacij, Iohã. 8. quo fit, vt omnes sectarij ab illo moueantur, qui Catholicam Ecclesiam, doctrinã, cæremonias &c. per mendacia apud plebẽ imperitam calũniantur: faciunt verò hoc, quum ipsi causam non habeant bonam, & Ecclesiam cum veritate vincere vel impugnare non possunt, ꝙ ipsa sit fundamentũ veritatis: faciunt quoquè in eum finem, vt simplicioribus ac suis sequacibus fucum faciant, & sua dogmata noua statuant.

I. mendacium. Primò enim inquiunt: Papistæ docent opus operatum iustificare hominem, & salutem mereri, atq; sic Christus gratis venit, Galat. 2. Sola enim fides saluat &cæt. Hoc ipsorum mendacium quàm enorme sit, neminem latere puto: Catholici enim docent, hominem gratia Dei sinè merito operum præcedentium legis, sola fide in Christum iustificari, & peccata remitti in baptismo propter Christum, Rom. 3. gratis iustificati estis gratia ipsius: deindè docemus, quòd iustificatis, pro operibus ex fide & gratia factis, donatur à Deo vita æterna, idq; ex gratia, non quòd opera nostra hanc fuissent sua dignitate promerita. Sumus enim serui inutiles, Luc. 17. Sed quia ipse DEVS ex gratia & misericordia vult donare, & donat ex bonitate vitam, cui licet facere cum suo quicquid vult, Mat. 20. Quòd autẽ ex gratia & misericordia opera nostra talem coronam accipiunt, hoc Christi passio fecit: ipse meruit hanc gratiam, vt impertiatur operibus nostris credentibus in Deũ: differt ergò plurimùm, dicere nos mereri vitam operibus operatis: Et, Deum ex gratia & misericordia donare vitam æternã pro factis operibus nostris: sic Deus donat agricolæ pro paruo cultu ac labore terræ vberem copiam frumentorum, non quia agricola labore suo exiguo hoc meruit, sed quoniã Deus bonus est, & sic suã bonitatem impartit operi vel culturæ agricolæ, quem ipse creauit, vt terram coleret: at nisi agricola faceret suum opus, non acciperet benedictionem Dei: ità absque operibus fidei vita nõ datur, licèt dum donatur, hoc non fit ex merito operum: nam gratia Dei vita æterna, Roman. 6. Et per gratiam Domini nostri IesuChristi credimus nos saluari, Acto. 15. Nec idem sunt, iustificatio & saluatio: Iustificatio nõ exigit opera legis præcedentia: nam & gentes non obseruantes legẽ, fide in Christum iustificati sunt gratis, Rom. 3. at iam iustificati gratis, vt consequamur salutem & vitam, gratia non debet esse vacua, 2. Corinth. 6. sed operansi ob id opera bona, ad quæ creati sumus, tenemur facere, pro quibus ipse Deus vult ex gratia donare vitam æternam. Sic enim promisit Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, &c. Patet ergò quàm mendaces sint Sectariorum linguæ, nobis objicientes opus operatum sinè iustificatione, gratia, & fide, quatenùs doceamus nobis per hoc constare salutem: attamen penè totum mundum infecerũt hoc mendacio, quod in Catbolicos finxerunt.

Secundum ipsorũ mendacium est, cùm inquiunt: Papistæ non prædicant purum verbum Dei, sed opiniones hominum & mandata docent: quia verò in verbo Dei viuit homo, ideò sunt occisores animarũ, nullam consolationem turbatis conscientijs afferentes &c. Respondeo, nos docemus Euangelium ad intentum ac mentem Christi: mentem autem Christi tota Ecclesia hactenùs tenuit ac defendit, quam ipsa habet ex instinctu Spiritussancti, qui per Patres & Apostolicos viros hucusquè locutus est: quandò igitur super textum Euangeliorum aut Prophetarum allegamus expositiones & sententias Patrum atque ecclesiasticorum scriptorum, tunc nõ simpliciter hominum commẽta, sed ipsum intentum Christi allegamus, quod ipse inspirauit sanctis Patribus, & quod hi vnanimi consensu tradiderunt nobis. Hæretici autem & Sectarij verbum Dei ad aliud intentum siue mẽtem, quàm Christi vel sanctorum II.

ctorum Patrum, docent & torquent. Et
hoc quidem loco quæstio est, vtrùm secta-
riorum de verbo D E I intentum, an verò
nostrum verius & ꝓbabilius sit. Nostrum
verò esse intentum vel intellectum verbi
Dei, probat communis consensio & qua-
si harmonia Doctorum Ecclesiæ, quos se-
quimur: deindè probat hoc Doctorum
sanctimonia vitæ, illuminatio, & mode-
stia: & illud est, quod Apostolica vox à no-
bis exposcit, Roman. 15. vt idipsum sapia-
mus, credamus & doceamus. Sed si hæc re-
quiris in sectarijs, quomodò ipsorum in-
tentum ex verbo D E I potest esse verum,
cùm inter ipsos sectariorum duces prima-
rios sint ferè tot & tam diuersa intenta &
expositiones, quot Doctores habent? Ex-
emplis plena sunt omnia, vt passìm indi-
cauimus. Si verò sanctimoniam vitæ, ac
modestiam illorum adspicias: an non ma-
xima illorum pars sunt fugitiui Monachi,
soluti, carnales, Magistratum blaspheman-
tes, & non cum modestia aut lenitate rem
fidei tractantes, sed cum meris conuicijs,
acerbis scommatis, subsannationibus, &
famosis picturis suum intentum & glos-
sas defendentes? tantum abest vt à Spiri-
tusancto illuminati, miracula ediderint,
cùm quidā eorum ipsemet in scripto suo
fassus sit, se sathanam non satis benè posse
obseruare & cætera. De sanctorum autem
Patrum atque Episcoporum miraculis per
spiritum Dei factis, satis tradunt omnes
Ecclesiasticæ Historiæ: & hoc præter alia
maximè arguit ipsos Patres Ecclesiæ, cùm
verbi D E I intentum atque intellectum
populo proponerent, aut scriptis suis tra-
derent, habuisse Spiritumsanctum, & per
consequens vera docuisse, & intentum
Christi tenuisse. Prætereà quoniam Apo-
stolus iubet 1. Thessalon. 5. omnia proba-
ri, & quod bonum est, retineri: sic quoquè
sancti Patres & Doctores Ecclesiæ probâ-
runt glossas & intentum Hæreticorum su-
per scripturā: & quia nec Christi nec Ec-
clesiæ intentum, sed suum proprium & à
veritate Catholica (id est, communi con-
sensu) alienum haberent, ideò eos dānâ-
runt in Concilijs, & intētum ipsorum fal-
sum & Hæreticum esse declarârunt. Scri-
ptura enim siue verbum Dei, non est pri-
uatæ interpretatiōis, vt dicit Petrus, id est,
vnius vel trium sectariorū, sed totius con-
sentientis Ecclesiæ. Taceant ergò Hære-
tici cum suo impudenti mendacio: non
enim Catholici hominum decreta aut opi-
niones, sed Christi & Spiritussancti inten-
tum ac mentem in verbo Dei docent.

Tertium mēdacium est, quandò aiunt, III.
Catholicos tātum dimidium accipere Sa-
cramentum, & non totum, quia alterā spe-
ciem calicis recusant cōtra institutū Chri-
sti &c. Respond. Hæretici mendaces di-
cunt & credunt dimidiati posse Sacramen-
tum corporis & sanguinis Christi, quod
horribile est asserere: at sancta Catholica
Ecclesia credit Sacramentum hoc diuidi
non posse, sed sub qualibet specia esse &
contineri totum & integrum Sacramen-
tum: atque ob id sumpta vna specie, totum
Sacramentum sumitur. Ad Roma. 6. Chri
stus resurgens ex mortuis, iam non mori-
tur: mors illi vltrà nō dominabitur. Ergò
impossibile est vel sanguinem eius à cor-
pore, vel corpus à sanguine posse diuidi:
quandò ergò hoc corpus Dominicum su-
mitur, simul corpꝰ & sanguis sumitur: nec
opùs est bis sumere sanguinē: nec illa clau-
sula Christus voluit omnes designari ho-
mines, cùm tātùm ad duodecim homines
ille sermo factus sit, Bibite ex hoc omnes: Mat. 26.
oportuisset enim tunc ex iussu Christi oēs
homines bibisse ex eo calice, quē satìs ma-
gnum fuisse conueniebat, nam sequitur in
Marco: Et biberunt ex eo oēs. Nunquid Mar. 14.
oēs homines qui tunc credebant? an tan-
tùm Apostoli? Quarè tantùm ad Apostoli-
cos viros, id est, sacerdotes consecrantes &
facientes hoc corpus Dominicum, illa vox
refertur: illos decet institutum Christi ob-
seruare in sumendo, cōsecrando & dispen
sando hoc Sacramentum: omnes laicos nō
decet. Si enim hæc vox ad laicos vel mul-
titudinem referri debet, tunc etiam alia
vox, (apud Lucam cap. 22. & Apostolum
1. Corinth. 11.) Hoc facite (id est, conse-
crate hoc corpus meum) in meam cōme-
moratiōem: ad ipsos laicos referret, quod
tamen solùm sacerdotes decet, id est, Apo-
stolicos viros &c. Ostendant ergò & pro-
bent Sectarij laicos nostros incurrere da-
mnationē, eò quòd vnam speciem sumūt,
aut probent quòd dimidium tantùm su-
mant Sacramentum, cùm illud diuidi non
queat: sed væ potiùs ipsis, qui Christum in
duas partes diuidunt. Nam si in Sacramen-
to est verus Christus, ergò Christus, qui Rom. 6.
adhuc semel non moritur, in duas distin-
ctas partes diuidi non potest: Nullum est
igitur periculum Catholicis laicis, cōmu-
nicantibꝰ Christum sub vna specie vel pa-
nis, vel vini: Christus enim vbiquè manet
totus. Atque sic patet hoc ipsorum men-
dacium. Quid quòd & primarius ipsorum

author Luterus, mendaciorum egregius artifex, ſcripſit in libro de officio Miſſæ, quòd ſi pontifex iuberet omnes vtranque ſpeciẽ debere ſumere, tum ipſe vellet docere, vt omnes vnam ſpeciem ſumerent?

IIII. Quartum Sectariorum mendacium, quòd dicunt Catholicos ſacerdotes iterùm crucifigere Chriſtũ in Miſſa ſua, Chriſtum ſemel oblatum fuiſſe, Hebre. 9. & non eſſe tam grande peccatum ſi quis ſtupret virginem, quàm ſi quis Catholicorum Miſſam audiat, & excedere om̃ia peccata mundi, eſſe abominatiõem, einen grewel. Reſpondeo, hoc Huſiticum & Vuicleffiticum eſt mendacium, in merum odium Cleri & Sacerdotum excogitatum, & ad inſtigationem Principum, vt extincto ſacerdotio, bona Eccleſiæ rapiant: Eſt verò Miſſa Catholicorum, verum ſacrificium gratiarum actionis pro redemptione noſtra: deindè eſt propiciatorium ſacrificium, quo propter ipſum Chriſtum, quem offerimus Patri, petimus nobis donari remiſſionem peccatorum, & omnibus tam viuis quàm defunctis hoc ad ſalutem ipſorum confert, modò ſint in vnitate Eccleſiæ. nam Pater propter Filium nihil nobis negat, ſicuti rex offenſus, cui offertur dilectus filius pro interceſſore, non vt occidatur, ſed vt honoretur potiùs &c. Deindè, Miſſa eſt commemoratiuum ſacrificium illius nimirùm cruẽti ſacrificij, in cruce per Chriſtum ſemel facti, quo redempti ſumus. Habet enim tria nomina hæc Miſſa, nempe ſacrificium gratiarum actionis ſiue Euchariſticum, ſacrificium propitiationis vel reconciliationis, & Sacrificium memoriç paſſionis Chriſti: non autem ſacrificium pœnale vel cruentæ crucifixionis, vt impiè nugantur & blaſphemãt damnati hæretici. Porrò ſcriptura varia cõmemorat Sacrificia, nempe ſacrificium laudis, id eſt, confeſſionis fidei in Chriſtum, de qua Pſalm. 49. Sacrificium laudis honorificabit me: item Sacrificium ſpiritûs contribulati, Pſalm. 50. Sacrificia vel hoſtia corporis noſtri, Roma. 12. Item ſacrificium operum noſtrorum, quemadmodùm opera bona hoſtias vocat Apoſtolus Philip. 4. Sed in nullo iſtorum ſacrificiorum eſt mactatio. Sic quoquè in ſacrificio Miſſæ nulla eſt mactatio, ſed gratiarum actio, petitio reconciliationis, & commemoratio paſſionis amarç Chriſti, & manebit ſacroſanctum hoc Eccleſiæ Sacrificium vſq; ad conſummationem ſeculi, etiamſi rumpantur ilia Hæreticis ac ſectarijs.

V. Quintum mendacium eſt, cùm aiunt Catholicos Pontifices & Epiſcopos eſſe Tyrannos, eô quòd prohibeant ea, quæ DEVS libera eſſe voluit, ſcilicet Matrimonium ſacerdotum, delectum ciborum, diẽs feſtos ſtatuant; ieiunia, vota Religionum & caſtitatis &cæt. & ſic Chriſtianos grauari mandatis & oneribus, quæ portare vix Iudæi poſſent, & quòd faciant contra libertatem Euangelicam. Reſpondeo, Hoc eſt Pickardicum mendacium, qui falsò imponunt Eccleſiæ, quaſi denegaret coniugium, quod nunquàm liberis & ſolotis negauit, ſed potiùs honoratur in Eccleſia, iuxta illud Pauli Hebr. 13. Honorabile inter omnes coniugium & torus immaculatus. Sed votiuis & conſecratis, qui ſolenni emiſſo voto promiſerunt Deo & Eccleſiæ continentiam, tantùm recoſat, ſicuti etiam negat viro qui ſemel com aliqua contraxit vxore coniugium, aliud ipſa viuente vel Matrimonio ſtante contrahere, etſi pœniteat eum voti prioris: iubet enim Scriptura obſeruare emiſſum votum. Eccleſ. 5. Si quid vouiſti DEO, nè moreris reddere: diſplicet enim ei ſtulta & infidelis promiſſio. Sed quodcunque vóueris redde. Multoque melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. Deindè ciborum delectus non ſimpliciter prohibetur. Scit enim Eccleſia, omnia munda eſſe mundis, ſed tantùm abſtinentiam illorum in ſtatotis diebus: Tit. 3. Sic iubet dies Feſtos celebrari, vt nos in illis ſanctificemus, & memoriam ſanctorum martyrum CHRISTI celebremus. Quòd ordinat ſacerdotes, hoc ſit in miniſterium myſteriorum DEI: licèt enim omnes ſimus Spirituales ſacerdotes, tamen non omnes Eccleſiaſtici vel miniſtrantes. Neque his operibus docemus Satisfactionem, ſecluſo CHRISTO, ſed diminutiõem pœnarum pro peccatis promeritis, & participationem acquiſitæ ſalutis & remiſſionem peccatorum per Chriſtum: at ſingula peruertit & falsè exponit Hæreticorum mendax lingua. Ad hæc referuntur ieiunium, Sabbathi celebratio, cæremoniarum cultus, ac operum bonorum frequentia, quatenùs communicemus & participes fiamus meriti & ſatisfactionis Chriſti. Ipſe Deus pro huiuſmodi operibus promittit donare prçmium, non vt hoc mereant opera, quia nos noſtris factis & labore ſerui inutiles ſumus, Luc. 17.

Sed

Sed quià ipse Deus vult dare bonis nostris factis ex gratia præmium vitæ, & non cupit sibi gratis seruiri: quarè Christianus non potiùs bona opera deberet facere, quàm ea abijcere?

VI. Sextum mendacium ipsorum est contra Religiosos siue Monachos, cùm inquiunt: Monachi opera sua vendunt, & quandò moriuntur hi qui emerunt, cappas eis induunt, & sic volunt iustificari & saluari, quasi non Christus satis esset ad saluandum, &cæt. Respondeo: Hoc fugitiuorum & Apostatarũ Monachorum est mendacium, iuxta commune illud dictum: Omnis Apostata psecutor est sui ordinis. Participatio verò bonorum operũ in scripturis fundata, à Monachis pauperculis prædicata est. Nam credimus communionem Sanctorum, & Propheta Psalm. 118. ait: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Et I. Corinth. 9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnũ est si carnalia vestra metamus? Venditio verò operum, nullo modo potest probari, sed participatio illa ostendi potest ex Scriptura. Quòd verò rident, mortuis cucullas indui, de risoribus & osoribus capparum mirum non est. Quid enim illi in Religiosis non rident? Induitio autem ea fit in signum veræ pœnitentiæ, in qua mortui sunt, maximè quandò peccatrix vita præcessit: non vt hæc cuculla efficeret remissionem peccatorum. Hoc enim & absurdum est dicere, & nunquàm auditum: & Papa indulgentijs iuuat pœnitentes ex pietate, quatenùs anima pœnitentis citiùs consequatur remissionem peccatorum, non ꝓpter asseruationem cucullæ. Quarè induimus pullum & nigrum vestitum in funere, nisi ad testandum mœrorem & luctum? num illorum niger vestitus confert ad salutem defunctis? ità ad signum luctûs pro commissis peccatis cucullas induunt religiosi &c.

VII. Septimum mendaciũ est, quandò aiunt Catholicos esse idololatras, adorãtes Sanctos & inuocantes eos, & eorum imagines tanquàm idola venerantes: est enim Christus vnicus mediator &c. Respondeo: Hoc est Vualdensium asinorum mendacium: nam nos non adoramus, sed veneramur sanctos Dei: sicut seruus dum ad regẽ pro patrocinio mittitur, nó ipse adoratur, sed honorat̃ potiùs, quòd tali officio dignus reputatur: ità nó cedit in iniuriam aut defraudationem honoris Christi, licèt sancti eius honorentur & inuocentur, vt pro nobis apud Christum intercedant: solus enĩ Christus est mediator nostræ redemptionis: Sancti autem sunt intercessionis mediatores. Vide latiùs in capit. de venerat. Sanctorum &c. Summa, Theologia sectariorum quam proferunt contra Ecclesiæ dogmata, in his ferè elucescit: meritorios seu mercenarios nos vocant in merito bonorum operũ, quasi hoc exigamus à Deo sinè gratia, velutì mercenarius suam mercedem promeritã exigit: Missam nostram sic calumniantur, quasi sit mactatio pœnalis, qua Iudæi eum in cruce affecerũt: confessionem & castigationem corporis, vocant torturam lictorum: inuocationẽ Sanctorum, adorationem vituli: Monasticam vitam, pharisaismum, id est, fiduciam operum legis &c. sed Deus iustus iudex hæc omnia dijudicabit, vndè Propheta inquit Psalm. 5. Linguis suis dolosè agebant, iudica eos Deus: Venenum aspidum sub labijs eorum. Quòd si vera essent illa, quæ nobis hęretici obijciunt, meritò damnaremur cum tota Ecclesia, quæ illa seruat & docet. Sed hoc absit, vt quod verum est, hoc falsum censeatur: sed quia impossibile est illa vera esse, quæ in nos fingunt sectarij, ergò ipsi impudentissimè mentiuntur, & grauissimè peccãt, quòd ità per sua mendacia Ecclesiæ fidem & authoritatem furãntur, & in mundo, cuius satan est princeps, & ipsi satellites eius, falsò traducunt. Sed manet ipsos Diuina sententia iustissimi iudicis, de qua Dauid dicit: Perdes oẽs qui loquũtur mendacium: nobis verò restat corona Matth. 5. Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint oẽe malum aduersùm vos, mentientes, propter me, &c.

(margin: 1. Tim. 2.; Psal. 5.)

DE CALLIDO CONATV SECTARIORVM, VT CATHOlicam plebem ad suam sectam pertrahant. Cap. II.

CHristvs iubet nos orare & vigilare, nè cadamus in tentationem, eò quòd diabolus non dormit, nec Iudas, nec mundus in maligno positus: & satan semèl proiectus, non potest quiescere, donec omnes sibi subiecerit: ità quoquè Sectariorum studiũ est & inquieta machinatio, vt quatenùs fieri posset, omnes populos & omīa (margin: Mat. 24. 25. & 26.)

 regna

regna pertrahant in rete diabolicum, hoc est, ad sectas, vtq; omnes alienent ab obedientia Ecclesiæ Catholicæ. Ob id plurimùm necessarium est Catholico homini, vt diligenter sibi caueat ab his seductoribus, vt vigilet & oret, nè inducatur in illam sectariorum tentationem. Sunt enim venatores diaboli, vt capiant animas: ideò,
Mat. 23. vt in Euangelio dicitur circumeunt mare & aridam, vt faciât vnũ proselytum: & cùm factus fuerit, faciũt eum duplo magìs filium gehennæ quàm ipsi. Ità si sub obedientia ecclesiæ existens peccator, semel fuit filius gehennæ, iam extra obedientiam & vnitatem ecclesię existens peccator, in duplo efficitur filius gehennæ. Sed væ huiusmodi Pharisæis, & subdolis operarijs.
Laquei seu pedicæ v. Habêt verò Sectarij laqueos ac pedicas quinque, quibus student illaqueare & captiuare Catholicos, nempe prędicatione, compaternitate, copulatione coniugali filiorum cum filiabus, solennizatione cęremoniarum sectariarum, quę pręsentia Catholicorum approbetur, & denique conuiciorum frequẽti congerie aduersùs abusum Ecclesię, Episcopos, Papã, Monachos &c. hisce quasi decipulis multos incautos ad se pertrahunt.

I. Primò, prædicatione sua multos peruertunt: nam sæpè rogant ac solicitant, vt vel semel audiatur ipsorum concio: sed hoc malũ est à satana haud dubiè in corda hominum ingeneratum, vt semper deteriora sequantur faciliùs quàm bona, & peiora semper in animis nostris tenaciùs hæreant: atque nouitate dogmatum Sectariorum multi magìs, quàm antiqua & vera Catholicorum doctrina gaudeant: & illã corruptionem habemus à natura primorum parentum. Màluit enim Eua & Adam vocem mendacem & mellitam serpentis, quàm Dei creatoris audire, Genes. 3. Sic Iudæ proditori citiùs assensum præbuit po-
Mat. 26. pulus Iudaicus, quàm ipsi Christo, licèt plurima signa & miracula fecisset. Et adhuc peruersa natura hominum libentiùs audit iocos, obscœna, fabulas & alia, quàm res honestas, veras, & laudabiles: vndè Pau-
1. Co. 15. lus non frustrà prohibet tales sermones & colloquia praua, quæ mores corrumpunt bonos &c. At si venerit Sectarius ad concionem Catholicorum, rarò & non sinè magno miraculo cõuertitur ad fidem Catholicam: ratio est, quia spiritus hæreticus non permittit, sed vel audita interpretatur malè, aut vehementiùs contemnit, & à satana fortiùs tenetur, quàm vt resipiscere possit, sicut spiritus proditoris Iudæ non admisit pœnitentiam, etiam audito verbo Christi: Amice, ad quid venisti? Matt. 26. Ideò Apostolus ad Roman. 16. inquit: Per dulces sermones & benedictiones, quibus sua commendant & aliena condemnant, seducunt corda innocentium, non Deo, sed suo ventri seruientes. Quũ ergò Christus iubet cauere falsos Prophetas Mat. 7. ob id caueat Catholicus sermones ac conciones Sectariorum tanquàm Iudæorum & Ethnicorum: & pluris ipsi sit salus animæ: quàm fauor ac placentia hominum. Ideò autem Sectarij quotidiè ferè concionantur & multiplicant sermones suos, vt hac tanquàm esca capiant animas vulgi, & omnem obedientiam Ecclesiæ ab illis auferant.

Altera decipula vel laqueus est compaternitas: nam quos mouere non possunt prędicatione aut concionando, eos allicere student externa quadam amicitiæ specie, dum eos ad compaternitatem prouocant, quo vel sic Catholici ipsorum Baptisma, formam & modum Germanici idiomatis audiant, & vel sic eis citiùs assentiantur, & habeant occasionem ipsorum cæremonias approbandi. Sic obtulit filios mater Zebedæi, vt propter propinquitatem sanguinis propiùs Christo assiderent: sed audiunt: Nescitis quid petatis, Matth. 20. Volunt enim mures & glires semper esse cum hominibus, & alia animalia venenosa nõ sinè periculo & damno hominum. Sic sectarij se libenter admiscent alijs, vt cum illis commercium faciant, & tandèm eos per familiaritatem seducant: sed quoniam Baptismus extra Ecclesiam inefficax est, & tu nescis an rediturus sit puer ille, quem suscepisti, ad vnionem Ecclesiæ, vt Baptismus eius fiat efficax: noli puerum deludere, & eum in periculo ponere salutis, sed abstine, & detrecta fieri compater extra Ecclesiam: si autem Catholicus Baptismus à te celebrari petitur, tunc paratus esto: Et quoniam plùs hominum fauor quàm Dei timor regnat in multis, ideò sunt peiores mulieribus gentilibus vel ægyptiacis, quæ nolebant Iudæorum filios occidere, Exodi 1. illi autem occidunt animas, & priuãt salute, similes Herodi, qui pueros innocẽtes occidit. Matth. 2. II.

Tertius laqueus est ipsa copulatio & conglutinatio coniugalis, quandò Sectarius cum Catholica, vel è diuerso, copulatur, III.

tur, consentientibus parentibus, vt careant ipsorum præsentia in domibus proprijs: tunc non animabus, sed diuitijs consulitur: & tunc alter alteri laqueum ponit, & inimicitias mouet, vt alter alteri in religione cedat, & ei subscribat: sæpè autem Sectaria pars alteram supplantare studet: Et tunc conueniunt amici & parentes, & ineunt inuicèm amicitiam: tunc de religione CATHOLICA nulla est quæstio, sed semper adstipulantur Sectarijs, idque causa contractæ semèl amicitiæ seruandæ: tunc perit & negatur fides CATHOLICA, & tunc fit sicut fecerunt mulieres & filiæ Moab viris Israelitis, qui nolebant illis consentire, ornatæ specioso ornamento & vestitu ad actum carnis, nisi consentirent in adorationem idolorum suorum, Numer. 25. quo facto, posteà horrendà plaga venit super populum illum, &cætera. Et Cyprianus Sermon. 5. inter peccata quæ maximam plagam Dei merentur de lapsis, & hanc copulationem meminit. Sed quoniam non est Matrimonium sinè peccato inter CATHOLICVM & Sectariam, sicut inter Iudæum & Christianam, neque pax conscientiæ, sed semper inquietudo & periculum: ideò nulla virgo patiatur se sic copulari à parentibus: nam parentes non habent potestatem animam filiæ tradere marito Sectario, sed corpus: ideò reseruet Deo spiritum in fide mundum, &c.

IIII. Quarta decipula Sectariorum est, approbatio solennitatum à CATHOLICIS, id est, dum CATHOLICI, & maximè spectati homines, ducunt sponsam ad ECCLESIAM Sectariam, & ibi manent & audiunt eorum Cæremonias, atque tandèm approbant vel studio compaternitatis, vel affinitatis ex contracto filiorum connubio: aut dum ex æquo cum Sectarijs in diebus prohibitis vescuntur carnibus, hi tum nolunt censeri Sectarij, & nihilominùs intrant CATHOLICAS ECCLESIAS, approbantes interìm Schismaticorum solennitates cum magno scandalo infirmorum Catholicorũ, sicut Iudas nolebat esse vnus de turba quę captiuauit Christum, sed nihilominùs prodebat ipsum, quanquàm volebat esse amicus Christi & eum osculabat, Mat. 26. sed cum magno scandalo aliorum discipulorum & nõ sinè maximo periculo animæ suæ, sub specie virtutis tradidit Christum. Tales sunt claudicantes in vtranq; partem, neque calidi nec frigidi, neque Martyres neque Confessores, tales vehementer arguit Helias 3. Reg. 18. Vnum pedem tenent in aqua, alterum in arida. At Daniel non potuit à Chaldęis trahi ad cultũ Deorum, neq; Tobias ad venerationem vituli. Vide latiùs cap. de periculo claudicantium &c. Dan. 1. Tob. 1.

V. Quinta decipula est Sectariorum, qua rudem plebem in suam sententiam pertrahunt, nempè conuiciorũ in Cathedra congeries & summa importunitas contra Catholicã ordinariã potestatem, Episcopos, Sacerdotes, contra ipsorũ dogmata, cæremonias, concilia, opera &c. quia sciũt eiusmodi, si criminentur, placere populo: tales enim sunt ad vnum oẽs, vt aurib⁹ prurientibus animalis populi, qui ad malũ potiùs quàm ad virtutẽ & disciplinam, ad nouitatem potiùs quàm ad veritatẽ est propensus, tãquàm callidi fabularũ comici, vt populo placeant suæ fabulæ, inseruire artificiosè nouerint. Vtũtur verò primũ in exordijs sacris Scripturæ verbis, blanditijs, hortationibus, promißionibus, sicut Absalon suauibus verbis corda virorũ aduersùs patrem suum allexit, 2. Reg. 15. Commendãt suæ sectæ nobiles & potentes Patronos, principes, duces, comites & quandoquè reges, & per cõparationem nostros esse attonitos, obstinatos & nullius potentiæ hoẽs asserunt: quòd si tamen cogitãt, nostros esse nobiliores ac potẽtiores multitudine ipsis oẽibus, tunc confugiunt ad conuicia, calũnias, detestationes, detractiones, defamationes, nominantes ipsos Catholicos ignominiosißimis vocabulis, quę non concionatores, sed impuros scurras (holhipper) decent, nec vllo parcunt mendacio, ira efferbentes, vultũ mutantes, manibus & pedibus ac furiosis motibus terram & cathedram concutientes, ità vt manifestè videre poßis, eos non spiritu Christi, cuius sese ministros impudentißimè iactant, sed satana infernali, id est, diabolo calumniatore agitari: non enim spiritus DEI, sed diabolus calumniator eos hæc conuicia & calumnias docuit. Rationem verò quarè Hæretici ac Sectarij sic calumnientur Catholicos, exprimit ipse Cyprianus lib. 1. Epist. 3. vbi inquit: Hæreticorum pectora & mentes diabolus possidet: quo fit vt hanc venenatam rabiem, quotidiè furiosã voce contestent. Et ibidèm: Arrogans ipsorum iactatio & conuiciandi libido, non de Christi spiritu, sed veri Antichristi nascitur: ideò & statìm

verbis eorum detegitur, an ipsi Christum, quem nominant, vel Antichristum in corde teneant. Sic Baptista inquit: Progenies viperarum &c. Matth. 3. Et Christus ipse Matth. 12. Progenies viperarum, quomodò potestis bona loqui, cùm sitis nequam? Item Matth. 23. Serpentes, genimina viperarum, &cæt. Sed nos ipsorum importunitatem & conuicia & mendacia non assis facere debemus, si veri Christiani esse velimus: de illis autem Scriptura sententiam fert, Gal. 5. Maledici & Sectæ regnum Dei non possidebunt.

DE PERICVLO CLAVDICATIONIS IN VTRANque partem Religionis. Cap. 12.

SAPIENS inquit Eccle. 1. Beneplacitum est Domino, fides & mansuetudo. Quasi dicat, qui nó est temerarius, vt fidem abijciat, & nolit Eccle. 1. doceri, sed qui in mansuetudine illam suscipit: &, nè accesseris ad Dominum duplici corde, id est, existens credens & non credens, sed vero ac toto corde accedas: ità enim diuinus Propheta dicit Psal. 118. In toto corde exquisiui te, nè repellas me à mandatis tuis. Nam alibi Scriptura comminatur illis claudicantibus & ambidextris sine neutralibus, cùm dicit Eccles. 2. Væ homini duplici corde. Et Iacob. 1. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. Dicit quoquè Ethnicus sapiens Cicero, Bonum & honestú virum in nullo officij ac vitæ genere claudicare, sed sibi perpetuò constare debere. Duplex verò Christiani hominis cor dicitur, quandò & tenet ac consentit cum tota Catholica Ecclesia, credendo & concedendo aliqua: deindè cùm stat & tenet ea quæ Sectarij adstruunt, aliqua apud illos approbans & credens: vndè cum Catholica religione vult dici Catholicus, habens fidem Catholicam in ore: sed quo ad Sacramenta, cęremonias, opera, cœlibatum, vota religionum, ac reliqua præcepta ecclesiæ, indulgentias, &c. approbat opinioné sectariorú: quo fit vt in animo sit diuisus, dum ore vult esse Catholicus, in corde autem & facto Sectarius. Sic multi cum Catholicis quidé intrant Ecclesiam Catholicam, nihilo minùs tamen & Sectariorú ritibus ac templis intersunt, in nuptijs, in compaternitatibus atq; alijs festiuitatibus, ipsorum cæremonijs & concionibus communicantes. Sed audiamus quid de talibus claudicantibus ac neutralib' verissimè dicat quidam ecclesiæ scriptor, cùm ait: Hęreses nó statim eradicátur, nimirùm vt probati manifesti fiant, nempe, vt quàm tenax & fidelis & fixus sit vnusquisqua Catholicę fidei amator, appareat: quidam enim sunt, qui planè ad hæresim aduolant, quidam verò perire cum hæresi metuunt, & redire erubescunt, semineces aut semiuiui, quippe qui tantam veneni hauserint quátitatem, quæ ipsos nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec viuere sinat, atq; sic malè penduli cordis afflictioné patiuntur &c. An nó eiusmodi homines etiamnùm apud catholicos ferè innumeros cernimus? Sed heu miseram ipsorum conditionem, qui ità in rebus sanctæ Religionis ac fidei dubio & incerto animo exagitantur. Sed vt sciant se in hoc grauissimè peccare, & pœnam diuinam nó effugituros, audiant verba Apocalypseos cap. 3. vbi legitur: Scribe viro qui est in Laodicæa, scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, vtinàm frigidus esses aut calidus: itaq; quoniá tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo, &c. Tali enim tepido homini claudicans & neutralis Catholicus cóparatur, vt & ipse ex ore proijciatur. Sicut enim humor aut cibus corpori non conueniens aut superfluus eijcitur, ità à Deo proijciuntur claudicantes in rebus fidei & ECCLESIAE suæ: atque ipsorum omnia opera sunt inualida & inefficacia. Helias Propheta tépore Baal, quo populus Israel in vtranque partem claudicare incipiebat, partim verum 3. Re. 18. templum Salomonis intrando & veros sacerdotes audiendo, partim verò templum Baal intrando, & eius sacrificos audiendo, & tandèm vtrunque vnum & eundem esse cultum reputando, aliqui verò neutri parti adhærentes, euanuerunt in cogitationibus suis: tum ipse accessit ad populum, vehementer ipsum arguens, & dicens: Quid hoc est? vsquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus DEVS est vobis DEVS, sequimini eum: si autem Baal vobis DEVS est, sequimini illum. Et confusus populus, non potuit ei respondere verbum, 3. Regum 18. Sic hodiè dicendum est illis claudicantibus & Neutralistis: Si fides Catholica & doctrina Ecclesiæ tibi probatur, sequere illam:

illam: si verò fides & doctrina sectaria in cæremonijs & alijs te delectat, sequere & applica te ad illam. Quid enim claudicas in vtranque partem, & tibi ipsi non constas? quandiù enim sic diuisus es animo, requiem in corde tuo habere nequis. Cæterùm & Augustinus dicit, permultos esse, qui etsi nolunt censeri & dici hæretici, libenter tamen audiunt hæreticos, sicut simulauit Herodes se non libenter audire
Marc. 6. petitionem filiæ petentis caput Ioannis. Sic & nostris temporibus sunt permulti tales simulatores. In communi quoquè laicorum genere sunt quidem multi corpore & præsentia in Catholicis parochijs vel templis, sed in ædibus suis legunt libros & postillas Coruinas, Luteranas, &cæt. vescuntur carnibus in ieiunio quadragesimali, laborant & sarciunt in festis SS. Apostolorum, & nihil curant sanctorum martyrum festa aut memoriam, clerum clàm mordent detrahendo, forìs reuerentiam exhibentes, ità vt magìs ob metum videantur esse Catholici, quàm ex corde: magìs enim homines quàm Deum aut salutem suam respiciunt: sed confundentur illi, quicunque propter homines faciunt ea quæ faciunt. Psalm. 52. Dissipabit Deus ossa eorum qui hominibus placent. Ex tali verò hominum more colligitur summa animorum inconstantia: & si tam leues sunt in rebus fidei & salutis, quanto magìs in secularibus? Scribit de hoc Eusebius lib. 1. Tripartit. historię cap. 7. quòd Constantinus Imperator Catholicus volens probare, quinam essent constantes Catholici Christiani, qui erant in suo palatio, edictum edidit, vt constituto die Christiani omnes & Consiliarij venirent, & idolis gentium sacrificarent, ità vt quicunque hoc facerent, illi in sua curia permanerent, & expectarent regia munera: qui autem nollent, vt illi exirent curia, priuati honoribus & stipendio consueto: accidit igitur, vt multi inter Christianos propter fauorem Imperatoris sacrificarent idolis, & quidem pauci recusârunt, & constantes in fide Catholica permanserunt, mâlētes quiduis pati & subire, quàm Christi fidem abnegare: Quod cùm videret Imperator, statim quasi mutato Consilio expulit è curia omnes quotquot idolis sacrificâssent, cæteros verò constantes Christianos in curia & familia sua retinuit, & magnis muneribus affecit, & hanc sententiam Christiano principe dignam, eis edidit, nunquàm fore principi suo fidelem, qui DEO suo non seruaret fidem, & tàm facilè propter homines & corruptionē munerum à fide Christi decederet: Quarè & hodiè illa claudicatio certum indicium est leuis & inconstantis animi: nam si hoc laudabile esset, vtiquè Maiores nostri, sancti Patres similiter fecissent, nec vllus Christianorum per suam constantiam Martyrium suisset passus: sed absit hoc: Illi enim constantissimi ac tenacissimi Catholici cùm nollent claudicare vel dubitare in suscepta semel Patrum suorum fide, nec in dogmate, Sacramentis, cæremonijs, glossis scripturæ conniuere hæreticis aut paganis, neque illis cedere in minimo, sed fixi ac constantes perseuerârunt, ob id se à lictoribus abripi, torqueri, & dirissimis capitis supplicijs affici patiebantur. Quales autem nostros esse dicemus, qui nedùm sanguinē vel martyrio, sed ne oris quidem confessione Catholicam fidem plenè ac integrè confiteri audent, sed vt vel placeant hominibus, vel quia timēt homines, claudicant, neque frigidi neque calidi, neque piscis neque caro existentes: & tantum abest vt inter ipsos, Martyres quidam efficiantur, cùm ne Confessores quidem Catholici ac constantes reperiantur. Sed quàm periculosum sit & quàm enorme vitium hoc, vel ex his colligi potest, eò quòd sit contra fidem, contra scripturam, contra obedientiam, contra salutem: primò contra fidei articulum, Credo vnam Catholicam Ecclesiam. Sed illa Ecclesia quæ vna est, & quæ Catholica dicitur, illa te non vult dubitare aut claudicare: nam in ea est veritas Scripturæ & verus intellectus, vera sacramenta & cæremonię, quandò ergò alterum pedem habes in sectaria, alterum in Catholica Ecclesia: non vnam, sed duas constituis Ecclesias, atque sic plusquàm hæreticus efficeris, cùm facias contra articulum fidei: deindè hoc peccatum est contra scripturam, quia dicitur 1. Cor. 1. Obsecro vos fratres per nomē Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia. Et Roman. 15. Deus patientiæ & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum secūdùm Iesum Christum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & Patrē Dñi nostri Iesu Christi. Quomodò tu idipsum & vnū sentis, qui ad vtranq; partem aures præbes, & vtriq; assentaris? Porrò est contra obedientiam superiorū

nam pontifex & sacrum Concilium, tum Imperator, illos pro sectarijs declarârunt, qui ità sentiunt, sicut tu ex parte sentis, & eos anathemate feriunt, qui ità sicut illi, credunt & docent: deniquè est contra salutem animæ, quia in ista ambiguitate & inconstantia non potes esse quietus, sed semper angeris animo, ità vt in fine vitæ sit desperatio timenda: deindè nulla opera bona siue eleemosyna, ieiunium siue oratio te iuuant, quia Deo non placent, cùm à duplici corde proficiscantur: nam vt dictum est, quia tepidus es & neq; frigidus neq; calidus, euoméris ex ore Dei, id est, reijcientur omnia opera tua &cæt. Non ergò vult Deus illam ambiguitatem vel claudicationem animi, sed integritaté ac mentis consonantiam, & obseruantiam vnitatis Ecclesiæ ac fidei, tum vniformis cultûs diuini: quomodò enim Deo, qui vnum & verum sibi semper simile existit, placere potes, cùm tecùm ipse non conuenias aut constes? iuxta communé sententiam: Conueniet nulli, qui secùm diffidet ipse. At inquis: hodiè sic mos est etiam inter Maiores, Principes, Consules & alios, ergò nec mihi erit peccatum. Respó. Siue hoc maiores, siue minores fecerint, non poterunt excusari, quia hypocriseos crimen non subterfugient. Est enim plaga
Iob 34. Dei, quandò tales regnant super populum
Sap. 6. hypocritæ: & dicitur quòd potentes peccantes, potenter tormenta patientur. Fuit
3. Re: 12. & Hieroboam rex sui populi, qui erigebat vitulos, sed ex hoc non sequitur, quòd illius exemplo tu quoq; facere idem debeas: vnusquisque enim ante tribunal stabit,
2. Co. 5. & rationem reddet DEO de factis suis. Commendatur autem in scriptura maxi-
Tob. 1. mè Tobias propter suam constantiam in tempore adorationis vitulorum Ieroboam, eò quòd semper ad verum templum Hierosolymis ibat, faciens Deo sacrificia & illius cæremonias obseruans, non curans homines alios præuaricantes. Sic Machabæi cómendantur, eò quòd antequàm vellent transgredi legem DEI in comedendo carnes suillas, antequàm violarent sabbathum &c. potiùs elegerunt mori, & quæuis supplicia pati, Machab lib. 1. cap. 1. Sic Hieremias propheta commendat filios Rechabitarum, Ierem. 35. propter constantiam, eò quòd nolebant transgredi præcepta patris sui in gustando vino &cæ. Vndè & ob hanc ipsorum firmam in pio proposito tenacitatem, eliguntur à Deo ad perpetuú cultum. Multùm igitur commendantur homines in fide & religione firmo ac constanti animo præditi, quique ex toto corde, non ex parte, adhærent maiorum suorú cultui seu religioni: quicunq; enim perseuerauerit vsq; ad finem, saluus erit, Matth. 10. & 24. Sed inquis: Quòd si cor meum intrinsecùs bonum est & Catholicum, quid nocet si foris intersim sectariorum communioni? cor enim non consentit. Respon. Quomodò cor bonum esse potest intùs, quod foris scandalizat alios? si enim cor tuum bonum esset & rectum, ex abundantia cordis quoquè faceres & ostenderes quomodò sentias: non enim bonum est tibi, sed malum, scandalizare proximum tuum, pro quo Christus mortuus est, Rom. 14. Iudæi nolebant intrare domum Pilati, s. vt mundi manducarent pascha: & mulier stans iuxta Ioh. 18.
fontem, dicit Christo: Non enim Iudæi commercia habent cum Samaritanis, Ioann. 4. quasi dicat: quia non eandem colunt religionem. An igitur tu putas tibi licere omnia? Paulus dicit 2. Thessal. 3. Denunciamus vobis per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omi fratre ambulãte inordinatè, & non secundùm traditioné quam acceperũt à nobis. Et Ioann. inquit: Nolite illis dicere Aue. 2. Ioh.
qui enim hoc facit, communicat operibus illius malis. Curet ergò ac custodiat quiuis conscientiam suam, & pluris sibi sit animæ suæ salus, quàm fauor hominum vel aura vulgi: non enim est absque graui periculo illa claudicatio in vtranque partem: si enim laudabilis esset, Ecclesia Catholica nunquàm habuisset martyres nec Confessores. Quarè quicunq;, cuiuscunq; etiam statûs sint vel conditionis, externo tantùm actu Catholicos se simulãt, & cum illis viuunt, intùs verò sectarij sunt, hos rectè dicas fornicatores diaboli, & adulterinos Christianos. Constantia enim animi etiam in hoste laudanda est, nedùm in Christiano, qui semel Ecclesiæ Catholicæ nomen suum dedit.

DE FIDEI PVGNA FIDELIVM CVM INFIDELIBVS, ET catholicorum cum sectarijs. Cap. 13.

PRAEDIXIT Christus discipulis & omnibus Christianis suis, in mundo quòd habituri essent bellum, aduersitatem, pressuram & tribulationem, Ioañ. 16. dicens: In mundo

do pressuram habebitis, sed cōfidite, quia
ego vici mundum. quasi dicat: ergò & vos
vincetis mundum, non poterit præualere
aduersùs vos. Et Apostolus 1. Corin. 11. ait:
Oportet esse scissuras & hæreses, vt qui ꝓ-
bati sunt, manifesti fiant in vobis. Non er-
gò illa afflictio aut pugna hæreseon sinè
Dei permissione fit, sed potiùs ad tentati-
onem nostrā & probarionē fidei, charita-
tis erga ipsum, & patientiæ, sicut Petrus di-
cit 1. Pet. 1. Oportet contristari varijs affli-
ctionibus ac tentationibus modicū, vt ꝓ-
batio fidei vestræ multo preciosior sit au-
ro, qnod per ignem ꝓbatur. Quarè nec ho
diè nouum est, quòd de rebus fidei & reli-
gionis cum sectarijs pugnamus, & ꝙ mul-
tę & varij generis sectę oriuntur, è quibus
proficiscuntur omnis discordia, confusio
pacis, & lerna omnium malorum, seditio-
num, rcbellionum, deuastationū Ecclesia-
rum, prophanatio deniq; omnium sacra-
mentorum, cultûs diuini, ac cæremoniarū
&c. talis verò pugna & afflictio hęreseon,
semper & ab initio nascentis Ecclesiæ fuit
in mundo: fuerunt enim hęretici tempore
veteris Testamenti, & ante Christum, &
sub Christo, & tempore sequenti vsque in
hodiernum diem: ideò huiusmodi tribu-
lationem oportet Christianum Catholicū
patienter ferre. Dicit enim Paulus: Qui piè
in Christo viuere volunt, persecutionem
patientur. Nam & electam gentem suam
Deus olìm per Gentilinm idololatriam
multis modis tentauit. Vndè per Mosen
eam monuit, dicēs: Si surrexerit in medio
Deut. 13. tui propheta, aut qui somnium se vidisse
dicat, & prædixerit signum aut portentū,
& dixerit tibi, Eamus & seqnamur deos
alienos, quos ignoras: non audies verba
prophetæ illius, quia tentat vos Deus ve-
ster, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum,
an non, in tota anima vestra &cæt. Sed li-
cèt Iudæos fideles ità tentauerit DEVS,
pauci tamen succubnerunt huic pugnæ,
sed constanter permanserunt in lege Do-
mini & fide futuri Messiæ. Ex libris
Machabæorum & Regum veteris Testa-
menti clarè habetur, quomodò Syna-
goga & fideles Iudæi erant in quotidiana
pugna cum Gentibus infidelibus, qui sæ-
pè eos molestârunt, templa ipsorum spo-
liârunt, bella intulerunt: nec inter Iudæos
fideles & Gentes erat vlla firma pax vs-
que ad Christi aduentum & natiuitatem:
neque Gentes poterant extinguere Iu-
dæos. Eadem facies est & erit perpetuò
cum Ecclesia Catholica & hæreticis apo-
statis. Maxima enim pars hæreticorum pri-
ùs fuerunt Catholici, nec cessabit hæc pu-
gna hęreticorum ac sectariorum aduersùs
Catholicam Ecclesiam, nisi ad secundum
aduetum Christi ad iudicium: immò quo
propiùs accesserint nouissimi dies huius
mundi, tanto atrociùs ac frequentiùs hęre-
tici insurgent & tumultuabuntur contra
Catholicos. Ità eñ Christus ipse prędixit
Mat. 24. Sed quemadmodùm Deus nun-
quàm dereliquit electā suam gentem Iu-
dæos, sed semper tutatus est ipsos, & libe-
rauit eos ab hæreticis ac gētilibus: sic quo-
què non deseret Ecclesiam suam Christia-
nam ipse Christus Deus & homo. Nā ipse
promisit, dicens Mat. vlt. Ego vobiscnm
suum omnibus diebus vsq; ad consumma-
tionē seculi. Nemo ergò catholicus Chri-
stianus desperet, quasi Ecclesia planè nunc
derelinquat, & ab hęreticis totaliter peri-
tura sit. Quandò enim Christus Deus se ei
semper adfuturum dixit, & verbum Chri-
sti verum est & ipsa veritas: crede mihi, nō Ioh. 14.
peribit Ecclesia, nec succumbet hæretico-
rnm pugnæ. Nam, nec portas inferorum ei Mat. 16.
vnquàm pręualituras, dixit. Deindè quem-
admodùm Iudæi olim pugnabant contra
gentes pro lege Dei, pro templo & cultu
Dei, cæremonijs & statutis Maiorum: ità
quoq; nunc Christiana Catholica Ecclesia
certat pro fide & religiōe catholica & an-
tiqua, pro sacramētis & dogmate Ecclesiæ,
cæremonijs, operibus & alijs, & Christum
caput suum habet adiutorem, & Spiritum
sanctum doctorem & consolatorē. Forma
igitur antiquæ persecutionis Ecclesiæ, fi- 1.
gurata fuit in Synagoga. Præterea 1. Ma-
chab. 1. hæc per ordinem describuntur: Pri
mò, quòd mortuo Alexandro, filij eius
omnes sibi imposuerunt diademata: non
dederūt honorē, vt vnus ex illis regnaret,
sed omnes regnârunt: quisq; in loco suo fa
ciebat quod volebat, & multiplicata sunt
mala in terra. Secundò, ex ijs exijt radix
peccati Antiochus, qni vt esset potentior
rex cęteris, contraxit amicitiam cum Gen-
tibus, & eorum quoq; fidem idololatricā
suscepit & cultum implum: quod cùm vi-
deret populus, Eamus, inquit, & dispona-
mus Testamentum cum Gentibus quæ
circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab
eis, inuenerunt nos multa mala. nam apud
eos vera est religio: & bonus est visus ser-
mo in multis. Tertiò ædificauerunt gy-
mnasium, id est, studiorum locum & prę-
dicationis Hierosolymis secundùm leges
Gentium: & sic edocti, permiserūt crescere
præ-

præputia, & recesserunt à Testamento & cultu Dei,& sic paratū est regnum ac multiplicatum Antiochi. Quartò, Antiochus ascendit Hierosolymam cum multitudine graui,& intrauit templū Domini,&accepit altare aureum, candelabrū,mensam, phialas aureas, vasa omnia aurea & argentea templi,deindè thesauros multos,quos inuenit:& sublatis omnibus, abijt in terram suam,& factus est planctus magnus in omni populo Israel &c. Quintò, misit rex Antiochus libros in Ierusalem & in oḿes ciuitates Iudæ, vt sequerentur leges gentium terræ: hoc est, prohibebat nè ampliùs prophetias prædicarent & scripturas, sed Gentium leges atque cultus deorum: & sciderunt libros legis Dei, & combusserunt,&apud quemcunque reperiebantur libri legis Dei, ille occidebatur iussu Regis. Sextò,prohibuit sacrificia & holocausta fieri in templo Dñi: deindè prohibuit celebrari sabbathum & dies solennes atq; cæremonias: posteà dedit libertatem coinquinari ac prophanari sancta,id est,currere quenque ad Sancta sanctorum templi, quod aliâs solus summus sacerdos in anno semel adiebat, & iussit omnes vesci carne suilla, & alijs animalibus in lege ꝓhibitis: & quicunque non faciebat secundùm Regis edictū,occidebatur: tum quoquè mulieres, quæ pueros suos secundùm legem circuncidebant, occídi iussit: pueros verò ceruicibus suspēdi ad limina domorum &c. Septimò, ædificauit Rex per vniuersas ciuitates Iudaicas, & circa dom⁹ ac illarum ianuas, & in plateis incendebat thura,& sacrificabat: & mox dedit præceptum Rex, vt esset omnis populus vnus,& non paterentur dissentientes ab illis: & sic fugauerūt populum in absconditis & abditis locis, & plerique adhærebant Regi. Sed & multi de populo Israel statuerunt apud se,vt non manducarent immunda,& elegerūt magìs mori,quàm infringere legem Dei,& cibis coinquinari immundis, & permulti sic trucidati sunt. Octauò, bellicosus princeps Matathias quinq; habens filios optimè educatos, Deum & parētem amantes & timentes, & legem Dei custodientes: ille collectis de reliquijs virorum Deum timentium copijs,vnà cum filijs eis prædicauit,dicens: ô filij, estote æmulatores legis Dei,& date animas vestras pro testamento patrum,& mementote constantiæ Patrum atque factorum quæ præstiterunt,& accipietis gloriam magnam & nomen æternum. Abraham quoquè dum in tentatione repertus est fidelis & iustitiæ tenax, nonnè ipsi ad iustitiam imputatum est, Genes.22? Ioseph tempore angustiæ custodiuit mandatum Domini, & factus est præfectus summus Aegypti, Genes.41. Phinees quoquè sanctus homo, zelando zelum Dei,accepit testamentum sacerdotij æterni, Nume.25. Caleph dum testificatur in Ecclesia, accepit hæreditatem, Numer.14. Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in secula,1.Reg. 24. Helias dum zelat zelum legis, receptus est in cælum,4.Reg.2. Ananias, Azarias, Misael,credentes & in fide manentes, liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonis, Daniel 6. Dan.3.

Et ità cogitate, inquit, per generationem & generationem, & inuenietis quia oḿes qui sperant in eum, non infirmabuntur. Sic ergò armati verbo, congregati sunt omnes ad Matathiam,& percusserunt viros iniquos,& superârunt eos,& in fugam verterunt:altaria eorum destruxerunt,legem & templum iterùm restituerunt, pueros circunciderunt:atque sic Dei adiutorio vicerunt suos persecutores fidei & legis.Sed sopito vno bello, aliud nascitur: ob id quinq; filij Matathiæ principes nobiles belli,omnes secundùm ordinem certârunt cum Gentibus,& vicerunt,nec poterant Gentes illis præualere vsq; ad Christi incarnationem, sicut patet per omnes libros Machabęorum. Omnia autem suprà iam recensita, fuerunt figura futurorum schismatum ac certaminum, quibus Catholici Christiani cum sectarijs in Ecclesia essent depugnaturi vsque ad diem Iudicij Christi: sicut enim Gentes insurgebant aduersùs synagogam, ità nunc & in posterum orientur hæreses contra Ecclesiam. Nascitur autem hæresis primò ex superbia regiminis, qua alter alteri inuidet honorem: ob id omnes sibi imponunt diademata,& regnare volunt,contemnentes capita superiora, adhærentes vni non legitimo:& ad illum allicit populus blanditijs verborum per pseudoprophetas, qui sermone & scriptis populum mouent. Sic hodiè conspiratio ciuitatum ac regni cum quibusdam principibus facta est contra Papam & Cæsarem ad Ecclesiam euertendam. Deindè secuta est spoliatio Ecclesiarum,& gymnasium nouum,id est,noua Theologia,noua glossa scripturarū, commētaria & dogmata noua, combusti & reiecti sunt patrum sanctorum libri & testimonia,combusti libri decretorū, annihilata

lata interpretatio patrum: pòst spoliatio secuta est ecclesiarum, abbatiarum, monasteriorum, & bona ipsorum alienata: secuta quoquè est prohibitio sacrificiorum, id est, Missæ Catholicæ, solennitatum, cæremoniarum, festorum sanctorum &c. deindè concessa est omnibus libertas, quævis Ecclesiæ præcepta violandi, quouis modo viuendi in ieiunijs, festiuitatibus, resistendi Episcopis, posthabendi omnes traditiones Patrū: noua altaria, noui cultus & cęremoniæ eriguntur &c. Sed semper prouidit Deus, vt Ecclesia sua haberet inclytos ac bellicos milites ac pugnatores, nempe sanctos Patres & doctores, qui cum impijs hæreticis prælium committerent: quibus tamen hęretici non potuerunt præualere, quantumuis atroces & audaces. Sic Deus pugnatorem cōstituit S. Cyprianum contra hæreticas nouationes cum multis alijs adiutoribus & Episcopis: sic S. Augustinū contra Manichæos cum multis alijs adiutoribus. Sic Ambrosium contra Arrianos cum multis alijs, sic Hieronymum contra Iouinianos & Vigilantios. Sic Iohannem Gerson & alios eximios Catholicos contra Ioannem Huss & Vuicleff. Sic Ioannem Roffensem Episcopum & alios magni nnmeri doctissimos Catholicos Episcopos & scriptores cōtra Luterum, Oecolampadium, Zuinglium, Anabaptistas &c. Prętereà certissimò sperandum est, quòd sicuti supradicti hostes Mattathiæ profligati fuerunt in consertione pugnæ cum fidelibus Iudęis, & fides & lex Dei atq; cultus permansit: ità etiam tandèm vincet & permanebit victrix Ecclesia Catholica cōtra omes suos hęreticos ac sectarios, vsque ad nouissimum diem. et si fortè Deus permiserit grassari hęreses, idq; ad tentationē, probationem & correctionē nostram, dabit tamen & semper dedit Ecclesiæ suos propugnatores, defensores & scriptores, qui hostium hæreticorum impetum arceant ac repellant. Nemo igitur in hoc graui certamine hæreticorum desperet, nec se à Catholicis partibus abduci patiatur, sed confidat Deo patri cælesti &c. Si enī scriptura adeò commendat Iudęos ob constantiam in fide patrum & lege Dei, quanto magis nobis Christianis laudi dabitur eiusmodi constantia & animositas? & vtinàm in hoc seculo inter Christianos tales reperirentur bellatores constantes, & non in vtranque partem claudicantes, sicutì de quibusdā ex Iudæis legitur, nempe de Iuda Machabęo, qui cum quibusdam alijs in desertum locum secesserat inter feras, atq; in montanis vitam agens ad tēpus, nè particeps fieret coinquinatiōis &c. 1. Mach. 2. Sic Eleazar vir nonaginta annorū, 2. Machab. 6. vniuersæ genti memoriam mortis suæ ad exemplū virtutis & constantiæ derelinquens, elegit in fide patrum mori potiùs, quàm facere contrariū. Sic 2. Macha. 7. mirabile exemplum matris cum septem filijs ponitur, cum quibus ipsa màluit mortem subire, quàm offenso Deo legē transgredi. Sic beatificat Christus eos, qui non scandalizantur in eo, Matth. 11. & ait: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, Matth. 10. & 24. Postremò ponitur 2. Machab. 9. miseranda & crudelis mors impij Regis Antinchi prophanatoris templi sancti, destructoris legis, cultûs diuini ac cæremoniarum, & persecutoris fideliū, nec inuenit misericordiā apud Deum: ità cōmuniter & hodiè in Ecclesia Catholica videmus talem vindictā diuinam, dum miserabili morte puniuntur hæretici & impugnatores Ecclesiæ: notū est enī de interitu Zuinglij, Monetarij, Baltazaris & aliorum, id quod nō sinè iusto Dei iudicio fit. Tutissimum igitur est, quenq; manere in concordia fidei Ecclesię, quam non derelinquet in ęternum sponsus eius Christus & Spiritus sanctus.

DE CHRISTIANIS CATHOlicis & Christianis sectarijs. Cap. 14.

CERTO articulo fidei tenemus, vnam esse per totū orbē Ecclesiam, quæ dicitur & est Catholica, id est, vniuersalis per totū mundum diffusa, quam Apostolus ad Eph. 4. commemorat, dicens: Vnum corpus, id est, Ecclesia: vna spes vocationis, i. Euangelium per quod vocati estis ad spem vitæ: vna fides, s. per totum orbem concors & vniformis: vnus Dominus, i. Christus qui diuisus non est, 1. Corin. 1. Vnus Deus, non plures Dij. Vna est igitur vera & vniuersalis Christianitas, i. Ecclesia Catholica, extra quam non est salus à diluuio peccatorum, i. extra illam vniuersalē vnionē Christianitatis non remittiē peccatum, sicutì nemo extra arcam Noē tēpore diluuij fuit saluatus, vt Cyprianus ait contra Nouatia. & S. Augustinus in lib. de fide ad Pet. cap. 38. inquit: Firmissimè tene, omnes Iudęos, hæreticos & schismaticos qui extra Ecclesiam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, &cæ. Quarè verus

Ca-

Catholicus Christianus est: & dicitur is, qui veritatē Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cuiuspiam authoritatem, non amorem, non ingeninm, non eloquētiam, non philosophiam: sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus & stabilis permanens, quicquid vniuersaliter antiquitùs Ecclesiam Catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum credendumque decernit: quicquid verò ab aliquo vno deincèps præter omnes vel contra omnes Patres nouum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionē, sed ad tentationem potiùs intelligat pertinere, &cæt. Communi quoq; modo dicitur is Catholicus Christianus, ac verum membrum Ecclesię, qui vniformem fidem de Christo & eius mysterijs deq; Ecclesiæ dogmate, Sacramentis, sensu & interpretatione scripturæ, cæremonijs, operibus, per omnem modnm vniformiter credit & tenet, sicut tota vniuersitas Ecclesiæ credit: & qui his omnibus vtitur suis temporibus, nullam quærens singularitatem aut nouitatem, sed omnem sensum & intellectū suum captiuat in obsequium Christi, & subijcit se ecclesiæ, 1. Corint. 10. huic in statu salutis & fides & Sacramenta, opera & satisfactio proficiunt ad salutem & vitam æternam: talis dicitur *ein gemeyner Christ*, id est, cōmunis vel Catholicus Christianus. Sectarius Christianus *ein eygensiniger/ oder sectischer Christ*, id est, singularis vel sectarius Christianus dicitur, qui singularem fidem de Christi mysterijs effingit, priuatā interpretationem scripturę excogitat, nouum modum & formam, nouum numerū & vsum circa Sacramēta profert, Ecclesiæ dogmata recepta pro erroneis aut nullius authoritatis reputat, cæremonias & opera quædam admittit, quædam damnat, sacra Concilia extenuat, & nullam superioritatem in Ecclesia hac visibili agnoscit &cæ. Ob id ergò sectarius dicitur, quia seipsum separat ac secat ab vnitate & obedientia, fide & doctrina Ecclesiæ, ideoque talis ex iussu Christi velut ethnicus habendus est, Matt. 18. hoc est, non nostræ fidei homo, nec communium Sacramentorum socius. Vndè & carebit omnibus promissis Ecclesiæ, nempe remissione peccatorum, salutis & præmij æterni. Si enim Apostolus dicit sectas non possessuras regnum Dei, ergò nullus sectarius, quamuis fidem suam & Baptismum iactet, possidebit regnū Dei.

Definitio veri Catholici.

Gal. 5.

Sectæ autem ab initio sic inceperūt. Cùm fides primò incepit, & penè per totū mundum, vt Paulus testatur, annunciata fuit, fiebant vbiq; congregationes fidelinm in nomine & verbo Dei: ac sic coniūcti animo & concordi fide, baptismo ac verbo vno, facti sunt quasi cor vnum & anima vna, licèt posteà in varijs & multis regnis ac ciuitatibus fuerint dispersi: atque illi Christiani itá in vnitate fidei & dilectiōne permanentes, DEO omnipotenti inseruiērunt deuotissimè, atq; vixerunt piè & concorditer omibus diebus vitę suę. Hoc intelligens sathanas, inimicus Christianorum & salutis humanæ, laborauit vt fideles Christi itá vinculo fidei & charitatis vnitos disturbaret, & eorum communiones, id est, Ecclesias disijceret: ob id excitauit primò opinionē inter Christianos, quòd inceperunt præferre vnum concionantem alij, & existimārunt hunc meliùs quàm illum sentire, vt qui Petrum audiebat, putabat eum meliorem alijs &c. vt patet 1. Corint. 1. 2. 3. 4. Deindè excitauit magistros mendaces, vt vocat eos scriptura 2. Pet. 2. qui aliam & nouam interpretationē scripturæ, quàm qualem priores in simplicitate diuulgārunt & docuerūt, quę ipsorum noua glossa & doctrina, callida sathanæ machina mox sequaces, adhæsores & defensores inuenit, idque ex præsumptione & inuidia, quę duę naturę sathanę sunt propriæ contra maiores & priores patres: atque sic statuerunt sua noua inuēta, opera, & dogmata de lege, Christo, & Sacramentis, atque sic scissuram fecerunt ac separationem, vbi anteà erat congregatio & vnitas Ecclesiæ: istorumq; nouorum magistrorum siue doctorum hæreticorū numerus itá excreuit, vt iam vltra trecentos diuersi dogmatis hæreticos in Catalogo hæreticorū videre liceat. Dicebantur autē illi magistri posteà Græco nomine hęretici, eò quòd singularem opinionem, fidem & intellectum sibi eligerent. hæresis enim dicitur electio. Ideò S. Augustinus in lib. de vtilitate credendi hæreticum definit, dicens: Hæreticus est, qui temporalis commodi gratia falsas gignit opiniōes, & pertinaciter defendit: vndè plus est hæresis, quàm error: error enī contingit per ignorantiam, non per pertinaciam, sicut Paulus dicit, ignorans feci, 1. Timoth. 1. sed hæresis fit ex pertinaci superbia, dum quis rectè à maioribus docetur, & consentire nō vult, sed suam opinionem defendit pertinaciter, & scienter errat in fide, ac se separat

Rom. 1.

Hæreticus quid aut quis.

rat ab Ecclesiæ communi intellectu &cæ. Sectariū verò Christianum non facit vestitus, habitatio, aut quicquam extrinsecum, sed ipsa fides & intentū in rebus fidei ac salutis & Ecclesiæ Dei: in his quisquis dissentit ac discrepat ab vniuersali Ecclesia, is est sectarius siue hæreticus. Vndè S. Cyprianus lib. 1. Epi. 1. dicit: hæreticus est desertor Ecclesiæ catholicę, doctor superbiæ, veritatis corruptor, & perditor charitatis. Apostol⁹ aūt definit eos, cùm inquit 2. Tim. 3. Homines corrupti mente & reprobi circa fidē &c. Et quia oēs religiones Christianæ & ordines monastici in vna fide, vna doctrina & vno vsu Sacramētorum vniuersalis Ecclesiæ sibi constāt, licèt habeant diuersas disciplinæ regulas ac diuersos habitus corporis, nullo tamē modo dicendæ sunt sectæ, vt Luterani quidā objiciūt. nam vt cōmunis sententia habet, dissensio facit sectariū, i. in fide, doctrina & sacramētis, non habitus vel mores. tales enī religiosi, quantùm ad perfectionē vitæ euāgelicæ, sunt imitatores alij S. Dominici, alij S. Francisci &c. sicut & hi ipsi imitatores fuerūt Christi, id quod & Paul⁹ vult 1. Co. 4. & 11. cùm dicit, estote imitatores meī &c. Docet aūt & credit catholicus Christianus, Christum solū ac totū esse saluatorē, qui meruit remissionē & vitā, sinè nostro addito operum: atq; dū nos sic in eū credimus, & bona opera facimus, hæc ipsa nostra fides & nostra opera nō de nouo merenē & quasi secundariò remissionē & vitā æternā: sed ex misericordia & gratia sic acceptantur, vt propter illa nobis cōmunicētur, & participes fiam⁹ illius meriti quod Christ⁹ meruit, ità vt opera nostra sint media quibus habilitamur, vt ex gratia participes efficiamur: nam sinè illis operibus, fide & pœnitētia, nō efficimur participes. Sectarij verò dicūt Christū, quatenùs propter solam fidē hæc omnia accipiamus, idq; propter nullius operis respectū, atq; sic operibus, quātùm ad Deum, valedicūt, & tantùm propter proximū quædā facienda dicūt &c. De eucharistiæ sacramēto catholicus Christian⁹ credit ibì esse verū Christi corpus, & fieri panis & vini trāssubstantiationē: at aliqui sectariorū credūt ibì solùm signū & figuram esse designans tale quid, sicut circulus ante tabernā vinum vendibile: aliqui verò negant illam transsubstantiationem, aliqui in cōmunione vnius speciei credunt dimidium esse sacramentū, sed in duabus specieb⁹ totum consistere: aliqui mensam adornāt, & pro Missa cœnam faciunt, aliqui mediam Missam sinè canone faciunt, & diuersi diuersa inter se statuunt &c. Insupèr ex symbolo fidei credimus nos obligari ad obedientiā Ecclesiæ catholicæ in eius præceptis tenendis, quæ sectarij temerè contemnunt: credimus animabus subueniri in purgatorio, quod ipsi negāt: nos credimus patrocinia Sanctorū Dei, quos isti contemnunt: & sic vbiq; in his rebus fidei est diuersitas, & illa facit sectas: quarè nō habituum aut religionū, sed fidei ac doctrinæ diuersitas facit sectas perditiōis. At inquiunt: Nos rectè docemus, credimus, nos cōstituimus Ecclesiam, veras cæremonias & verbum Dei habentes. Respon. Hoc oēs hæretici vna voce asseruerūt, Arrius, Vuicleff, Huss & reliqui: id verò si esset verū, sequereē quòd ante ipsos non fuisset Ecclesia, nec vera sacramēta, cæremoniæ, verbum Dei &c. & sic Christus falsò dixisset in sua promissione Ioh. 14. Dabo vobis paracletū, vt maneat vobiscum in æternū. & ipse Apostolus mentitus fuisset cùm dicit 1. Tim. 3. Ecclesiam esse columnā & firmamentum veritatis. Si ità, vt hęretici objiciunt, erronea & quasi domus ruinosa esset, non habēs firmum fundamentū, & quarè hodiè esset ecclesia, & cràs non esset, cùm hæretici ijdē vel eiusdē dogmatis neç semper fuerunt, nec semper permansuri sunt, vt perturbent ecclesiam? Insupèr veritas cæremoniarū & verus vsus sacramentorū, non nisi apud communē societatē, i. Ecclesiam inueniunē & rectè dispensantur, non apud sectarios vel eos qui separāt se à tali societate, & propria authoritate vsurpant ministeria Ecclesię: manifestissima exēpla sunt in scriptura, cùm Dominus inquit ad Mosen: Sanctificabor in his qui indiscretè Leu. 10. appropinquāt mihi, & in his glorificabor: de Nadab & Abiu loquens. item Num. 16. de Dathan, Abiron & reliquis, qui licèt in fide consentiebāt cum Mose & Aaron, tamen quia ex præsumptione vsurpabāt sibi sacerdotiū, volentes imponere incensum, & in cæremonijs dissentiebāt, grauissimè & horribiliter puniti sunt à Deo. Placet igitur Deo vsurpatio ministerij diuini, cęremoniarū & sacramentorū dūtaxat apud communē Ecclesiam, i. in ipsa vnione societatis Christianæ, & non apud sectarios. Prętereà quemadmodùm Absalon blanditus est populo vt eum alienaret à patre suo Dauid, vt ipse solus regnaret, sicut legitur 2. Reg. 15. Sed mala & turpi morte ex 2. Re. 18 diuina vindicta perijt appensus inter cælū & terrā: ità sectarij per blandiloquentiam

& per detractionem, diffamationẽ & conuicia populum à Papæ obedientia & disciplina Ecclesiæ & Prælatorum subiectione auocant, alienant, & ad se alliciunt, vt ipsi regnent & audiantur in populo. Sed non aliter puniẽtur vel in hoc vel in futuro seculo, quàm exploratores illi terræ sanctæ, Num. 14. qui reducere studebant populũ in Aegyptum. Nam & hæretici sic student alienare populum ab obedientia ecclesiæ, à bona conscientia, pijs moribus, cæremonijs, in barathrum pristinorũ errorum & abominationum &c. A secta verò potiùs reducere vel reduci aliquẽ ad Ecclesiam, salutare, pium & gloriosum est. Nam hoc fecerunt omnes Apostoli relinquentes sectam Iudæorum: sic Paulus ex Saulo conuersus, reductus est ad fidem Ecclesiæ. Sic Augustinus reliquit Manichæos, quorum dogma secutus erat nouẽ annis. Sic Iustinus Martyr & Philosophus gentiles reliquit, sic Eusebius Cæsareens. reliquit Arrianam hæresin. Sic Cyprianus ex errore ad Ecclesiã redijt, Vincentius & Agapetus Macedonicã nequitiã deseruerũt. Sic Busirides Eucraticã. Sic Tertullian⁹ Montani furias reliquit, atq; centũ alij qui ad sanã Ecclesiæ fidẽ conuersi, renunciauerũt pristino errori: at Sectarij hodiè contrarium suadẽt, nempè vt popul⁹ relicta sana ecclesię fide, redeãt ad pristinos errores & damnata iam olim dogmata. Sed oẽs Catholici semper orare debẽt, vt maneãt in vnione Ecclesiæ, vtq́; ad eam tandèm reducant sectarij: siquidẽ extra ecclesiã & charitatis vnionẽ nõ est sperãda salus. Plurimùm enĩ periculosũ est, sectariorũ cõmunioni adhęrere: nã ob id pcepit Deus Mosi, vt clamaret ad populũ, quatenùs separaret à tabernaculis durissimorũ hoĩm: nè vnà cum illis perirẽt, Num. 16. & propheta missus ad regẽ schismaticũ Hieroboam, vt iuberet, nè cũ illo aut cũ cæteris schismaticis panẽ mãducaret: quod qa non seruauit, à leone necatur, 3. Reg. 13. Et Paulus 2. Thess. 3. denunciat in nomine dñi nostri Iesu Christi, subtrahere nos ab omni fratre inordinatè ambulãte &c. At inquiũt, immũda est Papistarũ ecclesia, nõ manebo cũ illa. Respõ. Si mater vel vxor tua malo aliquo morbo laboraret, an ꝓpptereà illã statim velles repudiare & nouę adhęrere? an Moses statim reliquit populũ suum idololatricũ & contumacem in deserto, Exod. 32? Sed & Helias iubetur redire ad illos, 3. Reg. 19. Nemo igitur facilè debet occasionẽ quærere discedendi aut relinquẽdi Ecclesiam, licèt abusibus & corruptelis morũ sit aliquatenùs infecta, sed consideret quisq; trabẽ in ꝓprijs oculis suis, & cõdoleat potiùs confratri suo, &c. Luc. 6. Nec nos mouere debet, si qui ex nostris declinant ad sectam: nam nec Pauli imitatores mouit, quòd ab ipsis desciuerũt Philetus & Hermogenes, 2. Timot. 1. vel Hymenæus aut Alexander, 1. Tim. 1. vel qa tota etiã Asia naufragauit à fide Catholica: sed oportet Catholicos Christianos constanter & indubitanter in vnitate Catholicę Ecclesiæ pseuerare vsq; ad finem vitæ suæ, nec curare Apostasiam vel recessum aliorum, qui cùm se rectã fidem habere gloriẽtur, tamen minimè habent: nam & diabolus trãsfigurat se in angelũ lucis, qui tamẽ angel⁹ lucis nõ est &c. 2. Co. 11.

DE CONSTANTIA FIDEI ac veritatis Catholicorum in persecutione Schismaticorũ. Cap. 15.

APOSTOLVS præcepit discipulo suo Timotheo, 2. Timoth. 3. vt vitaret homines futuros vltimis temporibus, seipsos amãtes, ꝓteruos, voluptatũ amatores potiùs quàm Dei, habentes speciem pietatis, virtutẽ autem eius abnegãtes. Et Tito pcepit, Tit. 3. vt fugeret stultas contentiones & quæstiones legis &c. eò quòd tales sæpè finguntur ab hæreticis, non vt gloriam Dei quærant aut salutẽ populi, sed vt honori proprio & voluptatibus suis consulant, atque ideò contentiones inter fideles excitant, sicuti, vt nubant Sacerdotes, vt non liceat in omnibus obedire Papæ, vt Laici vescantur quouis cibo, Cæremoniæ sint liberæ, confessio, Sacramenta, missa & reliqua immutentur, cõmunio Eucharistiæ sub vna specie abroget, Monasteria ad vsum Scholæ sectariorum conuertantur, & alia his similia summo clamore ac contentione populo inculcentur. Quibus certè doctrinæ suæ speciebus non gloriam DEI, nec vnionem Ecclesiæ vel salutem fidelium, sed ꝓpriam libertatem, laudem & applausum populi quærũt, quia sunt inimici crucis Christi, Philipp. 3. ideò vitandi sunt. Pręterea in principiò nascẽtis ecclesię plurimi & multa millia martyrũ occisi sunt ob fidei Christianæ confessionem. Nam dicit CHRISTVS: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo &cæt. Ideò plerique Sancti & Confessores quanuis sciebant

bant nihil certius sibi à tyrannis imminere, quàm præsentem mortē, immò exquisitissima pœnarum supplicia: attamē audenter & palàm confitebantur fidem & religionem Christi, corde credentes in Christū. propter quod apud Deum iustificabātur, & ore fecerunt confessionē nominis Christi publicè, & hoc illis erat ad salutē, Rom. 10. nam sciebant etsi corpus occiderēt Tyranni, animam tamen non posse occídere, iuxta verba Christi Luc. 12. Tradit quoq; historia tripartita lib. 3. ca. 2. de rege Persarum, qui dicebatur Sapor, quòd is sub suo regimine interfecerit ob fidē Christi sexdecim millia Christianorum, & horum maximā partem interfici iussit in ipsa feria parasceues, siue die passionis Christi ante pascha, in singularem contumeliam nominis Christi crucifixi, atq; in hunc diem maiorem partem Christianorū seruari ad mactationem iussit. Sic temporibus Diocletiani & Maximiani in spatio triginta dierū leguntur septēdecim millia martyrum ob confessionem Christianæ fidei trucidata esse. Maximianus vno die iussit interfici totam legionē militū Christianorū, i. sex millia sexcēta & sexaginta sex. Tradit quoquè Eusebius in prædicta historia, ꝙ multi fuerint de seculo potentes in domibus Regum & Principum, qui occultè nomen Christi profitebātur, attamen quandò instabat confessio nominis Christi, & videbant quosdam confratres ob metū mortis imminentis esse pusillanimes, tunc vltrò semet prodebant, & erumpebant confortando alios, & ipsi nomen Christi publicè confitentes, magìs in se commouerunt & iritârunt tyrannos, quàm si alij fuissent inferioris sortis Christiani, & propterea horridiora supplicia passi sunt, quàm cæteri &c. Sic & Apostolus testatur & recenset catalogū Hebr. 11. quomodò multi fuerunt, qui fide vicerunt regna etiā in veteri testamēto. Similiter & historiæ ac Legendę sanctorum Patrum per anni cursum indicant, quanta sint passi tormenta sancti ob fidei ac nominis Christi confessionem. Quę historię patrum ꝙ fidelibus prælegunter ac recitantur, quô ad constantiam fidei & confessionis animentur, (nam nostri causa & exempli gratia publicè memorari solēt) sathanas mirificè odit, & per suos ministros (hoc est, sectarios) quantùm potest impedire conatur. Porrò cùm paulatim cessaret martyrium & interfectio Christianorū, secuta est persecutio & afflictio multorum ob veritatē Catholicæ Ecclesię: quæ veritas aliud nihil est, quàm vniformis fides totius Christianæ religionis de intellectu scripturæ, de Sacramentis & eorū forma, de obedientia Ecclesiæ, traditiōe, cęremonijs &c. quæ oīa sathanas per tyrannos & hæreticos delere & inuertere studuit: atq; sic cùm plurimi olìm cōstantes circa veritatē Ecclesiæ reuelatam perstarent, commoti sunt hæretici ad persequendū & dispergendū catholicos. quarè sicut in primitiua illa Ecclesia Maiores nostri, ꝓpter confessionē nominis Christi mortē & supplicia passi sunt, ità nunc propter Ecclesię veritatē, in quam duxit ipsam Spiritusſ. Ioh. 14. nos quoq; constantes & perseuerantes esse oportet, quēadmodùm ante nostra tempora SS. Patres & Catholici viri fecerunt. Quòd si fortè iactēt hæretici illud scripturæ sacræ dictum, verbū Dñi manere in æternum, Esa. 40. Psal. 118. tum nos contrà illis obijcimus illud scripturæ Psal. 116. Veritas Domini, s. reuelata Ecclesiæ, manet in æternum. stat eñ promissio firma, quæ facta Ecclesiæ per Christum, ꝙ portę inferorum non præualebūt aduersùs eam, Mat. 16. i. non valebunt illā penitùs extinguere. Nam hoc longè certissimum est, Ecclesiæ veritatē in omni seculo indelebilē extitisse, nec vnq̄ in toto potuisse siue per tyrannos, siue per hæreticos aboleri: nā etsi illa fuerit suppressa in vno loco, tamē in alio permansit integra. Semper eñ in diuersis mūdi regionibus superfuerunt plurimi catholicę veritatis confessores ac defensores, qui nec persecutionem, nec gladiū, nec exilium, nec nuditatē timuerunt, vt recederent ab vnione fidei catholicæ. Quāta ergò ꝓtulerūt SS. Patres & Maiores nostri ob veritatis Ecclesiæ cōfessionē, docēt & historię & scripta ipsorū. quid eñ acciderit Cypriano à Nouatianis, quid Augustino à Manichæis, quid Athanasio & Ambrosio ab Arrianis, quid Hieronymo à Vigilātianis & Iouinianis, quid plerisq; alijs sanctis Confessoribus ab alijs hæreticis ob veritatis & fidei Catholicæ confessionē, satìs manifestum est. sæpè eñ de sede Episcopali deturbati & in exilium acti sunt, tyrannis & hæreticis interìm regnantibus: quibus tamē defunctis, iterùm reuocati & à populo suo recepti sunt, vt ꝓditum est in histor. Trip. li. 6. ca. 31. Nam S. Athanasius per sex annos Arrianorum tyrannidē fugiens, in occulto latuit: tandèm verò à puella quadā ꝓditus, fugit in alium locum. S. Ambrosius à Iustina imperatrice fugatur in exiliū. Scribit quoq; Eusebius

lib.2.ca.1.cùm multi catholici viri & confessores ab hæreticis tyrannis relegati essent in exilium, & tandèm ab imperatore Constantino ad Nicenum conciliũ reuocarentur, apparuisse eos admodùm deformatis corporis mẽbris, dum alius man⁹ haberet ignito ferro arefactas, alius aures abscissas, alius dextrum oculũ effossum, alius charactere in facie notatus &c. quos cùm interrogâsset Imperator, cur tãta passi fuissent, respõderũt ob nullã aliam causam, quàm ob perseuerantiã & confessionẽ suã de veritate & religione Ecclesię catholicę &c. Et nõ solùm Episcopi & doctores talia passi sunt, sed etiã subditi & populus eorũ, vt habet histo. tri. lib.6. ca.30. & 39. interdicebatur illis communis vsus & consuetudo in ciuitatib⁹ emendi & vendẽdi. Sed hæc patienter tulit grex catholicorũ, & in confessione veritatis constanter permãsit. Legimus etiã de Hermigildo filio regis, q cùm nollet cõmunicare sacramentũ hæreticorum, nẽpe Arrianorũ, patrẽ suum regẽ admodùm offẽdit. Sed haud quicquam curauit hoc filius catholic⁹, & præposuit religionem Catholicæ veritatis obedientiæ patris sui, & pertulit patiẽter mortẽ potiùs, quàm vt cum hæreticis communicaret. Prætereà idẽ Euse. li.5. ca. 31. dicit, q tempore Macedonij qui erat Arrianus Episc. plurimi insignes viri ac mulieres, cùm nollent cõmunicare cum hæreticis, captiuati fuerũt, & post varia tormenta coacti sunt violẽter ore inuito suscipere sacramentũ: ligno enĩ ora ipsorũ aperientes, sacramentum per vim imponebãt, quod tamẽ plurimi in terrã expuerũt: similiter cogebãt & virgines & paruulos multis plagis & vinculis ad suam cõmunionẽ: nolentibus aũt communicare, ferro ardenti comburebãt mamillas: nec tamẽ quicquam effecerunt. quin eò etiã pgressa est sæuitia Arrianorũ, vt sicut idẽ Euseb. testatur li.5. ca.3. communicare nolentiũ domus & portas clauderent, nè quis Catholicorũ defunctorũ sepeliret, sed vt fœtore mortuorũ eò miseriùs & diutiùs cruciarẽtur. & rursus lib.6. ca.39. inquit, Plurimos nolentes cõmunicare Macedonio, iussit immanissimis plagis & verberibus ad mortẽ vsq; cędi: multos cauterijs notauit, vt vel sic ab alijs dinoscerẽtur & vexarenẽ &c. Sed hæc omnia fortissimè pertulisse legũtur Catholici, & constanti animo pmansisse in fide Catholica. Rursus ait li.6. ca.12. Virgines Vestales catholicas ab Arrianis in mediũ populum productas, & publicè nudatas in foro spectaculum fuisse, & tandèm cùm adhuc nollent assentire hęresi ipsorum, ligatas in triuijs, vt à porcis & canibus laniarentur, proiectas fuisse. Tradit porrò imperatorẽ Arrianorum edicto publico cauisse, nè qs catholicorũ ampliùs sub pœna mortis in Ecclesiã interdictã intraret: quod audiens mulier quędã catholica, tam parui ęstimauit, vt è vestigio arrepto secũ filiolo suo, pperanter ad Ecclesiam illam festinaret, ità vt etiam patẽtes domũs suæ fores reliquerit: cui cùm casu obuiaret præfectus vnus Imperatoris, & interrogaret, an nesciret pœnã edicti imminentẽ ijs qui Ecclesiam intrarent, respondit: scio quidẽ, atq; ob id festino gradu, ppero ad Martyrij coronam cum filiolo meo reportandã, pter veritatem fidei & Ecclesię catholicæ &c. quę res ità commouit Imperatorẽ, vt edictũ illud reuocaret. Hæc & permulta alia horrendissima passi sunt Maiores nostri Catholici, anteq̃ desererent antiquã & verã religionem Ecclesię catholicæ, & nè se coniungerent cũ hæreticis. Quarè & nos ipsorũ exemplo fortes, constantes & patientes esse debemus in persecutione hęreticorũ, & tolerare quiduis potiùs quàm causam veritatis Ecclesię Catholicę abnegare aut deserere. Christus enĩ inquit: Qui perseuerauerit vsq; in finẽ, hic salu⁹ erit, Mat.10. & 24. nam & præmiũ consequẽtur de quo scriptura Euangelij dicit Mat.5. Gaudete quia merces vestra copiosa est in cælo &c. Si enĩ SS. Martyres pter confessionẽ fidei mortem sunt passi, quarè nos etiã aduersa quędam non patiẽter feramus ob confessionẽ veritatis, quam habet Ecclesia Catholica?

DE SCISSVRA ECCLESIAE horum temporum.

Cap. 16.

PRIMÒ notandũ, quòd sathanas, qui est inimicus Christi & Ecclesiæ, per homines hæreticos hoc nostro seculo excitauit tres potissimùm scissuras in Christianismo, quibus laceret & vulneret corpus Christi mysticum, id est, Ecclesiam. Nam excitauit primò doctores & concionatores, qui diuidunt & scindunt fidem à dilectione, ità quòd non etiam sit necessaria nostra dilectio ad salutem. Secundò, diuidunt sanguinem à corpore Christi, quia sic vrgent alteram speciem Sacramenti, id est, Sanguinem, quasi non insit in hostia Eucharistię, & sit omninò necessarium, vt distinctim bibatur è calice. Tertiò, diuidunt per

per falsos errores membra Ecclesiæ ab vnione corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, & varias sectas & segregationes cœtuum faciũt, quæ res deplorandã in Christianismo scissuram peperit. Soluerunt enĩ vnionis vinculum & obediẽtiæ erga superiores tam Ecclesiastici quàm politici status. Ad primum igitur dicimus, ꝙ quanuis dilectio nostra & opera & obedientia præceptorũ, nos non iustificent in sua dignitate: nam causa iustificatiõis est res extra nos, & non in nobis aut à nostris viribus profecta, nempe ipsa passio & sanguis Christi, propter quẽ Deus iustificat per fidem gentes & circuncisas, Rom. 3. attamẽ dilectio, & obseruantia preceptorum ità necessarię sunt, quòd sinè illis iustificatio ipsa in adultis non retinetur, neq; requiritur salus aut vita æterna. Nam quandò secundùm carnẽ vixerimus & peccemus, tũc statìm amittitur iustificatio, vt patet Rõ. 8. 1. Cor. 6. Gal. 5. Eph. 5. Si autẽ vixerimus secundùm spiritnm, & facta carnis, quantũ possumus, mortificauerimus, viuemus, i. retinebimus iustificationem. Sed vbì dilectio non elt erga Deum & proximum nostrum, ibì nihil boni fieri potest: ideò dicit Ioh. 1. Epist. cap. 3. Qui non diligit, manet in morte. & in Euang. Ioh. cap. 14. Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit. Quarè licèt fides in primo gradu gratìs appræhendit iustificationẽ, illa tamen non retinetur sinè dilectione & bonis operibus. Ad retentionẽ igitur iustificatiõis sic dilectio est necessaria, sicut cibus & potus ad vitam corporis sustentandam. Qui igitur nunc scindunt vel separant fidem à dilectione ità, quasi non sit necessaria ad salutem, aut nihil prosit: qnid aliud faciunt, nisi quòd vnam partem scripturæ negant & conculcant? Et licèt dilectio non intret actum iustificationis, vbì sola fides in Dei misericordiam agit: attamen necessaria est, vt appræhensam iustificationem per fidem retineat. nam si non retineatur iustificatio, quid proderit? Dilectio igitur licèt sit posterior fide, nobiscum tamen intrat in cęlum cessante fide, 1. Cor. 13. Quàm igitur ingentia mala hæc diuisio fidei ab operibus & dilectione facit in Ecclesia, res ipsa & euentus docet. Secundò, diuidunt sanguinẽ à corpore Christi, quia non credunt se sub vna specie, s. hostiæ, etiam sanguinẽ Christi sumere, quasi corpus sit exangue, mortuum & arefactum: item quòd Christus verè viuit & resurrexit à morte, in mortali & clarificato corpore, Rom. 6. Christus ampliùs non moritur: quod corpus sic immortale & clarificatum sumitur in eucharistia, non vt adhuc mortale, sicnt discipuli in cœna: non igitur verè credunt resurrectionem, qui sic diuidunt sanguinem à corpore. Adhuc sicut erat diuisus per triduum in sepulcro iacens, ità diuidunt diuinitatem à corpore & sanguine Christi, quandò docent illud sacramentũ non adorandum, quod tamen facit Ecclesia Catholica, quæ credit hîc in sacramẽto esse corpus & sanguinem & animam Christi, & deitatem Christi, i. totum Christum & integrum. Nam diuinitas, secundùm Damascenum, qnod semèl assumpsit, nunquàm dimittit: item diuidũt corpus & sanguinem à pane & vino post vsum aut extra vsum, non credentes quia verbum Domini manet in æternum, Esai. 40. ideò effundunt vinum consecratum, quasi iam Sacramentum sit diuisum &c. Sed quid dicit Iohann. 1. Epist. cap. 4. de illis diuisoribus, οὗ treñern? Om̃is spiritus qui soluit Iesum, id est, diuidit sanguinem eius à corpore, & diuinitatem à Sacramento corporis & sanguinis Christi, aut deitatem à persona Christi, ex Deo non est: & hic est antichristus, de qno audistis, quoniam venit & nunc in mundo est: ideò debemus vincere illum antichristi spiritum, credendo per firmam & Catholicam fidem, quòd ibì simul sit caro viua, & sanguis Christi indiuisìm: atque ideò sub vna specie totum Christum & totum sacramentum sumi: deindè quòd diuinitas nũquàm separatur à Sacramento: ideò adoramus diuinitatem coniunctam corpori & sanguini: quòd si essent separata corpus & sanguis à diuinitate, quod est impossibile, tunc quidẽ haud adoraremus: Postremò, quoniam verbum Dei semel prolatũ, semper durat, sicut semel dixit, Fiat lux, & facta est lux, Gen. 1. & hodiè hæc durant: sic panis & vinum semèl consecraium, manet donec fuerit consumptum, vel comestũ. Non sic transibunt verba Dei, sicut verba hominis & creaturæ, sicut dixit Christus Lnc. 21. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. omnia enim ille portat verbo virtutis suæ, Heb. 1. nam si iste error staret, tota fides Enangelij & verbi Dei fluctuaret, quoniam omnia semèl facta sunt dicta & prolata, attamen hodiè eandem habẽt efficaciam, sicut tunc in prolatione. Ideò semper manet Sacramentum sub illis speciebus, donec consumatur à fideli homine. Et quoniã nos non diui-

Gen. 1.

diuidimus à pane & sanguine semel consecrato corpus Christi & eius sanguinē, sed credimus post ꝓlationem manere corpus verum & sanguinē Christi vsq; dum cōsumatur, etiam per multos dies & annos: itē non diuidimus diuinitatē à corpore & sanguine Christi: ideò etiā extra vsum eredimus ibi esse verū sacramentū, & illud circunferimus cum reuerētia, adoram' & honoram' in ꝓcessionib'. Sic enī veneramur verbum Dei, quo id consecratū est Sacramentum, ꝙ non admittimus aliquā diuisionē, id quod etiam iubet imperiū & fides Catholica Patrum. Cauēdi ergò sunt huiusmodi diuisores & scissores, vt discipuli antichristi. Tertiò diuident & lacerāt vnionem Ecclesiæ Catholicæ, cùm solùm sit vna Ecclesia, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Dominus omnium, Eph. 4. vna doctrina, vnum Euangelium: ipsi autē per falsas doctrinas & sectas cōtra Catholicam & vniuersalem ecclesiam, faciūt cœtus, factiones & rottas, vt illa pars Europæ est Luterana, hæc Zuingliana: illa Caluiniana, hæc anabaptistica &cæ. & vnusquisque horum Doctorum defendit suam sectam per verbum Dei: facit sibi in populo adhærentiam: attamen inter se dissident, licèt contra vniuersalem Ecclesiam & Papam conueniant, sicut Herodes & Pilatus in suo syncretismo. De talibus prædixit Christus Matth. 24. Surgent multi pseudoprophetæ, &cæt. dicentes, Hic est Christus, aut illic: nolite illis credere, nolite exire domum, id est, extra vnionem & societatem Ecclesiæ: illi omnes scindunt & diuidunt concordiam, excitant implacabile odium. Ideò debent caueri, & nemo pati debet vt diuidatur per dulces sermones ab vnione fidei Ecclesiæ Catholicæ, extra quam non est salus. Sed quid putas faciet tandèm illis Christus, qui Sanguine suo nos congregauit in vnum ouile, Ioann. decimo? an non summè ingratum & maximè dolendum est homini, si quis ei à corpore membrum aliquod abscindat, aut manus amputet? Sic certè illi diuisores & scissores magis impij sunt militibus Iudæorum crucifigentibus, perforātibus & vulnerantibus Christum, & tamen pepercerunt tunicæ Christi inconsutili &c. An non & domus impij Ieroboam, qui erexit vitulos, extincta fuit? 3. Reg. 14. Galat. 5. dicit Apostolus, sectas regnū Dei non possessuras. Nè simus ergò tales diuisores, (to:ylet) neq; in numero eorum inueniamur, sed maneamus in vnione Ecclesiæ Catholicæ, non derelinquamus eam, quę ab Abel incepit, & durat ad nostra vsq; tempora: certò sciētes quoniam Christus caput veræ Ecclesiæ, non derelinquet Ecclesiam suam, id est, corpus suum mysticum, sicut promisit Matt. vlt. Ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consumationem seculi: non igitur curandi sunt tales diuisores. nam Deus ipsos iudicabit. At inquiūt: Non erram', sed veritatē scripturę docemus in vero suo intellectu: ideò ab omnibus exigimus obedientiam, vt ad nostram partem accedant: abusus repræhendimus &c. Respon. Similiter dicere poterant Dathan, Chore & Abiron cōtra Mosen & Aaronem Num. 16. Sed an vera ipsorum sententia & propositum bonum fuerit, exitus & punitio ipsorum docuit: ità etiam exitus Arrij & aliorū hæreticorum probauit, an pia & sana ipsorū fuerit intentio. Nullius priuatæ personæ ꝓprium iudiciū valet in re tam ardua, nempe fidei, intellectûs scripturę, & sacramentorum: nam & Apostolus Petrus dicit scripturam non esse priuatę interpretationis. 2. Petr. 1. Vndè haud frustrà De' dedit Ecclesię prę latos & authoritatē, quorum iudicio standum esset omnibus sicut & in veteri testamento ad sacerdotes deuoluebatur dubiorum definitio, vt habetur Deu. 17. Si quid ambiguū aut difficile ortum fuerit &c. Est Rom. 13. enī omnis potestas tam politica quàm spiritualis à Deo, & nostrę Ecclesiæ potestas habet originem suam primùm ab Aarone summo sacerdote, qui à Deo cōstitutus fuit, deindè à principe Apostolorum sancto Petro, quem os Apostolorum Ambrosius vocat: & talis potestas spiritualis nō minùs necessaria est ad conseruandam concordiā fidei & religionis in Republica Ecclesiastica & ad remedium schismatis & sectarum, quàm ipsa secularis siue gladij potestas ad iustitiam, leges & mores bonos conseruandos. Audienda itaque est vtraque potestas, quatenùs non docet aut statuit contrarium verbo Dei: tunc enim plùs Deo obedire oportet, quàm hominibus. Act. 5. Atque hinc manifestè erroris arguuntur omnes sectarij, quòd nolunt audire hanc Ecclesiæ potestatem, nec eam agnoscere: sed renituntur per contumaciam & conuicia. & ideò Deus eos induit confusione dissensionis, sicut ædificatores turris Babylonicæ &c. Cogitet ergò quisque quàm periculosum sit animæ hominis Christianæ, & quàm damnabile, viuere & assentire sectæ aut hæresi, quæ aliter docet & sen-

& sentit, quàm vniuersalis Ecclesia, & quæ à nobis exijt, & seipsam segregauit à nobis: tales enim, carnales sunt, spiritum Dei non habentes, qui segregant semetipsos, vt S. Apost. Iudas in Epist. sua inquit. Illa enim segregatio certissimum signum est, quòd non sint de Ecclesia, nec spiritum Dei habeant. Cyprianus mart. ait: Quotquot relicta matre adulteræ iungũtur, illi quoquè à promissionibus Ecclesiæ, quas ipsa à Christo accepit, nempe gratiam spiritussancti, remissionem peccatorum, vitam & præmium pro bonis operibus &c. separantur, & indignos se faciunt &c.

DE SCHISMATICIS ET SECTARIIS NON AUDIENDIS.

Cap. 17.

APOSTOLVS dicit Ephe. 4. Soliciti estote seruare vnitatẽ spiritûs in vinculo pacis. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma &cæt. & confitemur in Articulo fidei nostrę, Credo vnam sanctam Catholicam, id est, vnam, non plures ecclesias: ideò sicut est vna fides Catholica & vnum Baptisma, ità et vnica Ecclesia congregatur vna eademque fide, vniformi baptismo & paribus Sacramentis: & hæc vnica Ecclesia, est etiam communio Sanctorum, id est, Christus est caput Ecclesiæ, & nos corpus eius, Ephe. 1. Colos. 1. Ideò quotquot sunt in illa vnitate fidei Catholicæ, illi participant & intrant in communionem bonorum Christi & Ecclesiæ eius vnicæ, id est, Catholicæ. Sunt ergò omnes Catholici in cõmunione Christi & Ecclesiæ, id est, bonorum Christi, & eorum quæ per totum orbem faciunt pia opera fideles. Contrà, Hæretici & Schismatici sunt omñes illi, qui non volunt consentire, & idem credere cum vniuersali & tota Ecclesia Catholica. Sed eligunt sibi singulares opiniones & fidem, & repugnant fidei Articulis in quibusdam, aut aliter intelligunt & interpretantur Scripturam, aliterq; credunt & dispensant Sacramenta quàm vniuersalis Ecclesia: & sic faciunt specialem sectam & adhærentiam contra fidem & ordinationem vniuersalis Ecclesię, id quod grauissimum est peccatum, multa mala & perniciosa importans: ob id rogat Apostolus Corinthios 1. Corinth. 1. Propter nomen Domini nostri IESV Christi, nè circa illa moueant schismata. ad Rom. cap. 15. rogat vt Deus illis det idipsum sapere, & in alterutrum, secundùm Iesum Christum, vt vnanimes & vno ore honorificemus Patrẽ &c. Philipp. 3. vt idem sapiamus, & in eadem fide permaneamus &c. Rogat pręterea ex corde, nè sint in nobis schismata, per quę scinduntur charitas Christiana & pax Euangelica: igitur omẽs nos fugere debemus sub periculo salutis cunctos schismaticos. Venit enim omne schisma à sathana: nam hic & in cælo priùs & in Paradiso, & nunc & Esa. 14.
olìm in ecclesia hac militanti fecit schisma Gen. 3.
& diuisionem, & semper perturbauit vnionem vniuersalem. Est enim author omis mendacij, & ipse homicida, Iohan. 8. Hic ex superbia suggerit specialem interpretationem scripturæ, priuatam opinionem & noua dogmata: deindè tales suos discipulos ità superbo & obstinato animo indurat in errore & opiniõe sua, vt nullum alium quantunuis sanctum, pium, doctum, & authoritate prędìtum audire velint, sed in sua contumacia & prauitate persistunt, & sic sathan & superbia & mundana gloria &c. Tales itaq; audire & cum illis conuersari, non solùm scriptura, sed vtraque potestas tam spiritualis quàm secularis, ad Tit. 3. Hæreticum hominẽ post vnam aut alteram correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit cùm sit proprio iudicio condẽnatus: admonitio hæc fit authoritate cõcilij procerum Ecclesiæ, vt à tali errore desistat, & scriptura conuellitur &c. Deindè cùm hoc nihil efficit, sed pergit in obstinatione, sciens scilicet ecclesiæ sententiam, & proprio iudicio cõuincitur, quia ità sentit ad commodum & voluptatem suam, dãnatus est, scilicet Ecclesiæ & proprio iudicio suo: & delinquit, id est, peccat coram DEO, qui exigit à nobis vnitatem, & pacẽ nobis suam donat, quam ille propter dissensionem suam perturbat, & facit sibi adhærentiam in populo. Ideò 2. Pet. 2. vocat illos magistros mendaces, qui introducunt sectas, & sibi accelerant perditionem &c. At inquis: Habeo Euangelium, scripturam, verbum Dei, quæ alij non habent, sed doctrinam hominum. Respond. Scriptura nulli Hæreticorum defuit, sed potiùs defuit illis verus & vnanimis intellectus scripturę, & hic apud SS. Patres inuenitur, propter eà nos non solùm similiter verbum Dei & Euangelium, sicut illi, habemus, sed etiam verum, vnanimem & Catholicum scripturæ intellectum, illi verò contra totam Ecclesiæ vniuersitatem, tot præclaros viros,

sanctos & doctos, qui quòd habuerunt assistentiam Spiritussancti, sanctimonia vitæ & multis miraculis comprobârunt, impudenter obstrepunt, contendunt, & contrarium sentiunt. Ideò licèt allegant verba Scripturæ, non tamen sensum Catholicum sacræ Ecclesię tenent, quem Christus per Spiritúsanctum magis Ecclesiæ, quàm cuiquam priuatæ personæ reuelauit, Iohan. 14. Et quemadmodùm nullus homo politicus approbat verba sua q̃ alius quispiam falsò allegat, & aliter in medium adfert quàm ille priùs dixit: ità nec Deus expositionem Hæreticorũ approbat, quandò contra voluntatem & spiritum suum citantur & exponuntur: & Euangelium tunc est Euãgelium, quandò iuxta sensum Catholicum interpretatur, non iuxta huius vel alterius priuatã expositionem: nam Matt. 4. & sathanas allegauit verba Psalmi, sed non Psal. 90. ad verum intellectum: alioquin fuisset nullus Hæreticus in mundo, si cuiuslibet verbum vel allegatio, quam ipse profert pro fundamento suæ hæreseos, esset Euangelium vel verbũ Dei. Prætereà, cùm credimus Ecclesiam Catholicam & communionem Sanctorum, hæc Ecclesia vniuersalis esse non potest vnus author hæreseos cum suis sequacibus, eò quòd talis doctrina & fides est Schismatica, nec diuulgata per orbem terræ, Mar. 16. Ite in mundum vniuersum. Deindè quòd Christus præcipit audire Ecclesiam, Matth. 18. id est, non priuatos homines aut apostatas: nam sola 1. Tim. 3. Ecclesia est columna veritatis, idque propter infallibilem assistentiam Spiritussancti: quomodò ergò conscientia poterit esse secura, quæ communem & vniuersalem deserit fidem totius Ecclesiæ Catholicæ, & adhærere Sectæ contra Dei & Ecclesiæ prælatorum præceptum? Tales nunquàm erunt certi de salute & remissione peccatorum impetrãda: & si dicunt, habeo verbum Dei, hoc tota negat Ecclesia Catholica, quo ad intellectum communem & verum, licèt ore & carnaliter iactét verbum Dei, non tamen ad mentem Christi, qui nostram animam certificat & securam facit de vero verbi sui intellectu. Vndè Apostolus ad Rom. 12. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos &c. Quia igitur omnes sectariorum Doctores Ecclesia Catholica reijcit, quomodò tutus erit Sectarius in conscientia sua? Immò cùm sint & permaneant obstinati, authore sathana in errore, nunquàm tuti erunt in conscientia, sed tanquàm Ethnici qui non audiunt Ecclesiam, Matth. 18. & ab omnibus promissionibus Ecclesiæ alieni. Non igitur cuiusquam anima tuta aut secura erit, nisi in cõmunione & vnitate Ecclesiæ. At inquies: Simplex sum, nec satis intelligo aut legi Scripturas, ità vt nesciam quis rectè doceat. Respond. Si simplex es & paruulus intellectu, habes ecclesiam quam audias, sicut Iudæi habuerunt Mósen & Prophetas: habes testimonia scripturæ, quæ prohibét eos, qui in nouissimis temporibus venturi essent, audiendos esse, 2. Timoth. 2 Nam multùm proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer morbus serpit. Et si dicis, quis probat illos esse tales? Respondeo, Totus consensus Ecclesiæ, nõ in vno, sed in multis ac diuerso tempore celebratis Concilijs, item edicta & decreta Cæsarum ac potestatis ordinariæ cuiuscunque nationis: quòd si pergere vis & tibi soli sapere, perge tuo iudicio & damno animæ: Est ordinaria Excommunicatio Papæ, & fulmen Imperatoris, quæ sunt efficax Dei ordinatio: his autem non obedire, & mori in sua pertinacia, summum periculũ est animæ. Sed latiùs obijciunt: Habent Pontificij corruptos mores, multas superstitiones & abusus, & doctrinam hominum. Respond. Hæc qualiaqualia sunt, minori incommodo & malo tolerantur, idque vsque ad tempus reformationis, quàm schisma, dissensio, inobediẽtia, rebellio & perturbatio pacis Ecclesiæ, & scissura Christianismi: minori enim incommodo toleratur membrum vnum aut alterum corruptum & putidũ, quàm totius corporis destructio aut inuersio. Est enim tam grande peccatum schisma, vt superet omnem corruptelam morum: estque non minus peccatum, quàm infidelitas aut abnegatiò Christi. Etsi enim quis Catholicorũ peccat hoc vel illo crimine, & manet in vnitate Ecclesiæ, & dignam agit pœnitentiam, is faciliùs saluatur, & remissionem peccati sui ob Sanctorum in Ecclesia communionem impetrat, & securiori conscientia moritur, quàm sectarius qui se ab Ecclesia segregauit, & extra illam tanquàm extra arcam Noë miserè perit: nam illi nulla Sacramenta vel Eucharistiæ vel Orationis vel Baptismi (nisi conuersus fuerit) subuenire possunt, quia ea contaminauit & inefficacia fecit per crimen schismatis. 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem, & nouerim oĩa mysteria &cęt. charitatem autem non habuero, id est, vnitatem & pacem Ecclesiæ, & condolentiam erga proximum meum, nihil

nihil sum:id est, nihil eorũ bonorum, quæ facio, mihi ꝓderit ad salutem: summoperè ergò fugiendi sunt Hæretici. At illi inhibent summa diligentia & comminatione, nè audiantur Catholici. Respondeo, Iohan. 3. Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, nè arguantur opera eius &c. Nos neminem coarctamus ad nostras Prædicationes, etsi sciamus quòd non pia intentione nos audiunt, attamen in luce stamus, & veritatem dogmatis Ecclesiæ publicè declamamus, & declaramus & decernimus in Concilijs generalibus, Conuentibus legitimis, Comitijs, Edictis &cæt. idque non contra verbum Dei aut Euangelium eius, sed contra falsum intellectum Hæreticorum, & priuatam interpretationem, nouam doctrinam & opinionem desertorum Ecclesiæ: de abusibus verò Ecclesiæ nostræ non ità, vt deberent, secundùm charitatem erga proximũ & vnionem Ecclesiæ, loquuntur: sed schismaticè, id est, maleuolè & mordaciter, nullam habentes condolentiam, nec alterius onera fraterna mansuetudine portantes, cùm & grauiorib⁹ peccatis ipsi sint inquinati, & grandiorem trabem in oculo suo habeant, quàm Catholici: sed taxare abusus, non priuatorum, sed superiorum hominum est. Sed hoc sectariorum propriũ est, cùm sint inimici Catholicorum, omia ipsis in peius rapiunt, & in alienã planè intentionem interpretãtur. Nam si Christus ipse talis fuisset, qualem eum impij Iudæi blasphemabant, quòd in Beelzebub eijceret dęmonia, quòd esset sednctor, blasphemus &c. non iniustè eum ità appellãssent. Sed mendaciter hęc aduersùs illum proferebant, vt alienarẽt populum, nè ei crederet: ità quoquè sectarij faciunt, & Ecclesiam onerant mendacijs ac conuicijs: si autẽ Ecclesia nostra ità vt illi fingũt, se haberet, iure eam dãnarent. Sed cùm longè falsissima sint, ideò suffocantur schismatici cum suis mendacijs, sicut Iudæi aduersùs Christum, & verificatur illud Psal. 68. Opprobria exprobrãtium tibi, ceciderunt super

Psal.34. &68. me &c. Et, Odio habuerũt me gratis. Præterea si Christ⁹ respexisset peccata nostra, & nõ dilexisset Patrem, cui obediuit vsq; ad mortem, nunquàm nos redemisset, nec se nobis sociãsset, neq; carnem ac sanguinẽ nostrum assumpsisset. nec hodiè peccatores ad gratiam reciperet, si peccata essent causa dissidij & Schismatis, id est, vt scindatur vnitas & charitatis vinculum. Nullum igitur peccatum, manente tamen fide recta in Christum, sufficiẽs est causa ad faciẽdum schisma: arguere & monere debemus errãtes fideles in charitate & pace, sed non separationẽ facere: Moses nõ reliquit populum duræ ceruicis propter specialia peccata, Exod. 32. neq; Prophetæ reliquerunt statim reges Israel ob peccata &cæt. Nam queadmodùm idem erat Iob in stercore, qualis anteà in sanitate: sic vna & eadem Ecclesia est, licèt iam paulo deformior sit facies eius, atquè olim fuit in principio. A tali igitur congregatione se separare propter peccatum, nõ est sufficiens causa separationis. 1. Corinth. 13. Charitas omnia suffert, omnia tolerat &cæt. Igitur Sectariorum animus est inflatus sathanæ spiritu, qui se reputat cæteris sanctiorem, & facit separationem: ità quoquè Pharisæus dixit Luc. 18. Non sum sicut cæteri hominum. Tales nempè sunt schismatici, qui propter accidentale aliquid in Ecclesia, vtpotè propter communionem vnius speciei mouent dissidia, & scindunt vnitatem. Quarè ante omnia tales schismatici homines fugiendi, vitandi, & nullo modo audiendi sunt, qa subuersi & depraunti sunt.

DE FIDE CATHOLICOrum & fide Sectariorum. Cap. 18.

VERBA Diui Athanasij nota sunt, cùm inquit: Quicunque vult saluus esse, ante omia opus est vt teneat Catholicã fidem: quam nisi quisque integram inuiolatamq; seruauerit, absque dubio in æternum peribit, &c. Illa fuerũt consensu omnium Patrum Niceni Concilij tẽpore Arrij ac aliorum Hæreticorum recepta, in templis quotidiè lecta, & ad certitudinẽ fidei & ad hortationẽ scripta, vt Catholicam fidem: Catholicam inquam, non sectariam: inuiolatam, id est, immutabilem, & talẽ qualis ab initio fuit, integram conseruaremus: & in ea, si salui esse velimus, permaneremus. Illa est enim fides totius Christianitatis, quã totus Christianus orbis tenet, & æqualiter obseruat de Christo, sacramentis, ceremonijs, bonis operibus &c. Ob id dicitis habere fidẽ Catholicam, qui sic credit & tenet integrè & inuiolabiliter, quod tenet tota Christianitas, & vitam suã finit in hac confessione. Sic commendauit Apostolus Romanos, & gratias agit Deo, quòd fides eorum annuncietur in vniuerso orbe, id est, quòd ipsi sic crederent, quemadmodùm tota Christianitas per orbem terræ.

Ex quibus patet, quòd nulla fides vel Iudæorum, vel gentilium, vel ſectariorū poteſt dici Catholica fides. Nam ſectæ & hęretici inter ſe variant de fide, Sacramentis & cæremonijs, & alijs ſpecialibus Articulis, nec credunt aut confitentur, ſicut tota Eccleſia Catholica. Nolunt enim captiuare intellectum ſuum, & ſe ſubmittere Eccleſiæ communi indicio, ſed ſpecialem ſibi fingunt religionem, priuatam interpretationem verborum ſcripturæ. Eſt enim vna fides, ſecundùm Apoſtolum Epheſ. 4. cui ſubſcribit tota Chriſtianitas. Non eſt alia fides pręter hanc acceptanda, ſicut nec alius Chriſtus, licèt clament Sectarij, Hîc eſt vera fides, hîc eſt Chriſtus. Quicunque ergò huic fidei vni nō ſubſcribit, nec eam tanquàm vniuerſalem confitetur, ſed ſequitur opiniones Hæreticorum vel ſectariorum, qui ſe à communione Eccleſiæ ſeparârunt, is abſque dubio in ęternum per-
1.Cor.1. ibit: ob id quoquè Apoſtolus Corinthios vnicè rogat, nè in illis eſſet ſchiſma, ſed vt idipſum crederent omnes, vt eſſent perfecti in eodem ſenſu. Sic quoquè Romanos admonet Rom. 15. Deus det vobis idipſum ſapere, id eſt, credere, inter alterutrum, id eſt, vnus ſicut alius, vniformiter in fide, vt vno ore honorificent Deum & Patrē Domini noſtri IESV Chriſti. Maximè autē odiuit Apoſtolus Schiſmata in fide & ſectas, quandò hoc eſt grauiſſimum peccatum atque damnabile, eò quòd Deus exigit in Eccleſia ſua vnitatem & concordiam circa fidem, cultum, cæremonias & alia, Philipp. 3. Ob id etiam Apoſtolus ſciſſores illos, id eſt, ſectarum & ſchiſmatum authores, vocat canes, qui ſuo latratu perturbant quietudinē & vnitatem fidei in cordibus hominum. Nam ante illorum latratum erat vna & ſimpliciſſima fidei cōcordia in hominibus, quæ nunc latratu illorū rumpitur. Ob id Apoſtolus vocat eos canes, deindè inimicos crucis Chriſti. Non enim ſic latrant ex humilitate cordis, ſed ex inſidia, ſuperbia & mordacitate, vt cęteris præferantur, vt in voluptate viuant, & ventrem colant, ſed gratia adhærentiæ, vt applauſum habeant à populo. Patres præterea maximo ſtudio inculcârunt hominibus tempore Hæreſeon, nè ſe paterentur abduci à fide Catholica ad fidem particularis alicuius ſectæ, ſed vt perſeuerent in fide vniuerſali totius Chriſtianitatis. Hinc natum eſt quod vulgò dicitur, Credo hoc quod ſancta credit Eccleſia, id eſt, tota Chriſtianitas. Sic in veteri Teſtamento dum Ieroboam erexit vitulos, id eſt, nouam fidem & cultum Dei, Tobias nō conſenſit, ſed pergebat in Ieruſalem ad veram Eccleſiam, & in fide Patrū perſeuerans, ſacrificia Deo vero obtulit, Tobi. cap. 1. Ità nec Daniel Propheta potuit flecti vt adoraret ſtatuam, ſed aperta feneſtra in cubiculo versùs Hieruſalem, adorauit Deum, perſeuerans in fide Patrum, & tribus temporibus in die flectebat genua, &c. Danielis cap. 6. Et Deuter. 11. Moſes inquit: Cauete nè capiatur cor veſtrum, vt declinetis à via & fide recta, & ſeruiatis Dijs alienis &cæt. nè iratus Dominus, claudat cælum &cæt. Ex quo patet, quantùm Deo diſpliceat declinatio à fide Catholica, vt omnia aduerſa nobis, famem, peſtem, gladium & alia flagella immittat: Sic de ſexcentis millibus virorum propter defectum à vero cultu Dei, quia crediderunt falſis exploratoribus, Num. 14. Nullus intrat terram ſanctam, niſi Ioſue & Caleb: adeò certa pericula imminent hîc & in futuro omībus, q̄ declināt ad ſectas. Et in nouo Teſtamento commendantur Philippenſes ab Apoſtolo Paulo, eô quòd conſtanter perſeuerauerunt in fide Chriſti accepta, non præbentes aures Sciſſoribus & falſarijs, qui eos iterùm in legem Moſis, reducere volebant, & non ſolùm eos cōmendat de perſeuerantia & conſtantia, ſed etiam quòd parati erant pati quicquid etiam eis accideret. Vndè & Chriſtus æternam beatitudinem promittit his qui perſeuerant vſq; ad finē, id eſt, in fide Catholica, Matth. 10. & 24. Præterea in nouo Teſtamento habemus Exempla plurima, ex quibus videmus quàm acerbè Deus vendicat illam defectionem à Maiorum noſtrorum fide & religione: id quod teſtatur funeſta deuaſtatio Hieroſolymitarum, & omnium ferè regionū & populorum, quibus olìm Paulus prędicauit Euangelium, qui poſtquàm defecerunt à fide Catholica, inciderunt in manus Aſſur, id eſt, infidelium Turcarum &cæt. Contingit enim vt regnum in ſe diuiſum, deſoletur temporali politia: quia Apoſtolus prædixit futurū in diebus nouiſſimis diſceſſum à fide, 1. ad Timoth. 4. Nè igitur credamus ſpiritibus erroris, ſed perſeueremus in Catholica religione. Eſt igitur fides Catholica integra & inuiolata ſeruanda, ſecundùm Athanaſium, ſi quis cupit ſaluari. Sunt pleriq; qui claudicant in vtranque partem, quod peccatum Helias grauiſſimè arguit, 3. Reg. 18. nec illi ſunt in ſtatu ſalutis. Igitur quæ fidei ſunt circa Chri-

Christum,Sacramenta, & cæremonias &c. Quicunq; salutem cupit,ante omnia opùs est vt teneat Catholicam fidem. Ibi est enī securitas conscientiæ, approbatio totius Christianitatis,doctrina & suggestio Spiritussancti,& eius perpetua assistentia &c. Magna quoquè est differentia inter fidem simpliciter acceptam, & inter Catholicam fidem. Nam non statìm consequitur: Ille habet fidem,ergò saluus erit. Nam omnes Sectarij ac hæretici saluarentur. Sed quicunque vult saluus esse, is fidem Catholicam vt teneat ante omnia opùs est: vt tradit Niceni Concilij symbolum: ergò non quælibet, sed sola Catholica fides vera ac saluifica est: & sicut vnus Sol per totum mundum diffundit suos radios,sic Catholica fides diffunditur per totū orbem: Sectarum verò fides per cœtus hincindè spar sa est,nec sibi in vno loco sicut in alio constat:nec huius authores se mutuò amplectuntur,nec conueniunt in dogmate: nec habent vllam prærogatiuam vel antiquitatis,vel consensûs, vel vniuersalitatis. Et S. Irenæus assimilat Catholicam fidem tunicæ inconsutili Christi, & desupèr contextæ, in qua si vna rica rumpitur, totum
Iohā.19. resoluitur: sic Catholica fides sibi mutuò cohæret, nec sinè læsione aliquid detrahi potest:qui ergò in vno non credit articulo fidei,totam fidē soluit & maculat.Quia ergò schismaticorū fides integra non est, ob id saluare neminem potest. Prætereà sectarij prædicant fidem & scripturam ad suum priuatum sensum: nos verò fidem & euangelium iuxta intentionē totius Christianitatis, quā per vniuersum orbem docet Spiritussanctus, sicut Apostolorū temporibus,docemus & interpretamur. Magnum igitur periculum est animæ, discedere à cōmuni fide, & segregare seipsum, vt in sua Canonica Epist. Iudas ait. Licèt enim aliquis totum mundum lucrari posset,si discedat à fide Catholica,tamen ei in æternum esset damnabile: talis enim priuatur omnibus promissis Ecclesiæ, vt ait Cyprianus. faciat ergò homo quæ velit, modò ab Ecclesiæ vnione communi non discedat ad sectarios: nam si discessio à communi fide Catholica non esset grande peccatum, Apostolus non dixisset, Sectæ regnum Dei non possidebunt,Galat. 5. & Iudas ait eos spiritum Dei non habere,qui segregant semetipsos,id est,sectas faciunt. Et Iohan. 1. Epist. cap. 2. vocantur Antichristi,& quòd exièrunt à nobis, sed non erant ex nobis. Non igitur vna res est,adhærere fidei sectariæ, & esse in Catholica seu cōmuni fide. Quarè ab illa fide nemo sanus & prudens patietur se abduci vel à parentibus vel amicis vel consanguineis, sed propter hoc homo odio habebit patrem suū, antequàm velit discedere à Catholica fide. Deo enim & verbo eius Ecclesiæ magìs obediendum & adhærendū est,quàm hominibus: & pluris est animæ salus,quàm obedire hominibus. Porrò oīs Secta & Natio iactat suam fidem, & eam meliorem & sanctiorē reputat,vt ait Athanasius in quæst. suis ad Antiochum. Sed quoniam non habent illi vnitatem fidei Orthodoxę,ob id fides eorum non saluat, nec bona aut sancta est, nec impugnatur à sathana sicut Catholica fides, eò quòd sathan scit quæ sunt illius, vt ait ibidèm D. Athanasius, & propterea gentilium & sectarum fidē in hac terra minùs impugnat, sicut Catholicam fidem,eò quòd sibi hæc contraria est. Nec prosunt in fide sectariorum aut gentilium vllæ iustitiæ aut bona opera, eò quòd ibi vnitas non est Catholicæ fidei:nec est ibi remissio peccatorum, nec communio Sanctorum,quia verba sacrosancti nostri Symboli sic habent, Credo Ecclesiam vnam Catholicam, vbi excluduntur oēs sectæ,Turcæ & Iudæi &c. Quicquid igitur fit extra illam Ecclesiam, displicet Deo, & inefficax est. Et quia iam pauci Reges & Principes Christiani Orthodoxam fidem tuentur, nec inuiolatam seruant: igitur regna & Nationes ipsorum tandèm omni fide & Religione destituentur, & desolabuntur iuxta Prophetiam Euangelicam Luc. 11. Omne regnum diuisum,&c.

DE EVANGELIO CATHOLICORVM ET EVANGELIO Sectariorum. Cap. 19.

EVANGELIVM dicitur,secundùm Augustinum, bonū siue lætum nuncium: sicut si captiuo aut reo denunciaretur liberatio è carcere,& sicut denunciatio de parta victoria contra hostes, quēadmodùm mors & prostratio Goliath,quem Dauid in funda deiecit, factus est rumor bonus, 1. Reg. 17. Sic Christus venit nos liberare è carcere peccatorum,id est,prædicare & denunciare reis ac captiuis condonationem culpæ & remissionem, Esai. 61. Venitq; prosternere ac captiuare hostem nostrum, id est,

dia-

diabolum, qui nos captiuos habebat, ficut inquit Iohan. 14. Princeps huius mundi
Ose. 13. iam iudicatus eſt. Et cū inquit, Ero mors tua ô mors &c. Eſt ergò Euangelium bonus & lætus ſermo de Chriſto, quatenùs miſſus à Patre, venit pro noſtra redemptione à peccatis, & liberatione à diabolo, & donatione vitæ æternæ: in hoc ſermone ſiue Euangelio eſt virtus Dei & potentia in ſalutem omni credenti, id eſt, qui illi verbo vel ſermoni Dei de Chriſto credit, per potentiam Dei ſaluatur & liberatur à morte. Eſt autem vnum Euangeliū ſiue vnum verbū Dei, ſicutì Apoſtolus dicit Ephe. 4. vna ſpes vocationis veſtræ, & dicitur Catholicum Euangelium, eô quòd vniformiter & vno modo & ſenſu de Chriſto prædicatur per totum orbem, hoc eſt, vna & concors prædicatio Chriſti, quæ exiuit in omnem terram. Omnes enim Apoſtoli, & eorum ſucceſſores ac SS. Patres, vno ſermonis ſenſu & intellectu ac æquali verbi Dei expoſitione hoc Euangelium docuerunt, & nobis partìm per ſermonem, partìm ſcripto tradiderunt, & tanquàm depoſitum & indubitatum ſermonem veritatis Eccleſiæ reliquerunt: ob id dicitur Euangeliū Catholicum, id eſt, totius Chriſtianitatis fides. Monueruntq́ue Apoſtoli ſuos diſcipulos, quatenùs hoc verbum veritatis rectè tractarent, & depoſitum hoc cuſtodirent, vitantes prophanas vocum nouitates, id eſt, noua dogmata & ſententias circa hoc Euangelium. Sectariorum autem Euangelium eſt, quod quidem ſibi fingit Chriſtum, ſed eum ad placitum ſuum prædicat & docet præterquàm omnes Maiores docuerunt: Eſtq́; ſingularis gloſſatio & intellectus ſcripturę veteris & noui Teſtamenti, diſcordans cum intellectu Catholico, quem de Chriſto, Euangelio & ſcriptura tota vniuerſitas credit, de quibus ſectarijs Apoſtolus dicit 2. Corinth. 2. Nè ſimus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei, ſed ex ſynceritate ſicut ex Deo corā Deo in Chriſto loquamur. Et 2. Pet. vlt. Chariſſimus frater noſter Paulus multa ſcripſit intellectu difficilia &c. quæ inſtabiles & indocti deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem &c. Auguſtinus ſuper 10. cap. Iohannis inquit: Omnis Hæreticus prædicat Chriſtum qualem ſibi fingit, non qualem veritas Eccleſiæ habet & credit. Sic Iudæi prædicant Chriſtum, id eſt, Meſsiam, ſed ſic, quatenùs qui adhuc ventur⁹ ſit, & nondùm venerit: ob id reijciunt Apoſtolos & Euangeliſtas in toto, eô quòd teſtentur Meſſiam veniſſe in carne, & nos redemiſſe. Porrò commendant illi quidem Chriſtum, & volunt vt in ipſum credamus, ſed quatenùs adhuc venturus ſit, quia nōdùm credunt eum veniſſe: hoc Iudæorum eſt Euangelium & Sectariorum quoquè, non verò Catholicum: ideò talis fides ac tale Euangelium eos non ſaluabit. Sic Manichæi, Cerdoniani, Marcioniſtæ prædicant Chriſtū ac Euangelium, ſed ità quòd Chriſtus ſecundùm Deitatem non ſit natus ex virgine, nec habuerit carnē & ſanguinem, nec verè mortuus aut paſſus, eô quòd Deus fuerit, & Deum nec pati nec incarnari poſſe, quia ſpiritus eſt: ideò Chriſtum non natum eſſe dicunt, ſed ſactum ſicut perſonam comicam, & cùm anno triceſimo baptizaretur in Iordane ille homo quē Maria genuit, tum primùm audita eſt vox illa, Hic eſt Filius meus dilectus &c. Tunc illi homini infuſa eſt diuinitas Dei, quæ poſteà per illum hominē locuta & operata eſt miracula, tanquàm per inſtrumentum aliquod: & ille quidem homo natus & paſſus eſt, non autem Chriſtus, id eſt, Deus in illo homine: & ſic ille homo factus eſt Chriſtus, non autem natus ex Maria. Et huiuſmodi centum alia deliria blaterant, atque ſic repudiant omnem ſcripturam & teſtimonia Euangeliſtarum: nec Mariam honorare voluerūt illa ſalutatione, Aue Maria &c. Luc. 1. Hoc ipſorū erat Euangelium, quod prædicabant grandibus verbis, & aſtruebant hoc verum eſſe Euangelium, nec aliud debere prædicari, ità vt & ipſum B. Auguſtinum per nouē annos in peſtifera ſua Secta detinuerint, ſed perſuaſum humanæ ſapientiæ verbis & dulci eorum ſermone, vt ipſe fatetur, cùm clamarent impudenter, Veritas, veritas, Euangelium Euangelium, &c. Sed qualecunque hoc fuit Euangelium, certè Hæreticum & Sectarium fuit, non verum ac Catholicum: non enim ſic prædicant Catholici Chriſtum, ſed credunt eum ſecundùm Deitatem incarnatū ex virgine Maria, & verè locutum & paſſum eſſe, non fictam perſonam fuiſſe &c. Sic Arrius, Ebion, Cerinthus, Photinus prædicabāt quidem Euangelium Chriſti, ſed docebāt ipſum ex ſemine vel actu nuptiali ex Ioſepho conceptum: cæteri purū hominem, non Deum aut Dei Filium, dicebant: ob id omnes ſcripturas & teſtimonia Prophetarū de diuinitate Chriſti, repudiabant &c. Sed non erat hoc Catholicum Euangelium, quod docet Chriſtum eſſe

esse vnigenitum dei filium, non nuncupatiuè aut putatiuè, sed substantialiter & essentialiter: & hęc est fides & verum Euangelium quod vincit mundum, 1. Iohan. 2. Sic prætereà plusquàm trecentæ Hæreses & Sectę enumerari possent, quę omes quidem prędicârunt Christum, & Euangeliũ eius in ore habuerunt, sed peruerso ac hæretico intellectu, & scripturam aliò detorserunt, nempe ad stabiliendam suam erroneam de Christo fidem & opiniōem. Vndè & meritò dicuntur Hęretici, quia seipsos segregant, & spiritum Dei (id est, veritatis) non habent: sed spiritum arrogantiæ, vt videantur & audiantur ab hominibus. Sed Paulus hos seriò vitare iussit, cùm inquit: Rogo vos fratres, vt obser-
Rō. 16. uetis eos qui dissensiones & offendicula faciunt præter doctrinam quam vos didicistis, & declinate ab illis. Tales enim CHRISTO non seruiunt, sed suo ventri, & seducunt per dulces sermones corda innocentium. Et 2. Timoth. 2. Multùm enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer morbus serpit. Sic nostris temporibus Zuingliani & Luterani prędicant Euāgelium & CHRISTVM, quòd quidem Deus sit & homo: sed nos ità redemerit, vt nihil nobis prosint aut necesse sint quæuis bona opera, eò quòd ipse gratis omnia nobis donat propter solam fidei confessionem: & nos errare, quasi velimus per ieiunia, orationem, eleemosynam & cætera bona ac pia opera remissionem mereri & pręmium aliquod, & nos sic derogare gratię CHRISTI: nam ipsum pro nobis ieiunâsse aiunt, orâsse & satisfecisse: non exigere nostra opera, sed solam fidem &cæt. Hoc ipsorum est Euangelium, quod ità efferunt & purum & sanctum ac clarum esse, & è tenebris nuper & sub scamno in lucem reuocatum prædicant. Sed hanc ipsorum de Christo prędicationem seu euangelizationem, erroneam & sectariam esse, tota testatur Ecclesia Catholica, cuius Euangelizatio de Christi operibus talis est, nempè Christum semel nobis in cruce omnia meruisse & satisfecisse Patri, sinè operum nostrorum aut meritorum adminiculo: Deindè opera nostra non iterùm & quasi de nouo mereri remissionem peccatorum & vitam æternam, quam CHRISTVS nobis semel meruit, nec in hunc finem fiunt, sed ideò, vt prouocemus Deum, ac disponamus nos ad participationem & communicatiōem illius thesauri per Christum nobis semel acquisiti ex misericordia, quem quidem thesaurum nobis sinè fide, pœnitentiæ operibus & alijs medijs non communicabit, atque ideò necessaria sunt opera ad illam fidei confessionem: Hæc fides Catholica coniungit timorē & opera bona, sed Sectaria fides parit falsam fiduciam & licentiam in solo merito Christi, & inducit odium bonorum operum & inobedientiam superiorum, & omem perturbationem disciplinę Ecclesiasticæ. Sed hoc studio & arte sathanę contingit, qui eos sic agitat & mouet, vt resistant totius Ecclesiæ ac sanctorum Patrum dogmati; & sese efferant, sicut in veteri Testamento Iamnes & Mambres restiterunt per contumaciam Mosi seruo Dei, Exodi 7. ità illi se doctrinę Ecclesię opponunt. Sunt autem homines corrupti mente, & reprobi circa fidem, id est, peruersi ac falsi in fide, non quam habet tota Christianitas: habent quidem speciem pietatis, iactantes CHRISTVM, verbum Dei, Euangelium &cæt. Quarè valdè periculosum est, credere illis, & se à fide & doctrina Catholica separare, & relinquere veritatem ECCLESIAE vniuersalis, & ad opiniones Hęreticorum conuerti: Id enim futurum esse prędixit Apostolus 2. Timoth. 4. cùm inquit: Et erit tempus cùm sanam doctrinam (id est, Euangelium Catholicum) non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate auditum auertentes, ad fabulas & dulcia verba conuertentur. Nam vt fabula, dum narratur, quædam similitudo veritatis auditur, quæ tamen ipsa veritas non est, vt illi falsò persuadēt suis auditoribus: ità in specie ipsorum euangelium videtur ipsi veritati consentaneum, purum & syncerum esse, cùm tamen si ECCLESIAE doctrinam de CHRISTO inspiciamus, non quidem vera, sed sectaria & falsa sit. Vt igitur est aliud quidem CATHOLICVM euangelium, & aliud Hæreticum ac Schismaticum: sic sunt alij Christiani Catholici, alij Schismatici, sed Schismatici non placent DEO, nec capaces sunt promissionum Ecclesiæ & bonorum eius, secundùm Cyprianum. Ob id licèt se iactent Euangelicos, quia tamen verum Euangelij sensum non docent, non efficient quicquam, nec promouebuntur. Catholici Euangelici exercent bona opera, ambulant in præce-

ptis Dei, & obediunt, & audiunt Ecclesiam, non quatenùs illis suis pijs factis mereantur cælum seu vitam æternam: hanc enim solus CHRISTVS meruit, sed vt Deum prouocent, (verursachen) vt habeat occasionem nostrorum miserédi: Ideò non solùm fide, sed etiam testimonio bonorum operum, ieiunij, eleemosynæ, orationis, & castigationis corporum nostrorum clamamus, pro misericordia Dei promissa nobis propter CHRISTVM, in quem credimus: quæ misericordia sola causa est atque origo remissionis peccatorum & vitæ æternæ propter CHRISTVM: si quis autem cessat clamare fide, oratione & cæteris pijs actionibus ad Deum pro misericordia, aut putat sola fide Deum se flexurum, ille fallitur & periclitabitur de salute æterna. Sunt igitur opera nostra omnia, non nisi occasiones, quibus Deus mouetur, & ei certa quædam occasio datur, vt nostri misereatur, id est, tribuat remissionem peccatorum & vitam æternam, non quòd mereamur hæc simpliciter, aut ex vi vel dignitate nostrorum operum. Summa, non certamus de modo merendi iustificationem & salutem: hæc enim semel per vnum, id est, CHRISTVM, fuit promerita: sed de modo distributionis & participationis, an propter solam fidem sinè vlla obseruantia præceptorum & bonorum operum ac pœnitentiæ distribuatur &c.

DE FIDE CATHOLICORVM CIRCA MERItum bonorum operum.

Cap. 20.

CHRISTVS Iohannis 10. inquit, Ego cognosco oues meas, & vitam æternam do eis. Sed quarè dat? quia oues eius sumus & filij: Nam quarè dat pater hæreditatem filio, nisi propterea quia filius eius est? At pater quomodò posset dare filio bona hæreditaria, nisi ipse pater illa bona labore suo & sudore acquisiisset primò, sinè merito filij, fortè nondùm nati? ità CHRISTVS quòd dat vitam æternam ouibus, vndè posset, nisi ipse primò solus illam meruisset sua passione vitam & remissionem sinè merito ouium suarum vel filiorum? Sic 1. Iohannis 2. dicitur, Non quasi nos dilexerimus DEVM, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiatorem pro peccatis nostris: Oportet ergò partam esse hæreditatem, antequàm filio communicetur. Ex quo patet, quòd aliud est mereri remissionem peccatorum & vitam æternam operibus vel satisfactionibus: & aliud, iam per alium meritam remissionem & acquisitam vitam recipere, eiusq; fieri participem: sicut aliud est, quòd pater bona hæreditaria solus promeruit & conquisiuit ac thesaurizauit: Deindè, quòd filius iam conquisitum thesaurum per patrem ipse, quia filius & gratus patri, accipit & ei communicatur, sinè vllo suo antecedente labore vel merito ad conquirendum eiusmodi thesaurum, quia solus pater conquisiuit illum suo labore sinè adminiculo alterius: Ità credit & tenet CATHOLICA fides, quòd remissionem peccatorum & vitam æternam solus CHRISTVS meruit sua voluntaria passione & obedientia, qua obediuit Patri vsque ad mortem, sinè adiutorio & assistentia meriti hominum aut totius mundi: Nam solus ipse integer ac totus est Saluator & redemptor, solus promeruit hunc thesaurum gratiæ, scilicet remissionis & vitę æternæ: Ob id dicit Matthęi 11. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, id est, remissio peccatorum & vita æterna, quæ merui, & sunt in mea potestate sita. Sic dicit Iohannis 13. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, velutì naturalis pater habet omnia bona hæreditaria in sua potestate antequàm ea dispenset: solus ergò CHRISTVS meruit hunc thesaurum remissionis & vitæ æternæ, & cadunt sub solo eius merito: ipse ea habet in manu sua, & potest distribuere cuicunque volet. Licèt enim omnium hominum totius mundi merita, iustitiæ, labores & castigationes in vnum congregata fuerint, non tamen possent propria virtute & dignitate mereri remissionem & vitam æternam, & cętera. Solus ergò CHRISTVS meruit sua passione ac morte hæc omnia, idque sic volente & ordinante Patre cælesti: sinè illo nemo ausus fuit sperare salutem, nec vnquàm eam consecutus fuit: Ob id liberè docet ECCLESIA, nos non potuisse mereri hęc nostris operibus absque illo: Non ergò huc nostra diriguntur media & bona opera, vt velimus per hæc illa mere-

mereri, sed potiùs vt participationem habeamus: CHRISTVS enim semel meruit, & sufficit: nos tantùm laborare debemus, vt participationem eorum conquiramus nobis. Prætereà CHRISTVS non sibi hęc meruit, scilicet remissionem & vitam æternam, quia ipse his non opùs habebat, quia peccator nō erat: & etiam, quia Filius Dei habet cælum. Sed nobis meruit, vt hæc nobis posset communicare, & eorum participes facere: ideò per illum & propter illum efficimur capaces remissionis & vitæ æternę: quia nemo accipere potest, nisi vel propter, vel per CHRISTVM. Vndè Iohannis 14. dicitur: Nemo venit ad Patrem nisi per me, id est, nemo accipit remissionem peccatorum & vitam æternam, nisi per me aut propter me, & nisi à me illi hæc donata fuerint: ego enim habeo hęc omnia in mea potestate, quia Pater mihi tradidit: ego sum ostium in ouile, per me oportet oues ingredi in regnum cælorum, Iohannis 10. Quoniam ergò ei Pater omnia dedit in manus, Iohannis 13. idcò ipsius est donare, cui vult: promittit autem & assecurat omnes homines, quòd quicunque in eum crediderint, Iohannis 3. & voluntatem eius ac sermonem seruauerint, cauendo peccata, pœnitendo, obediendo, orando, &c. illis velit communicare, eosque participes facere illius sui promeriti thesauri, cuius ipse quidē nōn indiget. Ideò si has conditiones habuerimus, tunc ipse promittit communicaturum se nobis illa quæ promeruit diligentibus se: Itá enim dicit Matthęi 19. Si vis ad vitam ingredi; serua mandata. Et Matthæi 7. Non omnis qui dicit mihi, nomine domine, intrabit in regnum cęlorum, sed quicunque fecerit voluntatem Patris mei. Non igitur pro sola fide, sed etiam pro obseruantia pręceptorum Dei & mandatorum suorum, ac pro obedientia Ecclesiæ suę pręstita, p̄mittit participationem & cōmunicationem sui promeriti thesauri ex misericordia. Ex quo sequitur primò, quòd omnia nostra opera & merita non illuc dirigantur, vt velimus directè per hæc mereri cælum & vitam æternam, cùm hęc iam per Christum promerita sint & acquisita, & non est possibile, vt nostris meritis vel operibus promereri possint: sed potiùs ideò fiūt & exiguntur, vt participes efficiamur, & vt nobis ea communicentur. Ideò meritum operum nostrorū solùm refertur ad communicationem & dispensationem seu participationem promeriti thesauri per Christum, non quidem quasi per nostras vires hęc simpliciter velimus aut possimus mereri. Quicunque ergò crediderit & pręcepta Diuina seruauerit, is promerebitur cōmunicationem & participationem thesauri per Christum promeriti. Pręterea quòd illis medijs, nempe fide & obseruantia pręceptorum Dei, accipimus & promeremur participatiōem meriti Christi: hoc ipsum quoque gratia & promissio Dei est, nō nostra virtus aut meriti dignitas. Promisit enim credentibus vitam æternam & remissionem, Iohannis 3. & meritum operum suorum, 1. Corinth. 3. & eò quia promisit, ideò gratia ipsius est: non autem Iudęis pœnitentibus, quamuis etiam habeāt opera bona, sicut & Philosophi, vt sunt opera naturalis rationis, illis tamen non promisit cōmunicationem sui meriti thesauri, eò quòd illorum opera non ex fide vera & recta procedunt, vt Rom. 14. Non ergò nostris meritis credimus nos impetraturos cęlum aut vitam, sed communicationem, & hoc quidem ex gratia aut propter Christum, Deo Patre cęlesti itá volente, qui cum suo potest facere quę vult, Matthęi 20. Est tamen semper causa, ratio, fundamentum pręmij, remissionis & salutis ipsa promissa Dei & gratuita misericordia propter Filium Christum, non ipsum opus operatum nostrum. Omnia porrò opera nostra, institiæ, vigiliæ, ieiunia, orationes, castigationes, obseruantiæ pręceptorum Dei, obedientia Ecclesię & superiorum, hęc & similia alia, habent oīa sua promissa merita remissionis peccatorum & vitę æternę ex misericordia: non vt hęc mereantur simpliciter, sed vt promereantur participationem & communicationem illius meriti Christi, qui solus hoc meruit, & donare promisit illa media seruantibus, id est, fidem habentibus, & obseruantibus pręcepta eius, orantibus, vigilantibus, pœnitentibus, &c. Quicunq; ergò hęc media non habet vel contemnit & reijcit, is omninò illis bonis communicabit, nec particeps fiet: & ob id necessaria sunt opera bona, & non sola fides nostra, idq; propter communicationem promeriti illius thesauri per Christum, non vt de nouo mereatur ille, quem Christus semel promeruit, sed vt participes & digniores fiamus &cęt. Et hęc est sententia & fides Catholicorum circa meritum bonorum operum, quòd ex gratia (id est, fauore Christi) opera nostra sic acceptantur, & tan-

tantum DEO placeant, vt efficiamur participes remissionis peccatorum & vitæ æternæ. Et dicuntur largo modo mereri opera nostra cælestia bona, id est, acquirere participationem remissionis peccatorum & regni cælorum, quæ tamen CHRISTVS ipse verè & solus promeruit, donat autem ea nobis sic ex sua misericordia & gratia pro exiguis operibus in eius fide atque obseruantia factis, quasi nos ipsi meruissemus: tanta est DEI pietas: sed studium & opera nostra tantùm ad participationem referuntur: statuimus enim CHRISTVM solum salutis authorem, & damus nomini ipsius gloriam, & eius solius merito omnia bona cælestia accepta referimus &c. Propter ipsum verò hæc nobis communicantur à patre ex misericordia. Hæc fides Catholicorum vincit omnium Hæreticorum calumnias, quibus nos grauát, quasi CHRISTVM vilipendamus, & nostris operibus vitam æternam attribuamus, quasi CHRISTVS gratis venisset, & cogeretur nobis pro nostris meritis dare cælum: Deindè quasi ponamus omnem nostram iustitiam in externa opera & cæremonias, quasi Pharisæi, & non in fide IESV CHRISTI &cæt. cùm tamen nihil nobis attribuamus, nisi quod de illius manu accipimus. Deindè traducunt nos, quasi aliud medium & aliam redemptionem quæramus, nempè opera & merita nostra, quàm ipsum CHRISTVM: sed hæc ex odio magis ac mendacio aduersùs CATHOLICAM ECCLESIAM fingunt, vt populum alienent, cùm tamen ipsi nunquàm rectè intellexerint, aut intelligere voluerint, quodnam sit fundamétum doctrinæ Ecclesiæ nostræ, quam adeò oppugnant, & falsè de ea iudicant antequàm cognoscant. Faciunt autem Sectarij in hoc articulo perindè àc quidam peruersi consultores solent, qui filium patris alicuius abducunt & corrumpunt, nè obediat aut seruiat patri suo, eò quòd aliàs sit aditurus hæreditatem patris, licèt hæc non fecerit: ità illi contrariantur pijs operibus, & oderunt ea quæ carni molesta sunt, & tantùm in delicijs & licentia viuere volunt, cùm tamen sinè ijs non communicetur nobis vita æterna per CHRISTVM promerita: atque sic illi innumeros homines seduxerunt, & à statu salutis præcipitârunt, cùm tamen ipse Christus pro talibus meritis siue medijs promittat se communicaturum suum thesaurum. Sectarij verò simpliciter gratìs, sola fide sinè respectu operum & exercitij pietatis volunt ea accipere. Sed falsa hæc eorum opinio iamdudùm & vbiquè est reprobata, nempe quòd sola fides per se iustificet, nullis alijs adhibitis medijs: Nos verò credimus nos participes fore per opera & media illa sacrosancti meriti passiõis Christi, licèt tamen ex misericordia propter Christum, & nõ propter opera nostra operata. Vt igitur opera filij, quandiù sub potestate patris fuit est, non eò diriguntur, vt propter hęc adeat hęreditatẽ patris sui, quam iam pater pro eo acquisiuit & congregauit, sed vt acceptus sit patri, & participet tandèm eamnam posset esse cõtumax & inobediens patri, vt exindè pater iustè posset ipsum priuare ea hæreditate iuxta leges: ità quoquè opera nostra, quę vt filij facimus, non huc dirigũtur, vt regnum & remissionem iam promeritam per Christum, adhùc semèl mereamur, sed vt participes meriti Christi efficiamur, & id certissimè contingit, si præscripta media (id est, fides & opera) seruantur. Sic est verum meritum bonorum, quod valet ad acquirendam participationem thesauri CHRISTI & regni cælestis per ipsum acquisiti, in quo sunt mansiões multę iuxta varios gradus laborum & meritorum: nullo modo ergò negligenda sunt illa media, nempe fides, pœnitentia, opera, Sacramenta, cæremonię: nam hęc sunt illa media, per q̃ nobis communicantur Christi merita: qui ergò hæc reijcit ac contemnit, retinere non potest Baptismi iustitiam sinè operibus bonis. Omnia ergò in laudem DEI sunt facienda. At inquies: Gratia siue donum vita æterna, pro nullo opere datur. Respondeo, Opera non merentur vitam ęternam, sed vita æterna datur ex misericordia & gratia à DEO pro operibus: Calix aquæ frigidæ non meretur vitam, sed Deus pro illo donat ex gratia & promissione: quod autem DEVS facit, CHRISTVS meruit sua passione hanc pietatem & plena est atque sola misericordia DEI propter Filium. Iterùm obijciunt: At nunquàm conscientia potest pacificari, si operibus cõtendamus mereri cælum & vitam. Respondeo, Nos non ad opus nostrum, sed ad misericordiam DEI respicimus, illam ponderamus. Serui enim inutiles sumus, Luc. 17. quod facere tenemur, facimus: sed conscientia in misericordia pacificatur, & ad hãc attendimus, non ad opera: multùm differt, facere opera quæ tenemur facere & iu-

& iubemur, ac velle illis saluari: opera facimus quidem, sed per misericordiam saluari cupimus & credimus. Si enim hoc daremus operibus nostris operatis, quatenùs sua virtute propria saluarent, pacificarent iram Dei, sinè alterius respectu: & tunc verum esset, quia Christus gratìs venit, & quòd pacificari conscientia non posset, & nec illa opera opponi iræ & iudicio Dei. Sed aliud est, quandò præmium atque salus non ab operibus quæritur, tametsi facta sunt, sed ab ipsa Dei misericordia promissa propter Christum. Quæ misericordia Dei propter Christum, causa & origo est præmij atque salutis æternæ, non opus operatum: ibi pacificata est conscientia, & hanc misericordiam opponit iræ & iudicio Dei: & per eam credo remissioné peccatorum & salutem cótingi propter Christum: opera autem nostra, ieiunium, oratio, vigiliæ, &cæt. non sunt nisi clamores & motiua quædam pro Dei misericordia faciliùs impetranda, & quatenùs Deus occasióem accipiat nostri miserendi, & communicandi nobis thesaurum Christi &c.

DE FIDE CATHOLICORVM CIRCA OBEDIENTIAM SUPERIORUM.

Cap. 21.

FIDES & Religio totius Christianitatis, tenet ac credit esse superioritatem in vtroq; statu seu Politia, eamq́ue à Deo & ordinatione Diuina introductam, esse ministros & vicarios Dei, quemlibet in suo statu. Sic enim ordinauit Deus, quatenùs omnia in ordine, pace & tranquillitate, quibus res ac omnes creaturæ conseruantur, gubernarentur & administrarentur, nè esset confusio aut perturbatio in Ecclesia aut populo suo. Nam de statu Spirituali ità inquit Apostolus 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo, sicut ministros Dei &c. Deindè de statu Seculari, Roma. 13. Ministri DEI sunt, & non frustrà deferunt gladium &cæt. Et non solùm superioritatem agnoscere, sed eidem quoquè obedire debemus: nam qui eam contempserit, ordinationi Diuinæ resistit Roman. 13. Ideò dicitur 1. Pet. 2. Obedite omni humanæ creaturę propter Deum, siue Regi &c. Superioritatem quoquè spiritualem tunc instituit & ordinauit Christus, quandò Petro tanquàm primario confessori Christi filij Dei viuentis pręrogatiuam dedit, eùm ter diceret: Pasce oues meas, &c. Et, Tibi Iohā. 21.
dabo claues regni &c. quasi diceret: Quia Mat. 16.
caput & principiũ es istius verę de me confessionis, (alijs dubitantibus an Helias, an Hieremias dicendus essem) ob id committo tibi oues meas pascendas tali doctrina confessionis fidei tuæ, super quam ædificabo Ecclesiam meam, & trado tibi claues regni cęlorum, vt venientes & pœnitentes absoluas, & cótemptores liges: & hæc ego approbabo in cælo. Deindè promitto tibi, quòd contra hanc confessionem & fidem tuam de me, quam præ cæteris Apostolis ac Discipulis habuisti, non præualebunt portæ inferorum, id est, peccata, sathanas, hæreses & scandala: hanc enim fidem nec Iudæi nec Gentes nec Turcæ extinguent, quanuìs eam valdè oppugnabunt: etsi sathanas turbabit Christianos sicut granum in cribro, non tamen deficiet fides tua, Lucæ 22. Nec concessam tibi potestatem regiminis & superioritatis in re animarum, suppriment portæ inferorum, id est, Hæretici & eorum patroni ac Tyranni. Ità constituit Christus superioritatem in Ecclesia cum Petro & suis successoribus, vt regant ac pascant in doctrina oues, eô quòd Petrus caput, principium & origo istius ꝓfessionis fuerit: ideò & regimen omnium velutì summo ac primario vicario ac ministro Dei concessum est, ideò omnes sancti viri non solùm fidem, sed etiam sedem Petri, id est, caput Ecclesiæ, quotiès turbati fuerunt, apud Pontificem Romanum vicarium Christi & successorem Petri, amplexi atque venerati sunt: quotiès in rebus fidei exortum est dissidium, consuluerunt vicarium Petri cum toto Concilio, si per se sufficiens non esset. Eius regimini subiecti sunt propter Deum & ordinationem CHRISTI ac concessæ potestatis per illum, & semper tuta erat Ecclesia. Quòd autem sit vera fidei Petrinę confessio, ac sedis ac potestatis & regiminis ipsius legitima successio, quodq́; sit iuris Diuini ac voluntatis & ordinationis Diuinæ: hoc probat id, quòd hactenùs neque fides illa, neque successio Petrinæ potestatis seu regiminis, extingui potuit à portis inferorum, id est, Hæreticorum ac Tyrannorum infidelium, licèt à multis & sæpè fuerit attentatum. Ideò & Augustinus in Epist. quam vocat fundamentum, contra Manichæum disputat, dicens: Tenet me hoc nomen Catholica Ecclesia, deindè continua successio Pontificum Petri, quòd Catholicus sum: Quia

nulla Sectarum Ecclesia dici potest Catholica, deindè nullus Hęreticorum papa sic habet successionem, sicut Catholicæ Ecclesiæ Petrus. Nam ad tempus durant Hæreses cum authoribus, sed breui transeunt: nostra autem Ecclesia perpetua manet. Ecclesia ob id Catholica, ratione regiminis, ordinis & vnitatis, dependet à Pontifice successore Petri & huius cooperatoribus, id est, Episcopis & Sacerdotibus: ibi dependet origo administrationis, regiminis, & doctrinę fidei iuxta Diuinam commissionem CHRISTI: sed ratione ipsius fidei, dependet à Christo supremo capite, & fundata est super illum,
1.Cor.3. quia aliud fundamentum nemo ponere potest &cęt. Sic iure Diuino Pontifex caput est Ecclesiæ, quantùm ad officium regiminis & doctrinę fidei: sed ratione fidei, ipse quoquè fundatur super CHRISTVM. Quòd autem plurimi nunc sunt rebelles, nec potestatem Papę agnoscere volunt, hoc non rarum est: & quid iam olim à plerisque prędictum, nempe surrecturum populum sinè capite: id quod verissimè nunc impletur, quandò populus varijs Hæresibus distrahitur, Papam odit & eius potestatem annihilat, id quod hodiè vsu venire videmus. Inquit igitur Cyprianus: Omnes ferè Hęretici molíti sunt caput Ecclesię deturbare, vt sic capite debilitato, errores suos impunè stabilire possint hominibus. Et hinc est quòd omnes Hęretici ante omnia incipiant blasphemare & conuiciare Pontificem. Præterea habet concessam potestatem iure diuino ligandi & soluendi, vt Hæreticos ligare, & reliquos obedientes absoluere possit. At quid si Hęretici hoc negent, & non curent quicquam? Esto. Etiam Iudęus & gentilis negat, ac nihil curat. Aut si ipsimet sibi vsurpant authoritatem ligandi & soluendi, vel si dicunt esse omnibus in genere concessum, quid indè? Nondùm hoc approbauit CHRISTVS, vtcunquè sibi blandiantur, & sese assecurent: Sic rebelles & tumultuarij sępè sibi vsurpant potestatem regis, & sese vltrò intrudunt, sed non iustè, nec legitimè, nec efficaciter aut fructuosè. Quarè quicunque errare non vult, maneat in illa obedientia ECCLESIAE Catholicæ: recognoscat superioritatem Pontificis in rebus fidei, timeat propter CHRISTVM eius excommunicationem & ligationem, & magnifaciat solutionem: hęc enim officia illius potestati & suorum cooperariorum commissa sunt. Cæterùm si Papa fortè impius aut Hæreticus sit, aut plùs curet seculum quàm Ecclesiam CHRISTI, ipse portabit onus suum in iudicio extremo. Prætereà tenet & credit Ecclesia potestatem secularem constitutam esse ex iure Diuino, à quo dependet regimen totius Reipublicæ Christianæ, & in illà fundata est potestas regiminis politici: fides autem subditorum, super CHRISTVM fundata est, & non super Cæsarem & Regem. Vndè Matthæi 22. dicit CHRISTVS: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris. Et Apostolus Paulus Roman. 13. Omnis potestas à Deo est, scilicet potentia regiminis tam Spiritualis quàm Secularis. Ob id tenemur Cæsaribus & Regibus obedientiam in rebus politicis: sed in his quæ fidem concernunt, Pontifici: si contra fidem Catholicam aliquid sanxerint, non tenemur illis obedire, sed DEO & Ecclesiæ, iuxta illud Actorum 5. Oportet Deo magìs obedire quàm hominibus. Vndè nullus Imperator aut Princeps iustè compellere aliquem potest ad sectam, vt deserat fidem CATHOLICAM: qui enim talia agunt, tyranni sunt & impij. Porrò sunt quædam ordinata Statuta pro tota Christianitate, sicut in re Ecclesiastica forma conferendi aut dispensandi Sacramenta & peragendi cultum Diuinum, & ordinandi ministros & sacerdotes cum debitis cæremonijs: & hæc quidem non solùm per Papam, sed ex consensu cõmuni Conciliorum sunt approbata & instituta, sicut Decretum & Canones habent: ibi nulla debet nec potest fieri immutatio per vnũ Pontificem vel Patriarcham, quia hęc Decreto multorum sunt ordinata & instituta, ideoque debent obseruari cum obedientia erga superiores inuiolabiliter, donec aliter per aliud Concilium vel Decretum commune fuerit definitum: Sic quædam in politia Ciuili sunt ordinata per totum imperium, quæ non solùm Imperator, sed & reliquus Senatus Principum, & maximè Electorum, ordinârunt cum consensu statuũ Imperij: hæc quoquè nullatenùs possunt aut debent infringi per vnum Principem aut potestatem Ciuilem, donec aliter conuentus Principum concluserit. Ideò non licet Catholico infringere quicquam In his quæ publicè in vtroque statu sunt ordinata: alia ratio est de priuatis constitutionibus, quas quilibet in suo regimine habet. Nam hoc pertinet ad obedientiam, quam præstare tenemur superioritati ex iure

iure diuino. Quandò igitur Papa edicto iubet, vt in fide & Religione Catholica perseueremus: ac item Imperator, vt conclusa per imperium teneamus, tunc non possumus his secura conscientia contrauenire: si autem secùs fecerimus, tunc contumacia & inobedientia est. Sic quoquè ad Thessalonicenses Apostolus ait:
2. Thes. 2. Non reuelabitur filius perditionis, nisi fiat priùs discessio, id est, ab vtroque imperio fidei Ecclesiæque Romanæ & obedientia Imperatoris: iam quoquè hoc cernimus contingere in Christianismo: quotaquæque enim regio vel ciuitas Papam vel Imperatorem reueretur aut curat? regnat autem vbiquè carnis licentia. Et quidem hoc experientia ipsa docuit, quàm florida, pacifica ac planè aurea olim fuerunt tempora, cùm superioribus, nempè Papæ & Imperatori, debita haberetur ac præstaretur à subditis obedientia: quamq; è diuerso extiterint tumultuosa, seditiosa ac funesta tempora, cùm inceptum est his ijsdem denegare honorem, & per rebellionem his restitum fuit. Magnus itaque thesaurus est & summæ opes, si Patres in omni Republica filijs suis pacem & obedientiæ disciplinam relinquant. Atque sic de vtraque potestate hactenùs sensit & docuit ECCLESIA CATHOLICA: Rebellibus verò & contumacibus reddetur pœna debita in futuro. sancta enim est, & à DEO ordinata ac stabilita potestas: quicunque huic reuerentiam ac obedientiam præstiterit, habebit suum præmium. Malitia autem mundi est, quandò in Republica Ecclesiastica omnes volunt esse sacerdotes, & in Politia omnes esse æquales Magistratui, Regibus ac Principibus: Catholici autem obediunt illis superioribus, idque propter DEVM, vt inquit Petrus in Epistola sua prima.

DE LIBERTATE CATHOLICORVM, ET libertate Sectariorum. Cap. 22.

APOSTOLVS ad Galat. scribens capit. 5. inquit, Vos fratres in libertatem vocati estis, tantùm nè libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem seruite vobis inuicèm, &cæt. Quibus verbis innuit, quænam sit libertas Catholica & Christiana, ad quam vocati sumus, nempe conscientiæ & spiritûs, non autem carnis. Est autem libertas hæc, scilicet habere liberam conscientiam à peccato, à Mosaicis cæremonijs & à sathana, quem CHRISTVS sua potestate in nos per mortẽ suam exuit: & à peccato quidem tum libertatem habebimus in conscientia, quandò cogitamus, eccè quanuìs peccârim & deliquerim aliquotiès, attamen quia credo in CHRISTVM meum, & ex animo ac veraciter pœniteo de illis cõmissis peccatis; tum per fiduciam in CHRISTVM sic liberor, nè peccatum mihi æternæ damnationi esse possit: ideò enim CHRISTVS dicitur pax nostra, Ephes. 2. & Iohannis 8. inquit: Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. A sathanæ autem potestate & tyrannide eò sumus liberi, quia credentibus nobis in CHRISTVM infunditur in Baptismo Spiritussanctus, qui assistit & defendit nos contra sathanam: alioquì nemo posset ei resistere, quin ad varia scelera & peccata nos incitaret, vt in suam potestatem redigerent, & à Christo exciderемus: sed impeditur ipse per Spiritumsanctum, qui nos liberat, nè in nos quantum velit sæuiat. Sic enim ait Apostolus Roman. 8. Ipse spiritus (scilicet, sanctus) assistit spiritui nostro, &cæt. Iterùm, Ipse spiritus adiuuat nostram infirmitatem. Efficit quoquè hic Spiritus in nobis, vt liberè ex charitate faciamus Dei præcepta, atque in laudem eius prorumpamus, clamantes, Abba pater: alioquì si- Rom. 8.
nè Spiritusancto nemo liberè & ex chari- Gala. 4.
tate facit præcepta, quia Lex spiritualis est, id est, spiritu perficitur. A Mosaicis autem cæremonijs & edictis, id est, à circuncisione, incenso holocaustorum oblationibus, lustrationibus & iudiciali rigore, ab obseruatione Neomeniarũ, prohibitione carnium aliquot animalium &c. de quibus agitur Leuitic. 23. & 11. Deuter. 16. ab omnibus his liber est Christianus, quia veniente Christo, hæc omnia cessârunt & abrogata sunt: atque sic quilibet credens in CHRISTVM, liber est ab his omnibus. Et hæc est in summa libertas illa, quam Apostolus adeò constanter defendit contra legis prædicatores, Galat. 5. Colos. 1. & 2. & ferè vbiquè in Epistolis commemorat hanc libertatem, eamque defendit: & dicitur Christiana Catholica libertas, quia opponitur seruituti legis Mosaicæ, peccati, & sathanæ, estq; per CHRISTVM nobis acquisi-

ta. Sectaria autem libertas est contemptus præceptorum communis Ecclesiæ Christianæ, & voluntarius atque inordinatus viuendi modus: Primum patet, quia hæc libertas contemnit & reijcit omnem disciplinam, & omnia instituta Patrum Ecclesiæ vniuersalis in traditionibus & moribus ieiunij, feriarum, votorum, obedientiæ Ecclesiæ & cæremoniarum eius, &cæt. cùm dicunt, Nolumus Papam, qui homo est, cum suis Decretis & Concilijs regnare super nos, quia liberi sumus &c. Secundum patet, quòd secundùm animi sui voluntatem & sinè ordine viuunt, omia perindè facientes libera & licita, siue ieiunét, siue non, & an ferientur hoc vel illo die cum Ecclesia vel non, an seruent votum semel emissum vel non, an Cantica certis Festis deputata obseruent, an non, an clericalem ordinationem & vocationem curent vel non, an quadragesimæ & quatuor temporum ieiunijs à carnibus abstineant vel non, an excommunicationem curent vel non, & sic de reliquis: Et quidem huiusmodi non Christiana aut Spiritualis libertas est, sed carnis ac mundi, atque licentia & laxatio morum. Nam Paulus iubet omnia secundùm ordinem & honestaté fieri in Ecclesia siue populo Dei, 1. Corinth. 14. Et iterùm inquit Galat. 5. Qui autem perturbat vos, portabit iudicium, quicunque ille fuerit. Et tales perturbatores futuros in Ecclesia, prædixit 2. Epistol. ad Timoth. 3. proteruos, tumidos, parentibus siue Maioribus non parentes, &cæt. Hanc igitur falsam esse & carnalem libertatem Scriptura vbiquè commemorat, & eam damnat ac prohibet. Ait enim Paulus Galat. 5. Nè detis hanc libertatem (id est, Christianam) in occasionem carni, id est, nè ea abutamini in voluptatem ac licentiam carnis: suaue est enim carni, nullis obedire præceptis Ecclesiæ, non ieiunare, non feriari aut vota castitatis seruare, non curare superiorum edicta &c. Sed pro libito viuere, & mundanis moribus ac carni habenas laxare. Subiungit auté Paulus in eo loco, cùm inquit, Sed per charitatem spiritûs seruite inuicèm. Quòd si ergò ex charitate spiritûs alter alteri seruire debemus, & non ità planè se iactare liberum, cur ergò non præceptis totius Ecclesiæ & constitutionibus Prælatorum obediamus? cur non illis ex charitate spiritûs seruimus, seruantes illorum constitutiones, ordinationes propter honestatem ac disciplinam in Ecclesia, immò propter Deum ipsum, vt docet Petrus 1. Epist. cap. 2? Prætereà Christus iubet, nos vt audiamus Ecclesiam, Matthæi 18. At quid aliud est hoc audire, nisi obedire & præceptis illius audientem esse? & his maximè præceptis, quæ ab vniuersalis Ecclesiæ consensu nobis antiquitùs tradita sunt, introducta & longa consuetudine roborata, sicut sunt magna pars cæremoniarum in Ecclesia atque morum in ieiunando, feriando, baptizando, Missas celebrando & audiendo, ordinando, vota faciendo, confitendo &c. quę & similia non vnius hominis authoritate vel potestate instituta ac pręcepta sunt, sed hi ritus, ac mores à tota vniuersali & antiqua Ecclesia sunt introducta & obseruata vsque in hunc diem. Quicunq; ergò Sectarij hęc reijciunt, & illa audire nolunt propter eam quam falsò prætendunt libertatem, tales omnes sunt habendi, quales eos Christus ipse Diuina authoritate pronunciat, nempe Ethnici, id est, tales, qui non pertinent ad gremium Ecclesię & Christianam cómunitatem: quandoquidem tales perindè ad animi sui placitum & licentiam carnis viuunt, quasi Ethnici & Pagani, qui nec Pontifici, nec Ecclesię obediunt. Cùm igitur non sint de vnione Ecclesiæ, similem damnationem incurrent cum Ethnicis, id est, priuabuntur omnibus promissis Ecclesiæ, vt inquit Cyprian. Iubet ergò Apostolus 2. Theff. 2. nè pretexamus talem carnis libertatem, sed stare nos & tenere traditiones, quas accepimus siue per Epistolam, siue per sermonem. Et Petrus ipse 1. Epist. cap. 2. monet, nè libertas sit nobis pallium malitiæ, id quod sæpè in mundo fieri consueuit, quoties noua aliqua secta contra Ecclesię vnitaté introduci cœpit. Nam & Machometus talem carnis licentiá concessit omibus suis adhæsoribus, vt tot, quotquot libet, vxores ducant &c. Sic Arrianus Imperator Constantius dedit omnibus Arrianæ sectę fauentibus immunitatem ab omni tributo & telonio. Luterus suis sequacibus concessit vota frangere & moniales ducere, carnibus quocunque tempore vesci, non confiteri, non audire Missam, &cęt. Anabaptistę, communes inter se habere vxores, libera esse omia, syluas, aquas &cęt. nullam esse superioritatem, templa non intranda, &c. Credimus auté in Symbolo vnam esse Ecclesiá. Sed quid est hoc credere, si nolumus eam agnoscere, audire, obedire in suis pręceptis? manifestè ergò conuincuntur isti sectarij agere contra Arti-

Articulum fidei, qui Ecclesiam, quam ore confitentur, non venerantur & audiunt: Nam quis regum aut principum dicat sibi sufficere & placere in subdito suo, quòd credat & ore confiteatur eum esse Regem ant principem,& non etiam edicta &mandata eius obseruet & obediat?quænam esset hęc fides ant confessio regis, sinè obedientia Regij pręcepti apud subditos? Ità quoquè Sectarij dicũt, se credere quòd sit Ecclesia vna Catholica, & tamen nullũ illi deferunt honorem, nullam obedientiam, sed prętexunt friuolè propriam libertatẽ, & seipsos eximunt à præceptis maiorũ atq; Ecclesiæ: an nõ hoc est dare libertatem in occasionem carni, & palliare malitiam,ac scãdalizare proximum? At inquiunt, ideò recusamus traditionem humanam & cæremonias, qnia ex his putatur constare salus,atque meritum salutis & gratiæ, quod est in contumeliam Christi, quia aliâs gratìs venisset, Galat. 2. Non ergò possumus iustificari his operibus & cæremonijs, sed sola fide in Christum, & tunc solùm hæc ex ordine possunt seruare qui volũt. Respondeo, Mendacium est, nos velle iustificari ex operibus ant cæremonijs vel traditionibus. Sed ideò facimus, quatenùs per hęc media participes fiamus meriti Christi, qni solus meruit remissiõem & vitam: non præponimus nostram iustitiam operi Christi, sed quoniam Christus hæc per suam passiõem & iustitiam acquisiuit semel, non secundò nos meremur remissionem & vitam, sed vt participes fiam⁹ vnici meriti Christi. Et quoniam Christus promisit nobis pro fide & obseruantia suorum præceptorum Matthęi 7.&19. communicationem & participationem sui thesauri & meriti, ob id nos per hæc opera nos habilitamus, vt participatiõem acquiramus, nempe ieiunia,castigationẽ corporis,eleemosynam, & alia id genus opera: multis enim operibus & medijs & quasi seruitijs indigemus, quatenùs nobis communicetur, etsi ipsam remissionem & vitam non meremur, sicut filius patri obtemperans & seruiens, tandèm accipit communicationem hæreditatis, licèt illud non meruerit, qnia pater thesaurizauit, attamen non sibi communicatur à patre, nisi illa media pręcesserint: Sic nos non efficimur capaces bonorum Christi, nisi hęc fecerimus: & sic docet Ecclesia. Præterea dicimus nos mereri gratiam & augmentum gratiæ consequi ex bonis operib⁹ ac cæremonijs ad laudem Dei factis, i. nos habilitamus per hæc media varia, & sępiùs & indiès repetita, & etiã cultu Diuino sępiùs in die facto cum maiestate cęremoniarũ, quatenùs capaciores & habiliores reperiamur ad participandum Christi meritum, i. remissionem peccatorum & vitam: quòd aũt illorum participes efficimur fide & his medijs, hoc iterùm gratię est, alioqnì totius mundi iustitia nõ sufficeret sua virtute propria ad horum participationem: nõ ergò fiunt opera in contumeliã Christi, sed ad suam voluntatem, qua ꝑmisit nobis se nos participes facturum sui meriti propter hęc media ex gratia. Pręterea quantũ tibi cõfert doctrina sectariorum, ex hoc patet: inquiunt enĩ in sua Apologia, neminem posse hęc duo, i. remissionẽ & vitam æternam possę mereri operibus, sed propter solam fidem in Christum accipi: Deindè dicunt esse mercedem operũ, sed aliã à prædictis, 1. Cor. 3. Vnusquisq; mercedem accipiet secundùm laborem suum. Sed quale est hoc meritum ant merces, & ad quid indiget homo? nam si hæc duo habnerit aliquis, s. remissiõem peccatorũ & vitam æternam, ad quid ampliùs indigebit merito? numquìd nõ satìs habet? maximè. At si hęc accipiãtur ꝑpter solam fidem in Christum, & quidem gratìs: ad quid valet merces promissa in literis sacris ipsis operibus? aut cur Apologia ipsorum cõcedit esse mercedem operum, si sola fides hęc duo accipit? Ob id patet, quàm inconstanter loquantur de præmio aut mercede operum. Nos igitur seruam⁹ Christo suum honorem, qnia eum solum redemptorem & datorem remissionis & vitæ agnoscimus: id quod semel per ipsum sufficienter est factum, nec opùs est vt hęc secundò mereamur nostris operibus, id quod etiam opera non possunt, sed vt participationem & communicationem accipiamus: Filius enim non secundò meretur hæreditatem iam antè semel à patre acquisitam, sed communicationem illius à patre: ità per opera bona præceptorum Dei & ECCLESIAE obseruantiam, cæremoniarum & cultuum in laudem DEI factorum, quæ omnia media sunt, quibus nos habilitamus ad conseruationem participationis: Sic cùm nos omnia fecerimus, serui sumus inutiles, Lucæ 17. quod debuimus facere vt serui, fecimus: nõ meruimus virtute operum nostrorum vitam æternam. Sed quòd pro huiusmodi operibus & medijs accipimus participationem & gratiam, hoc totum gratia & promissio Dei est.

Quia

Quia ergò profitemur obedientiam ecclesiæ in hoc dum dico, Credo Ecclesiam Catholicam &c. vt dictum est, ob id tenemur obseruare præcepta illius atque ordinationes, nec absoluit nos ab illis hæc carnis libertas: quarè contemptus præceptorum non est sinè peccato. Cauenda igitur est huiusmodi mundana ac carnalis libertas Hęreticorum, qui nec Dei nec hominũ superiorum præcepta curant. Persuadent enim populo suo, præcepta Dei impossibilia esse seruatu homini, id quod falsum est, & contrarium scripturæ, quę nobis adiutorium Dei promittit, vt dicit Apostolus ad Philipp. 4. Omnia possum in eo qui me confortat: Porrò persuadent imperitæ plebi, neminem obligari ad obseruantiam præceptorum ac cæremoniarum Ecclesiæ seu Prælatorũ, quod manifestè falsum est. Nam Paulus & Barnabas transeuntes per ciuitates, tradebant populo seruanda Decreta patrum Hierosolymitarum, vt latiùs habetur Actorum 16. Neminem ergò seducat hæc carnis libertas in rebus spiritualibus, neque libertas illa Euangelica liberat nos à legibus imperialibus & ciuilibus aut obedientia senatorum. Nam inquit Christus Matth. 22. Date Cæsari quæ sunt Cæsaris. Et Rom. 13. Omnis anima subdita sit potestati &c. Neque etiam tribuit libertatem, nempè nemorum, piscinarum, ferarum, aliorumq; ad dominos suos spectantium: quia hęc sunt tributa & vectigalia, quę vnà cum cæteris alijs rebus debemus ex iure diuino superioritati, qui gladium portat ad defensionem bonorum, & punitionem malorum. Caueamus igitur, nè libertas illa carnalis sit nobis causa mali.

DE FIDE CATHOLICORVM CIRCA NVMERVM & efficaciam Sacramentorum.

Cap. 23.

Confitetur, tenetq; simpliciter tota Christianitas, cótra omes contradictiones Hęreticorum, in numero esse, antiquitùs fuisse, & in perpetuum fore septem in Ecclesia Sacramenta, per quæ homini credenti gratia Dei confertur, si modò debita forma & intentione illis fruatur: quę Sacramenta sunt verissima sigilla acceptæ gratiæ, quibus Deus infallibiliter assistit sua gratia, quam confert dignè suscipiẽtibus.

Vt autem homo indiget varijs donis gratiarum, & quàm maximè septem donis, sic quoquè sunt varia & quidem in numero septem Sacramenta: quorum hæc ferè est ratio. Natus homo de muliere, si salutem cupit, opùs habet remissione peccatorum in quibus nascitur, Psalm. 50. Et hoc contingit in baptismo, dum credit in Christũ: deindè indiget confirmatione eiusdẽ gratiæ & fidei, & hoc facit cõfirmatio per manus Episcopi siue presbyteri: rursus, quia natura est peccator, & indiget reconciliatione cum Deo, & hoc fit per Sacramentum pœnitentiæ. Porrò quia homo fragilis & obliuiosus fidei & doctrinæ, vt veram fidem & doctrinam Catholicam accipiat, est Sacramentum ordinis, idq; ad cauendum Hæreticos non ordinatos, quorum suspecta est doctrina: & quoniam homo varias habet impugnationes in fide Christi, vt consortetur, & admoneatur redemptionis suæ, est Sacramentum Eucharistiæ, vbì sanguine Christi admonet̃ peccator se redemptũ esse, vt id corpus sumat, & ipsi Christo incorporetur ac fortificetur. Porrò quia homo pondus carnis gerit, nè diaboli instinctu in vetitam turpitudinẽ prolabatur, institutũ est sacramentum Matrimonij in officium prolis & remedium fornicationis: excusat ergò peccatum gratia sacramenti in Matrimonio, quod sinè peccato debita carnis faciãt. Postremò homo moriens & debilis indiget assecuratione remissionis peccatorum, vt securè exeat ex hoc mundo: & hoc quidẽ præstat Sacramentũ Extremę Vnctionis, vbì oratio fidei & intercessio Sanctorum fit: & oleo inungitur pro certissima assecuratione remissionis peccatorum. Et hęc in summa, simplicissima est fides Ecclesiæ Catholicæ. Sed nũc de singulis audiamus.

Baptismi ergò sacramentũ est (sicut cætera quoquè) rei sacræ signum, sub quo gratia Dei donatur credenti & debitè suscipienti. In hoc autem sacramento (quod fundatur in scriptura Marci vlti. Qui crediderit & baptizatus fuerit &c. Et Matth. vlti. Euntes ergò &c. baptizantes eos &c. Et Iohannis. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Et Paulus Tit. 3. Lauacrum regenerationis &c.) confertur triplex gratia: Primò, gratia remissionis omnium peccatorum, culpæ & pœnæ, ità quòd nihil peccati maneat in baptizato: etsi fomes lateat in carne, non tamen pro peccato reputatur coram Deo, nisi homo actualiter posteà illi consentiat, quod prohibet Apostolus, *Baptismum.* *Baptismi gratia prima.*

lus, nè peccatum hoc (id est, fomes) regnet (id est, dominetur actu) &c. Rom. 6. Sic iubet Petrus baptizari pœnitentes, Actor. 2. in remissionem peccatorum.

II. Secunda gratia confert in baptismn baptizatis, nempe collatio Spiritussácti cum donis, i. fidei, spei & charitatis. Actor. 2. Baptizetur vnusquisq; vestrûm, & accipietis donum Spiritussancti: qui in vobis veram efficit fidem, quá posteà, dum homo est compos rationis, exercet cum cæteris alijs donis: ob id quoniam vnum est Baptisma, Ephe. 4. in quo donatur Spiritussanctus cum donis, fide, charitate, &c. non repetitur nec reiteratur Baptisma, & falsum est quicquid Rebaptizatores fabulantur.

III. Tertia gratla Baptismi, est salutis æternæ collatio. Marci vlti. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit &c. Hæc igitur tria bona nobis conferri credimus in Baptismo, remissionem omnlum peccatorum, collationem Sanctispiritûs cum donis suis, & promissionem vitæ æternæ: hæc verissimè donantur nobis, si Baptismus à legitimo ministro, non hęretico, si in fide & forma totius Christianitatis, & si cum debita intentione, ac cum aqua & chrismate alijsq; Ecclesiæ ritibus celebretur. Maximè tamen cauere debent Catholici, nè per simplicitatem liberi ipsorum ab hęreticis seu sectarijs baptizentur: item, nè sua pręsentia leuando alienos, illorum baptisma approbent, laudent vel confirment, ꝑ Catholico baptismo: non enim sinè læsione conscientiæ poterit fieri, si Catholicus sciens illum Hæreticũ qui baptizat, & forma ac modo baptizandi dissentit à Catholico baptismo Ecclesiæ, & tamé ad eum accedit, & placere illi cupiens, compater efficitur. Cyprianus Serm. 5. de lapsis, ait filios parentes accusaturos in iudicio, eô quòd ad hęreticos eos compulerint, & ab illis receperint Sacramenta &c. fugiamus ergò eorum consortia.

Confirmatio. Confirmatio sacramentũ est, sub quo datur gratia cófirmationis in fidei robur, nè iterùm in fine relabamur à fide IESV Christi, quam in Baptismo & promisimus & accepimus: & fundatur hoc Sacramentum in scriptura Actor. 8. vbi Petrus & Iohan. in Samaria imponebant hominibus manum, & rogauerút pro illis, vt acciperent Spiritumsanctum. Solùm enim erant baptizati in nomine Iesu, & sic acceperunt Spiritumsanctum. Ità & pueri baptizati, posteà ad Episcopos deferuntur, vt confirmentur, vt eos firment in fide: nam hęc gratia, prinrem in Baptismo acceptam ampliat & confirmat, secundùm doctores. Sic ante annos plùs mille & centũ, S. Cyprianus confirmauit pueros, scribés ad Iulianum de Hęreticis baptizandis. Petrus enim & Iohãnes, habita oratiône pro Samaritis, dum imponerent manum super eos, fusus est in eos Spiritussanctus: quod nunc quoquè apud nos geritur, vt qui in ecclesia baptizantur per prępositos, id est, plebanos Ecclesiæ, Episcopis offeruntur, vt per eorum orationem & manus impositionem, Spiritumsanctum consequãtur, & signaculo dominico confirmentur. Necessaria est quoquè oĩbus nobis hęc confirmatiôis gratia in fide, & nõ negligenda. Nam quia hęretici hoc sacramentum contemnunt, ideò de errore in erroré labuntur à fide, recidunt ab Ecclesia, & subijciuntur diabolo: at vt nos liberè profiteamur ore Christum, & recto corde credamus, Roman. 10. ob id signamur in fronte oleo & balsamo: Oleum enim interiorem cordis fidem significat, balsamum verò bonam oris & odoriferam nominis IESV Christi confessionem. Hęc igitur fides est Ecclesiæ, quatenùs sub illo Sacramento & signo donatur spiritussanctus in robur & confirmationem fidei, ac ampliationem acceptę gratiæ, qua omnes indigemus, iuxta illud: Domine, adauge nobis fidem. Luc. 17.

Ordo. Ordinis sacramentum est, quo indiget homo, vt sana & vera doctrina fidei & morũ doceatur: Deindè vt veraciter cum sacramentis prouideatur: Postremò, si peccauerit, vt ab illis qui potestatem habent, verè absoluatur: hęc enim tria sibi quàm sæpissimè hęretici & eorum Laici vsurpãt, & peruertunt, vbì homo decipitur. Vt igitur certificetur, vt supradicta veraciter recipiat, est institutum Sacramentum Ordinis, sub quo datur potestas & gratia Spiritussancti: gratia quidem, ad veritatem scripturæ pronunciandam: potestas autem, ad conficiendum & consecrãdum sacramentum quodlibet, vt eo veraciter & cũ efficacia vti possis. Estq; illa potestas certissima absoluẽdi à peccatis authoritas. Sic Christus iubet Apostolis, postquàm eis donâsset Spiritûsanctum, vt irent ad prędicandũ Euãgelium in orbe vniuerso, vbì eis prædicandi potestaté contulit: & iterùm potestatem conficiendi corpus suũ & sanguinem, i. sacramentum Eucharistiæ, cùm dicit ad eos Luc. 22. Hoc facite in meá cómemora-

morationem: Item absoluendi à peccatis, Iohan. 20. quorum remiseritis peccata, eis remissa sunt &c. Fundatur ergò hoc Sacramentum in his supradictis scripturæ locis. Neque enim omnibus Christianis ex æquo concessa est hęc potestas prædicandi, conficiendi, & absoluendi, sed vocatis seruis Apostolis, Apostolicis viris & eorum successoribus, quique ab his ordinati sunt, & talem potestatem ab eis acceperunt, & donum speciale gratiæ cõsecuti sunt, vt Apostolus inquit: Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, id est, exerceas potestatem & officium quod in te est, id est, tibi collatũ per impositionem manuum mearum. Hoc idem facit 1. Timoth. 4. Sic ipse Titus in Creta ordinat sacerdotes, Tit. 1. Sic Paulus & Barnabas in ciuitatibus Actor. 14. Si ergò ex æquo propter Baptismũ fuissent sacerdotes, Timotheus, Titus & cæteri alij, cur Paulus eis nouum donum Spiritussancti per impositionem manuum confert, & eos ad sacerdotium vocat? Quarè Christianum sacerdotiũ habet veram potestatem supradictorum: hic tua conscientia & fides secura est, quantumcunquè etiam hæretici oderint illud: non autem apud sacerdotium Ieroboamicum, 3. Reg. 13. hæc certitudo habetur, vbì nec sacerdos, nec sacrificium est: ob id pseudosacerdotes summoperè cauẽdi sunt. Vndè Cyprian. lib. 1. epist. in 3. Epist. ad Cornelium ait: Sacerdotes & Episcopi, qui extra Ecclesiam fiunt, id est, qui non ordinantur nec legitimè vocantur secundùm formam Ecclesiæ Catholicæ, hi Dei voluntate non sunt Episcopi vel sacerdotes, sed propria temeritate: qui autem intra Ecclesiam ordinantur, prę sumendũ est quasi Dei voluntate præficiantur: non sic Hæretici. Ideò dicit Dominus de illis Ose. 8. Sibimet regem constituerunt, & non per me. Et ibidèm, Sacrificia eorum tanquàm panis luctûs: oẽs qui manducant ea, contaminabuntur &c. Si igitur vis certus esse de sacramentis & absolutione peccatorum tuorum, quære Catholicos & ordinatos sacerdotes: Laicales & Ieroboamicos prędicantes fuge, qui nihil efficiunt cum suis ministerijs, iuxta Cyprianum.

Eucharistia.

EVCHARISTIAE sacramentum Christus ipse instituit in memoriam passionis suæ, Luc. 22. Et 1. Cor. 11. scilicet vt fidem nostram per hoc sacramentum confortemus, credendo verissimè redemptionem nobis factam per corpus Christi pro nobis traditum, & sanguinem effusum Matthæi 26. & ob id quotidiè celebratur, vt quotidiè hoc faciamus in eius commemorationem, & quotidiè admoneamur nos redemptos per passionem ipsius. Nullum ergò aliud memoriale efficacius potuit nobis relinquere factę per ipsum redemptionis nostræ, nisi corpus eius & sanguinẽ, non figuram aut signum corporis & sanguinis sui, sed verum corpus &c. Hoc aũt sacramentum consecrare vel conficere de pane & vino, & cęteris ministrare, solùm ipsis discipulis, & non ex æquo omni populo commisit ac iussit, vt dicit Lucas 22. Hoc facite in meam commemorationem. Et 1. Corinth. 11. idem dicit Apostolus. Sic hodiè solùm Presbyteri successores Apostolorum hanc conficiendi & ministrandi potestatem habent, non Laicus vel non ordinatus: & licèt præsumat, tamen nihil facit. Insupèr Hęreticus negans pręsentiã realem corporis & sanguinis Christi, quia hanc fidem non habet, ideò nec conficit, intentio abest: & ob id omnes tales fugiendi sunt. Credit autem Ecclesia veram & realem ibì corporis Christi præsentiam, facta consecratione à sacerdote Catholico, non figuram vel signum. Deindè credit veram transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, sicut Iohan. 2. aqua fuit penitùs conuersa in vinum: Postremò credit sub qualibet specie sacramenti esse totũ sacramentum integrum, non diuisum vel in duas vel plures species: ob id sumens vnam speciem, totum sacramentum accipit, quia Christus nõ moritur, nec sanguis eius ampliùs à corpore diuiditur, Rom. 6. Ob id sumpta vna specie, simul corpus & sanguis sumuntur. qui ergò curiosi sunt, etiam calicem sumentes, hos oportet concedere, quòd sanguinem bis sumant: vel Hęreticè credunt, corpus mortuum esse quod sumunt, & sanguinem sinè vita constare: nullum enim periculum restat sumentibus vnã speciem sacramenti, quia totum accipiunt sacramentum, & non plùs nec minùs quàm si vtranque &c. Credit quoquè Ecclesia Catholica, quòd per sumptionẽ sacramenti Christo incorporamur & vnimur, sic quòd nostra caro & sanguis Christi carni & sanguini vnitur, & è diuerso, sicut 1. Corinth. 10. Apostolus dicit, Ex multis granis vnus panis conficitur, sicq; manemus & sumus in illo, & ipse in nobis, Iohan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit &c. Itaque sic roborati tali cibo, fortes efficimur contra dęmonem, vtque resistamus

pecca-

peccatis: solidamur in fide passionis & spe salutis,& omnia quę filij sunt,nostra sunt, & nostra ipsius, iuxta illud Roma. 8. Qui dedit Filium &c.Sed si debemus illi vniri, oportet vt mūdi simus, puri & casti, quoniam ipse purus,mundus & castus est. Ob id Catholici priùs confitētur peccata sua, & absoluuntur ac mundantur in sua conscientia: & sic confessi & absoluti,accedūt ad Sacramentum hoc, atq; sic vniuntur & incorporantur Christo. Non enī per sumptionem Sacramenti fit remissio peccatorum, quia remissio peccatorū consistit in fide,qua credo corpus pro me traditum & sanguinem fusum esse.Nam sic dicitur Lucæ 22. Hoc est corpus meum,quod pro vobis datur. Et Mar.14. Hic est sanguis meus noui testamenti,qui pro multis effundet: non dicitur,corpus quod māducatur vel sanguis, qui bibitur in remissionē peccatorum.Ideò remissis priùs peccatis per absolutionē, deindè sumēdo hoc sacramentum, incorporamur Christo, & participes Christi & omniū bonorū eius efficimur. Hæretica ergò fides est, cōmunicare sinè cōfessione & puritate cordis:& quāto maiora sunt peccata,tanto securiùs & liberiùs accedere & cōmunicare,putādo per talem sumptionē sacramenti acquiri remissionē peccatorū. Nam si hoc sacramentū sumeretur ꝓpter remissionē peccatorū, túc olìm frustrà datū vel cōmunicatū fuisset pueris & infantib⁹, qui nō habebant peccata &c.

Pœnitentia. POENITENTIAE sacramentū institutū est ad reconciliationē cum neo post quàm peccauerimus: hoc aūt ideò institutū est, nè peccator desperet post perpetrata peccata, sed vt redeat ad Deum pœnitēdo, & vitā emendando,& fugiendo peccata,dolendo de cōmissis. Vndè Dauid quoquè dolēs ait Psal.50. Et peccatū meū cōtra me est semper: talibus ꝓmisit Christus veniā infallibiliter. Ideò inquit Mar. 1. Pœnitemini,& credite Euāgelio, i. pœnitentiam agite de cōmissis peccatis, & credite vobis remissionē peccatorū datū iri ꝓpter me à patre sinè vlla dilatione. Fundat ergò pœnitentia Mat.3. Facite fructus dignos pœnitentiæ, & Actor.2. Pœnitentiā agite &c. Prętereà Christus claues reliq̄t super terram, quas cōmisit sacerdotibus, vt soluāt & certificent peccatorē de remissione peccatorum, Matt.16. nè desperet, quoniā Deus infallibiliter per hoc suū verbū absoluit: & quotiès peccamus, totiès repetere possumus pœnitētiam, qua purgamur ab omni peccato, sicuti in Baptismo: ob id pœnitentia secunda tabula naufragij dicit, cum qua transfretam⁹ immēsum diluuiū peccatorū, nè submergamur, sicut baptism⁹ nos liberat primò à suffocatione peccatorū, vt inquiūt doctores. hanc igit pœnitentiam in remissionē peccatorum iussit Christus ꝑdicari, quandò dixit Nathan Propheta: Transtulit oēs peccatū tuum, 2. Reg.12. & peccatrix dū audit à Christo, remissa sunt tibi peccata tua, Luc.7. Sic certificat homo de remissiōe peccatorū per verbū absolutiōis, cui sinè dubitatiōe credere debem⁹. Est quoquè pœnitētia interior & exterior: Interior in corde cōsistit, & est dolor cordis & cōtritio seu gemit⁹ de cōmissis peccatis, ac terror de offensione diuinę maiestatis, & illa semp durat, nō singulare tempus respiciēs, sicut Dauid dixit: Peccatum meū cōtra me est semp. Psal. 50. Exterior aūt pœnitentia cōsistit in opere cōfessionis & satisfactionis, & hęc quoquè iuxta Ecclesiæ ordinationē suū tempus habet, s. in ieiunio Quadragesimæ, vel Iubilei aut indulgentiarū temporib⁹: nec negatur vel ꝓhibetur, si quis semper illa facit. Sic quoquè pœnitentia in has tres partes distinguitur, Pœnitentiæ partes 3. contritionē, confessionē & satisfactionē: semp tamen ꝓsupposita fide in Christū, sinè qua nec contritio, nec satisfactio valet. Est aūt cōtritio, verus animi dolor de peccato cōmisso, & terror offensionis Dei ob Contritio. transgressionē mandatorū eius: Confessio Confessio. est accusatio suijpsius, & recēsio peccatorum, q̄ in mentem veniunt: de oblitis aūt nemo obligat cōfiteri, iuxta illud: Delicta q̄s intelligit? Psal. 18. & illa cōfessio nunc ex ordinatione Ecclesię in aurē sacerdotis fit, licèt aliquādò fuerit publica, sicut hodiè quibusdā in locis cernit in publicis pœnitētibus. Satisfactio sic est pars pœniten- Satisfactio. tiæ, quatenùs Deus nostra ieiunia, orationes, castigationes corporis, vigilias, peregrinationes, & alia pia & carni infesta opera, ex gratia ꝓpter Christū acceptat, & nobis iterùm cōmunicat satisfactionē & meritū passionis Christi ꝓpter hęc opera, nō vt sua virtute sinè meritò passiōis Christi satisfaciāt, sed qa media sunt, quib⁹ impetrat & cōmunicat nobis satisfactio Christi, (quam ego p enormia peccata & scelera amisi) sinè quib⁹ medijs nō cōmunicat nec restituit mihi Christi vera satisfactio. Maximè ergò Cyprianus Serm.5. de lapsis, arguit eos, qui veniam sinè satisfactiōe operum ꝓmittunt, & falsa securitate hoīes deludūt: nec docet Ecclesia Catholica, quòd propter nostrā contritionem, confessionē

aut ſatisfactionē Deus nobis veniā donet aut cœlum,ſed ꝓpter Chriſtum,nō tamen niſi credentib⁹ & pœnitētibus, & has conditiōes & partes pœnitētiæ habentib⁹: qui hæc nō habuerit, illi ꝓpter Chriſtum hæc nō cōferuntur,nempe gratia,remiſſio peccatorum, & vita:nos veluti ſerui hic tenemur,Luc.17. ſed propter Chriſtum fit remiſſio : Hæc eſt ſimpliciſſima fides Eccleſiæ Catholicę de ſacramento Pœnitentiæ.

Matrimonium.

MATRIMONII ſacramentum,à Deo ipſo inſtitutū eſt in Paradiſo & ante peccatum, Geneſ. 2. vbi Deus adduxit Euam ad Adam. Quoniā ergò omnis natura rerum creatarum ſic concreatā habet côditionem,vt tendat ad conſeruationē & multiplicationē ſuîpſius,ſicut ſemē eſt omnium creaturarum:arboris ſemen conſeruat arborē iuxta genus ſuum, & animalia oīa gignūt eiuſdē ſpeciei naturaliter:quia igitur & hoc naturale eſt homini, vt generet hominem:nè igitur ſinè ordine & religione fieret,inſtitutū eſt Matrimonium,quò religiosè & cū ordine ꝓles crearetur: Deindè quia in actu matrimonij adeſt libido, & ſæpè nō rectus Matrimonij amor inter coniugatos ob pulchritudinē & affectum, nè illis hoc cedat in peccatū,adeſt propter Matrimonij vinculū gratia ſacramēti,i.fauor diuinus,qui tegit illam fragilitatē humanā, nè dānet, ſicut damnat nos ſcortatio &c.1.Cor.6. Ephe.5.Ob id dicit Apoſtolus ad Hebr. 13. Honorabile côiugium & cubile impollutū, ſcilicet Matrimoniū. Omnes igitur (exceptis ijs qui ſacris ſunt initiati, aut votū caſtitatis emiſerunt) qui nō ſunt vitiati corpore,iſti tenent ad Matrimoniū.& q ſic, ſaluis oībus côditiôib⁹, ducūt vxores, & nō implicant in ꝓhibitis gradib⁹,illi talē vitæ ſtatū adeò licitè & ſalubriter tenēt, atquè illi q in religiōe vouerunt. Nā hęc tria matrimôij bona,iuxta Doctores,excuſant eos à peccato libidinis & carnis fragilitate: Primò fides,qua tenet vnus vni,vt quis cum vnica muliere, & illa cum vnico viro côtenta ſit, & huic ſeruet fidem coniugalē:Deindè proles,quæ Deo gignitur,& ad laudē Dei cum labore educatur:Poſtremò,dum maritus diligit vxorem ſicuti Chriſtus Eccleſiā, Epheſ.5. & è diuerſo vxor virū,hæc dilectio fidelis côiugatorum nō ſolùm excuſat peccatū,ſed & magni meriti eſt apud Deum: nā maximè placent Deo vir & mulier benè côſentientes, Eccleſ. 25. Credit igitur Eccleſia, hoc Matrimoniū verum eſſe ſacramentū, quādò ſolutus & liber cum ſoluta ac libera contraxit: alioquî ſi vir votarius ſit aut religioſus, vel alteri fœminę fidem dedit, nunq licitè poteſt cōtrahere cum vlla matrimoniū:vel ſectariū ac Hæreticū Matrimoniū eſt,nō verò legitimū nec Catholicum : numerat enī Eccleſia eos inter ſcortatores,eo quòd primā fidē irritā fecerint, 1.Tim.4. Error aūt Iouiniani eſt, q ſacerdotib⁹ ac votiuis conceſſit matrimonium.

Vnctio extrema.

VNCTIONIS extremę ſacramentum ideò eſt inſtitutū ad aſſecurationē certiſſimā de remiſſione peccatorū: ob id infirmus priùs abſoluit per ſacerdotē ab omnibus peccatis:deindè vngit & corporis mēbra, & orat vt Deus parcat quicqd homo ille cū his peccauit vel cōmiſit, & hæc eſt oratio fidei. Sic orabant & vngebāt infirmos Apoſtoli, Mar.6.& Iaco.5.ſtatuit,vt ſi qs infirmat, inducat presbyteros &c. Hęc oratio,abſolutio & interceſſio Sāctorum,ad duplicē effectū valent ſecūdùm fidem Catholicā,ſecundùm corporalē ſanitatē impetrandā à Deo,ſi illi videbit: Deindè,ſi in peccatis eſt,vt ea remittant ei,dicente id Iacobo. Aſſecurat ergò homo de remiſſione peccatorū certiſſimè per abſolutionis verbū,quod mētiri nō poteſt,per oratione fidei ſacerdotis & circūſtantium, per ſuffragiū omniū Sanctorū, quorū preces nō exaudiri impoſſibile eſt. Itaq; infirmus cōmendatus Deo & ſic aſſecuratus,ſecurè exit ex hoc ſeculo : nec tantū poteſt illi nocere inimicus ſathan,qui nō dormit circa agonē mortis.Nemo ergò hoc ſacramentū contēnere debet,ſed ex animo potiùs optare,vt ità armatus côtra ſathanā,ſe Deo tutiùs cômendare poſſit. In ſumma igit hæc ſeptē ſacratiſſima Sacramēta ſunt certiſſima ſigilla & quaſi pacta, quib⁹ aſſecuramur, quoniā ꝓpter Chriſtū cōſequimur hos gratiarū ac ſacramētorū effectus infallibiliter enī Deus illis aſſiſtit, & fides propter Chriſtum hos ſuſcipit: ideò & ſecurus ſum in conſcientia mea de recepta Dei miſericordia & gratia, mediantib⁹ Catholicis hiſce ſacramentis,ſi ea cum fide in Chriſtum ſuſcepero.

DE BAPTISMO CATHOLICORUM & baptiſmo Sectariorū. Cap. 24.

APOSTOLVS docens Epheſios ſuos, ſcribit in cap. 4. eiuſdem Epiſtolæ,Hoc ſcitote quoniam eſt vnū corpus, id eſt, vna Eccleſia & congregatio fidelium: eſt quoquè & vna vocatio, i. doctrina & Euangelium,

lium, per quod vocati sumus ad regnum,
& spem concepimus: est insupèr vna fides,
vnum Baptisma, vnus Dominus, scilicet
Christus, & vnus Deus qui est super oñia
& per omnia & in oñibus nobis &c. innu-
ens, quòd qui nõ est illius vnicæ Ecclesiæ,
fidei, doctrinę, baptismatis membrum, sed
speciale mẽbrum, singulari doctrina, fide,
speciali forma baptismatis &c. fuerit, ali-
osq; contẽpserit, quòd is non est in statu
salutis, neque fides vel doctrina aut bapti-
sma eius salubre aut verũ est. Ob id admo-
net nos, vt maneamus in humilitate, nè qs
plùs sapiat q̃ oportet in fide & doctrina
atq; sacramentis, vt alter alterũ supportet
in charitate & mãsuetudine, vt soliciti ser-
uemus vnitatẽ spiritûs & vinculũ pacis. Et
quoniã superbi sectarij & hæretici variam
habent fidẽ, Euangeliũ & doctrinam, quæ
non consentiunt Ecclesiæ Catholicæ atq;
vnitati, sed quisq; iuxta caput proprium &
fidẽ celebrat, baptizat &c. nec cũ Ecclesia
catholica, nec inter se ipsos cõueniunt vel
in fide, vel in cõmunione, vel forma bapti-
smi &c. ob id oritur suspicio apud Catho-
licos atq; dubitatio, nũ verè baptizẽt, con-
secrẽt, an nõ, an habeãt verũ hoc sacramẽ-
tũ, néc ne, q semetipsos ab Ecclesia catho-
lica segregãt. Hac igitͤ de re duo magni vi-
ri Ecclesiæ, Cyprian⁹ & Augustin⁹, sedulò
cogitãtes, ità quidẽ Cyprian⁹ sensit, quòd
ille qui nõ habet fidẽ per oẽm modũ con-
formẽ fidei Catholicę Ecclesiæ, i. cõmunis
Christianitatis, is nihil efficit cõsecrando
vel baptizãdo, neq; sacramentũ habet: sic-
ut Arrius non credidit Christũ Deũ, quo-
modò ergò potuit rectè mũdare aliũ, qui
ipsemet in fide leprosus fuit? ideò cõclusit
ipse Cyprianus cũ 70. & vno Episcopis, ꝙ
Hęretici nõ baptizarẽt. Scriptura aũt eum
haud dubiò mouit Marc. 13. & Matth. 24.
Multi veniẽt, dicentes, Ego sum Christus.
Sed cauete ab illis q sunt falsi Prophetæ,
quos sic cognoscetis, quãdò ea nõ docent
vel credũt, q̃ cõmunis Christianitas, i. Ec-
clesia docet & credit: & quoniã cauere il-
los debemus ex monitione Christi, sequitͤ
quia nihil faciũt cõsecrando, baptizando,
ꝓdicando, absoluẽdo &c. Deindè Ephe. 4.
Vnũ baptisma & vna fides Ecclesię. qui er-
gò in fide Ecclesię non cõuenit, sed singu-
laris est fidei & doctrinę, is nihil facit, quia
extra hanc vnitatẽ Christianitatis neq; re-
missio peccatorũ, neq; ablutio baptismi,
neq; spiritussanctus est. Qui ergò baptiza-
tur à mortuo, i. sectario, quid ꝓdest laua-
tio eius? dicit scriptura Eccles. 34. Et quo-
niam interna fides Hęretici inconstans &
varia est, nec consentiens Catholicæ fidei,
neq; Ecclesię cõstare potest fides ipsius, qs
enim cogitare aut scire poterit fidẽ secta-
rij, qui tam varius & ab alijs in doctrina di-
uisus est? Quoniã igitur se Hæretici ab Ec-
clesia singulari fide, doctrina, expositione
scripturarum, & id genus reliqs separãrũt,
certissimũ signũ est, quòd nõ consentiunt
cum intentiõe & fide vniuersalis Ecclesiæ,
ideò nihil faciũt. In hac cõfessiõe sua mar-
tyrizatus est Cyprianus. Augustinus autẽ
sic sentit in hac re, quòd Hæreticus si ex-
ternam formã verborũ, quib⁹ sacramentũ
vel cõficitur aut donatͤ, obseruat, tũc verè
(eò quòd forma verborũ & fides, quã ha-
bet vniuersalis Ecclesia, fit & audiatͤ, scili-
cet, Baptizo te in noĩe Patris & Filij & Spi-
ritussancti) baptizatur: & illa fides Ecclesię
facit, vt verè baptizetͤ qui baptizatur, mo-
dò sit legitima forma & intentio: nam qui
baptizatur, nõ Hæresi, sed Ecclesiæ bapti-
zatur. Prætereà baptismus Hęreticorũ, ait
Augustinus, quãuìs sit verus, non tamen
operatͤ remissionẽ peccatorũ, & hoc ꝓpter
labem discordię & schismatis: sed tunc ha-
bebit efficaciã baptismus Hęreticorũ, quã-
dò baptizatus ab illis, redit ad Ecclesię vni-
tatem, relictis illis: tunc verba ꝓlata ab Hę-
retico in baptizatiõe, nõ repetuntͤ, sed re-
missio peccatorũ & donatio Spiritussancti
accedit, i. virtus baptismi, cùm ad Ecclesiã
& vnitatẽ redit baptizatus: sed si persene-
rauerit baptizatus talis, tunc baptism⁹ re-
ceptus nõ confert virtutem, i. remissionẽ
peccatorũ, sed potiùs operatͤ mortẽ: ideò
Hæretici licèt baptizent, non tamẽ faciunt
quicquã ad salutẽ aut remissionẽ peccato-
rum, sicut dat argumentũ Augustinus de
filio ancillæ & filio liberæ, Gen. 16. Ambo
erant de semine Abrahã, sed ꝓpter discor-
diam Ismael non fuit hæres, sed expellitur
cum matre. Grauis igitur hęc & timenda
est sententia tanti Doctoris, nè pueros vel
infantes nostros baptizari sinam⁹ per eos,
qui fidẽ Ecclesiæ nõ habent, licèt loquan-
tur sanctissima verba, & sacramẽta profe-
rant, sinè fructu tamen atq; effectu, ideò
sunt fugiendi. Consentiunt tamen ambo
Doctores in hoc, quòd extra Ecclesiã (id
est, vnitatem) nec martyriũ, nec oratio san-
ctorum iuuabit, neq; remissio peccatorũ
vel baptismus ad salutẽ, dicente Apostolo
1. Cor. 13. Si habuero omnẽ fidem, prophe-
tiam, eleemosynã &c. non aũt charitatem,
id est, vnitatem, nihil prodest. Ex quo se-
quitur, quòd iuxta fidem sanctorũ Patrũ,

lo.

neq; cōmunio neq; baptismus vel oratio vel eleemosyna valebit, aut efficaciā habebit extra vnionē Ecclesiæ. Adeò tetrum ac dānosum vitiū est schisma, quod nos priuat promissis Ecclesiæ, si nosmet segregamus, atque nihil planè fructuosum agitur extra Ecclesiam. Doctores quoquè Scholastici, vt Bonauentura lib. 4. distin. 5. artic. 2. q. 2. sic ait, quandò is qui baptizatur, cōsentit hęresi, & ipse hęreticus est & fautor erroris, & scit hęreticū eū esse à quo petit baptizari in contemptū Ecclesiæ cōtra formā totius Christianitatis, qui sic baptizatur, nō recipit baptismi efficaciā, i. remissionē peccatorū: qui aūt habet impotentiā discernendi, vt paruulus, vel quādò baptizatur creditur esse Catholicus, & est tamē occultè hęreticus, aut vltima necessitas fuerit, si posteà baptizati ad Ecclesiā redierit & vnionē, tunc ad ipsos efficacia baptismi, i. remissio peccatorū, accedit. Ideò omnes pueri tempore sectarū & schismatis baptizati, si cognito errore redierint ad Ecclesię vnitatē, tunc effectus baptismi (i. remissio peccatorū) illis iterùm accedet: sin aūt sic permanserint, non consequētur: ea tamen gratia est maxima, quòd Deus sic baptizatos ignoranter ab Hęreticis, si cognito errore redierint ad Ecclesiæ fidē, acceptat vt consequātur effectū baptismi. Cęterùm in obduratione pmanentibus negat hæc gratia. At inquis: quid tunc de paruulis, qui ante plenā rationem & discretionē erroris post acceptū baptismū moriunt? quid illis culpæ erit, cùm itā ex iussu parentū suorū sint baptizati ab hęreticis? num dānabunt? Respō. Cyprian⁹ Serm. 5. de lapsis ait, quòd huiusmodi pueri in nouissimo die clamabunt cōtra parētes suos, qui sunt illorum homicidæ. Non eñ alieni hoīes, sed parentes ipsi fecerūt, quos maxima expectat pœna atq; condēnatio, eò quòd sciētes fauebant errori in contemptū Ecclesiæ, ac non solùm semetipsos, sed & quoscunq; alios secum trahunt in perniciem: piè tamē sperandum est, quòd Deus huiusmodi paruulos baptizatos, si ante psectam rationē & cognitionem erroris obiērint, misereatur, tamen ob fidem cōmunis Ecclesiæ aut preces publicas &c. Non igitur potest fieri sinè grandi periculo animarū, quandò Catholicus, qui fidem Ecclesiæ cōmunis profitetur, ad cōplacentiam hominū vadit ad alienū baptismum, vbi nec fides, nec forma habetur: tum primò quia ibi puer non accipit efficaciam sacramēti baptismi, i. remissionē peccatorū: ad quid igitur deludis paruulum, & decipis Dei creaturā salute, cùm agis compatrē, eò quòd audis Deum non daturum remissionē peccatorum extra vnionem Ecclesiæ? num igitur ob complacentiā hominū, priuare vis salute æterna hanc nouam Dei creaturam? Deindè, quia nescis, an puer ille sic baptizatus, cùm iam adoleuerit, sit in illo schismatico errore perseueraturus, an verò rediturus ad vnionem Ecclesię, ad percipiendam efficaciā baptismi, si itā moriatur vel in pertinacia pseuerauerit, inquiet puer: cur cōpater meus in tali baptismo leuauit &c. in æternum tu damnaberis, qui occasionem præbuisti. Nemo igitur sinè periculo conscientiæ & salutis potest fieri compater in baptismo Sectariorum, id est, extra Ecclesiam &c. At inquiunt, tamē & ipsi sunt de Ecclesia, & vtuntur forma Baptis. Baptizo te in nomine &c. & loquuntur Germanicè, & quid obest, si non habeant Chrisma? aut quis me certificabit, quatenùs ipsi non baptizent? aut quis prohibuit, nè leuem eorum pueros? Respon. ad primum, Qui de vnione fidei & doctrinæ totius Ecclesiæ non est, is non est de Ecclesia, sed extra ipsam: at ipsi non sunt nobiscum vniti, sed nostrā fidem, doctrinam, & sacramenta, quibus etiā ipsi sunt educati, impugnāt, contēnunt, & conuiciantur. Igitur de vnione nostra nō sunt, sed extra illam: & quia in vniōe est effectus baptismi, id est, remissio peccatorum, ergò falsus est illorū Baptismus quo ad efficaciā. Prohibitionē autem, nè ad eos leuandos pueros accedas, fecerunt primores fidei & capita Ecclesiæ, vt Papa & Imperator cum toto Imperio, qui iubent obseruare vnionem Ecclesiæ, formam in baptismo, & in conferēdo cæremonias, vt Chrisma & alia consecrata: ad quid enim hoc præceptum est, vt Ecclesiam audias, nisi vt illos fugias? plùs igitur Deus timendus est, quàm homo. Contumacia quoquè & dissensio Hæreticorū, omnia eorum eneruat, & euacuat efficaciam. Cyprianus lib. 1. Epist. 6. Epistola ad Magnum, inquit: Chore, Dathan & Abiron & cum illis ducenti ac 72. viri Leuitę, hoc quidē adorabant quod Aaron & Moses, pari lege & religione viuētes: sed quia vnionem sciderunt, & ordinem turbārūt, deglutiuit eos terra. Sic omnes Hęretici licèt profiteantur nobiscum Christum, dispensantes Sacramēta, orātes, psallētes &c. tamē manet eos Diuina vindicta, eò quòd vnionem & ordinem sciderunt, atque ob id non placet DEO eorum sacrificium vel

vel oratio &c. Qui ergò vult consulere sibi ac cæteris, fugiat Hæreticorum sacramenta, requirat Catholica: ibi permaneat,&certus erit de efficacia sacramẽtorum. Nam certissimum est,quòd maior pars accipit & fauet baptismo Sectariorum propter fauorem hominum, & quia vult non alienus videri ab ipsorum Euangelio,non considerans periculum, neque rem salutis pensans.Multa differentia est,baptizatum esse, & esse baptizatum ad salutẽ & remissionem peccatorũ: sicut aliud est,esse hominem,& esse hominem Christianum. Sic baptizatus ab hęretico,baptizatus est,sed non baptizatus ad remissionem peccatorum,quatenùs hęc non datur existenti extra vnionem Ecclesiæ. Qui orat cum inuidia aut odio aduersùs proximum,ille orat quidem,sed sinè fructu & insalubriter:recedente autẽ inuidia & odio, tum oratio fit fructifera. At inquis: quid possunt filij innocentes, si in sectario baptismo baptizantur? Respon. Quid possunt filij Iudæorum, quia Iudæi nascũtur & circunciduntur &c? Deus vult vnitatem, & ob id quandiù inimicitiam geris,tandiù nõ exaudiris à Deo: sed reconciliatus, impetrabis quicquid orabis:par ratio est de baptismo Sectariorum. Quandiù enim puer sectarius& inimicus vnionis manet, tandiù nihil accepit fructuum ex baptismo: sed si cognito errore, reconciliatus fuerit Ecclesiæ, tunc preces factæ habent vigorem. Augustinus de Baptismo contra Donatistas, parte 5. lib. 3. cap. 13. Exigitur quoquè ad legitimum Baptismum aqua consecrata & mundata, vt lib. 1. Epistolarum, Epist. 12. testatur Cyprianus. Nam Ezechiel. 36.dicitur,Effundã super vos aquam mundam &c. nõ dicit simpliciter aquam, sed addit mundam:mundatur autẽ & sanctificatur per verbum & orationem consecratoris,1.Timoth. 4. Qui ergò ex consecrata aqua baptizatur, ille verè baptizatur: necessè quoquè est,vt qui baptizatus sit,etiam chrismate vngatur. Vndè DEI vnctus dicitur, & gratiam Christi accipit propter fidem in Christum &c. Est enim Christus,caput nostrum existens, vnctus: propter quẽ & nos vngimur, vt suam gratiam habeamus &c.

DE FIDE ET FORMA CAtholicorum, & forma Sectariorum circa sacramentum Communionis. Cap. 25.

Sacra communio corporis & sanguinis Iesv Christi ideò instituta est, vt vniantur & incorporentur membra capiti, & caput membris: sicut cibus naturalis facit, vt caput influat membris,& membra sana permaneant sub capite:nam subtracto cibo,caput languet, & membra debilitantur: vita recedit, & mors adest: sic cibus ille sacratus & supersubstantialis corporis & sanguinis Christi dignè sumptus,facit coadunationẽ capitis (quod Christus est) cum membris, id est, nobis hominibus, qui membra & corpus eius sumus,& Christus in nobis veluti caput, & nos in ipso veluti capitis membra sumus: & hinc dicit Iohannis 6. cap. Qui manducat meam carnem &cæt. in me manet, & ego in eo. Præterea non solùm fit coadunatio capitis & membrorum per illum cibum, sed & omnium bonorũ Christi: Deindè etiam omnium sanctorum & bonorum Christianitatis vniuersæ, qua communione alter alterius communicat bonis,eaq; participat, sicut Apostolus exemplificat de multis racemis proferentibus vnum vinum,& ex multis granis vnus panis: sic qui de vno pane & calice participamus, 1. Corinth. 10. Ob id etiam dicitur cõmunio à communicando, quòd nobis per hunc cibum Christi bona cõmunicantur,id est,redemptio, iustitia, bonitas, sapientia &c. Deindè, quòd facit nos participare omnium bonorum Christi fidelium,& quòd credimus in Articulo fidei, Credo communionem Sanctorum,id est, participationem omniũ bonorum, quæ Sancti fecerunt,& hodiè adhuc faciunt fideles,horum credo me fore participem:& nè de hac dubitare possim,certissimum sigillum est istius cõmunionis & participationis bonorum Christi & eius Sanctorũ. Hoc enim sacramento adiuuamur, & participationem mutuam nanciscimur: semper tamen præmissa fidem in Christum, quæ caput est huius communionis sacramentalis. Præterea,sicut cõmunicans hoc sacramentum secundùm formam Catholicæ Ecclesiæ,in qua educati sumus,fit particeps bonorum Christi & omnium Catholicorum per totum orbem, ità cõmunicans secundùm formã sectariam, quam non tenet tota Ecclesia, ille fit particeps omnium malorum, quæ per Schismaticos operantur, id est,superbiæ,inobedientiæ, inuidiæ, præsumptionis,carnalitatis, contiiciorum in Catholicos, contemptûs sanctorum Dei, & derisionis cultûs diuini&c.

Et quamuis Hæretici compellunt ad suam communionem, sicut fecerunt Arriani, & presertim Macedonius, qui (vt testatur historia Tripart. lib. 5. cap. 31.) violenter ligno inserto aperuit ora Catholicorum; mulieresque in mamillis torquebantur, & populus plagis & tormentis compellebatur ad communionem. Sic etiam de Ermigildo filio Regis, qui fuit occisus in carcere, quia noluit communicare ab Arriano Episcopo &c. attamen vt nō poterant oēs compellere ad sumendam ipsorum communionem, sic nos illorum quoquè communionem vitare debemus, nè participes efficiamur illorum malis, quibus etiam Io-
2. Iohā. hannes salutationē Aue prohibuit, nè communicemus illorū malis. Faciunt enim sicut diabolus, qui omēs cupit trahere in suam nassam perditionis: ità & illi volunt omnes compellere ad suam schismaticam communionem. Est pręterea sola Catholicorum cōmunio salutaris, efficax & meritoria, id quod credit communis Christianitas: Sunt autem diuersæ formę communionis apud exteros Ecclesię, quas nos non curamus: nam Iudæi suam habent communionem cum agno Paschali & lactucis agrestibus, & alij alijs modis vsurpant, sicut de Peputianis & Cataphrygibus scribit Augustinus libro de Hęresibus ad quoduultdeum, quòd communicaturi de infantis anniculi sanguine, quem de toto corpore eius minutis punctionum vulneribus elicuit, Eucharistiam conficiūt, miscentes farinam sanguine, panemq́; indè facientes, sic cōmunicant & diuidunt, & puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro sancto: si autem superuixerit, habent eum pro magno sacerdote. Hoc autem tali colore prætexunt, quòd dicunt se indignos esse vt sanguinem CHRISTI bibant, quem semel pro nobis effudit: & melius esse, vt singulis annis sic pueri sanguis ipsi in gratiarum actionem offeratur, cuius sanguinem velut sacramentum participant, & cogitant CHRISTVM pro nobis passum, & sanguinem suum fudisse: sed absit à nobis talis forma communionis. Prætereà de Manichæis & Cataristis scribit Augustinus, vbi suprà, quòd Eucharistiæ eorum confectio sit de semine humano cōspersọ cum farina, quam manducant, eò quòd semen à DEO creatum est, per quod generantur homines & augentur. Vndè etiam fit societas, concordia, & consanguinitas hominum: ideò in gratiarum actionem sic celebrant Eucharistiam: sed hoc non sacramentum, sed execramentum est: & hoc scelus multas corrupit virgines, vt ibidèm dicitur. Prætereà Rutheni albi panem recentem fermētatum mixtum vino in scutella conficiunt, & sic sumunt pro Eucharistia, & qui volunt de scutella posteà bibere, licet eis, etcætera. Berengaristæ & Vuiclefistæ cœnam habent in mensa apparatam in ECCLESIA, propinantes alter alteri panem, deindè vinum secundùm ordinem, pro signis & figura corporis & sanguinis IESV CHRISTI: non credentes substantionaliter ibi contineri corpus & sanguinem sub speciebus illis, nec de Altari sumunt, quia MISSAM non habent, sed de mensa posita in ECCLESIA, idq́; finita cōcione. Nestoriani communicaturi, sub vtraque in pane fermentato conficiunt, & credunt sub vna non totum sacramentum, sed partem esse: sub pane solum corpus, & sub vino solum sanguinem: & porrigunt tam adultis quàm paruulis, sub vtraque specie, iuxta illud Matthæi 26. Bibite ex illo omnes. Similiter iuxta hanc sententiam communicant sub vtraque specie Hussitæ & Vualdenses, non autem porrigunt paruulis, vt quidam Bohemorum. Sic sectariorum communio varia monstra inter se habet circa venerabile Sacramentum: non potest esse quieta, nec se conformare communioni Christianitatis communis siue ECCLESIAE, ideoque horrendum in modum errat. At nos qui profitemur nos membra esse Ecclesiæ CATHOLICAE, libenter audiamus ECCLESIAM, & perseueramus in ea forma & modo communionis, quam semper vsurpauit, in quam & consentit totus sanctorum Doctorum cœtus, eam esse verissimam & saluberrimam formam conficiendi sacramentum Eucharistiæ: Quid est enim subtilius, quàm istis speciebus communicare & sumere verum sanguinem & corpus Domini, sub qualibet specie totum sacramentum, id quod fides nostra tenet, estq́; optima & syncerissima forma, ex purissimo pane azymo & vino. At instant Schismatici: sic dandum est sacramentum, sicut CHRISTVS ipse Discipulis suis dedit, & quoniam dicit, Bibite ex hoc oēs, Matthæi 26. & sic instant, Ergò non vna species & dimidium sacramentum dandum est. Respondeo, Non potest ostendi, Christum iussisse discipulis, Date omni populo, vt ex eo bibant omnes, & date ei

vtranque ſpeciem, ſicut dedi vobis: Deindè non poteſt oſtendi, CHRISTVM extra cœnam quenquam communicâſſe duplici ſpecie: tertiò, vera inſtitutio Chriſti eſt, quòd Apoſtolos primò vt Laicos communicauit ſub vna: Deindè, data poteſtate ſacerdotij, dicens, Hoc facite, id eſt, conſecrate: rurſus dedit calicem Apoſtolis, vtì ſacerdotibus. Hunc ordinem colligimus ex Luc. 22. Primò enim ait, Dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum: Deindè, Hoc facite in meam commemorationem. Rurſus ſimiliter & calicem, &c. & hunc ordinẽ tenet Paulus 1. Corinth. 11. Sic iuxta CHRISTI inſtitutum, non conſecrans Laicus, communicatur ſub vna ſpecie: Deindè conſecrans ſacerdos, is quoquè alteram ſumit ſpeciem, 1. Corinth. 11. Hoc facite quotieſcunquè &c. id eſt, cùm ex calice bibituri eſtis, hoc facite, id eſt, Conſecrate. Nam non conſecrans ſacerdos, non bibit ex calice, ſed vna ſpecie communicatur. Si ergò iuxta Paulum, Omnes quotiès bibere volunt è calice, facere (id eſt, conſecrare) debent: ergò omnes Laici (quod falſum eſt) poſſunt & tenentur celebrare. Ob id iuxta inſtitutionẽ & modum, quo Chriſtus dedit Apoſtolis primùm (ſcilicet vt Laicis) vnam ſpeciem, ſic & eum modũ hodiè ſeruamus. Sed quia collata ſibi poteſtate vtitur ſacerdos, nempè conſecrando iuxta Chriſti inſtitutum, ſumit & calicem: nam calicẽ, iuxta inſtitutũ Chriſti, nemo niſi conſecrãs accipere debet: habemus ergò nos Chriſti inſtitutum. Illa clauſula, Bibite ex illo oẽs, ſolùm ad Apoſtolos referri, id quod Marcus probat, quia exequebantur ſtatìm Chriſti iuſſum, & biberunt ipſi omnes. At certum eſt, non omnes homines bibiſſe. Vndè Apoſtolus 1. Corinth. 11. non facit
Mat.26. mentionem iſtius clauſulæ, Bibite ex hoc omnes: nec alij Apoſtoli, vt Petrus, Iudas, Iacobus, Iohannes, faciunt vllam mentionem de illa communione vtriuſque ſpeciei: quæ res ſi tam ardua & neceſſaria foret ad ſalutem, ſicut Schiſmatici volunt, certè non ſuperſediſſent. Sola ergò libido diſſenſionis exagitauit Hæreticos, qua nolunt obſequi communioni ECCLESIAE, id quod ſæpiùs per Hæreticos factitatum legimus. Sed diabolus ſinè dubio huius diſſenſionis author eſt, qui cùm ſciat hoc CHRISTI ſacramentum ad vnionem & charitatem inſtitutum eſſe, pernicioſa diſſidia & diabolicas inuentiones circa hoc ſacramentum ſeminauit. Et quanquàm in primitiua ECCLESIA aliquandiù fuit communio vtriuſque ſpeciei in quibuſdam Eccleſijs, ſicut in Corintho & apud Carthaginem Cypriani temporibus: deſijt tamen ſponte, quandò populus audiuit quòd etiam ſub vna ſpecie totum accipiatur ſacramẽtum, quia CHRISTVS ampliùs non moritur, nec ſanguis eius à corpore ſeparatur, Roman. 6. Non tamen legitur, hunc morem fuiſſe in omnibus ECCLESIIS vniuerſaliter, nec legimus Petrum vel Iohannem aut alium aliquem Apoſtolorum Laicos communicâſſe ſub vtraque ſpecie, ſed potiùs quædam indicia inuenim' vnius ſpeciei, vt Actorum 2. 9. & 20. Ex hac re duo Concilia concluſerunt, ſcilicet Baſileenſe & Conſtantienſe, ac nos certificârunt, quòd ſinè periculo vnam ſpeciem communicamus. Quòd autem ſacerdos communicat vtranque ſpeciem, & non Laicus: ratio eſt, quia ſacerdos iuſſu CHRISTI facit in memoriam paſſionis eius dum celebrat, (Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem) idem quod Chriſtus fecit in cœna, & quod in cruce fecit: quia ergò in cruce fluxit ſanguis de latere, & fuit ſeparatus à corpore, & nunc ſacerdos celebrat Miſſam in memoriam paſſionis Chriſti, ideò ſic ſeparatum etiam ſanguinem in calice accipit, ſed quia Laicus ſolùm accipit in fidem, nempè quòd credit hoc corpus pro ſe eſſe traditum, & ſanguinem fuſum, Matthęi 26. non habet autem cõmiſſionem, ſicutì ſacerdos celebrans habet facere memoriam paſſionis, ideò vnam ſpeciem accipit. Sic Luterus fatetur eos non peccare qui vnam ſpeciem ſumunt, quandoquidem (ait ille) Chriſtus nullam præcepit, ſed in libertate permiſit cuiuſcunque: hæc in lib. de Captiuit. Babylon. Item in libello de formula Miſſæ, Si Concilium ſtatueret vtranque ſpeciem, tunc in deſpectum Concilij vellem vnam ſpeciem ſtatuere: & eos vellet anathemate ferire, quicunque authoritate Concilij moti vtranque ſumerent. Item in Aſſertionibus artic. 16. Neutra ſpecies, ſed ſola fides ad ſalutẽ eſt neceſſaria. Item de Captiuit. Babyl. ait, Totum caput Iohan. 6. nec ſyllabam de ſacramento loquitur &c. Ex his patet eorũ furioſus & contentioſus ſpiritus & libido diſſidia mouendi. Sed noſtrùm eſt, manere in fide & forma communicationis Catholicæ, quæ approbata eſt ſalutaris, & ſibi iam à centenarijs aliquot annorum ſpatijs conſtans.

Cyprianus Sermò. 5. de lapsis, inquit: Quàm multi quotidiè immūdis spiritibus adimplentur, quàm multi vsq; ad insaniam mentis ex cordis dementiæ furore quatiuntur: nec necesse est ire per exitus singulorum, cùm multiformis ruina in mundo veluti pœna indignę cōmunicationis cernitur. Ex quo patet, vndè iam proueniat quòd homines veluti insani furore laborent, maximè ex eo quia contra obedientiam Ecclesiæ & cōmunitatis totius sumūt pro suo placito, & eos qui non sicut ipsi cōmunicant, condemnant, idq; sinè confessione peccatorum, & contritione aut timore faciunt. Hoc autem sic vindicat Deus: nā Iudas, accepta bucella in cœna, peior effectus est. Nam post traditionem Christi, Matth. 26. etiam sese ex desperatione suspendit, Matth. 27. Et Paulus 1. Cor. 11. Propter huiusmodi indignam cōmunicationem inquit: Ideò inter vos multi infirmi corpore & imbecilles animo, id est, priuati perfecta ratione, & dormiunt multi, id est, mortui sunt. Ob id nemo credat seductoribus illis, sed maneat apud concordiam Ecclesię Catholicæ. At latiùs instāt: sic sonat ipsa institutio, nihil ergò detrahendum. Respon. Tali forma verborum decepti quoquè sunt Anabaptistæ, nempè Christum sic ex ordine instituisse Baptismum Marci vltim. Qui crediderit, id est, potentiam habet confitendi fidem: deindè baptizatus fuerit, &c. Sed pueri apud Papistas nondùm potuerunt confiteri fidem suam, igitur fecerunt contra ordinationem & institutionem Christi &c. Sed vt illi circa verba Christi seipsos decipiunt & alios, ità cæteri quoquè qui de forma communionis litigant.

Iohā. 13.

DE FIDE CATHOLICORVM CIRCA SACRIFICIum Missæ & eius celebrationem. Cap. 26.

SACRA Missa annis abhinc mille & quingentis, ab omnibus Catholicis sanctis & Doctoribus habuit authoritatem, tanquàm res sacra & opus quod Deo placet: & Christus, qui illius est institutor, celebrare iussit in memoriam passionis eius, & salutem omnium piorum credentium tum hic, tum in futura vita: & quanuis plerique Heretici peruersi extiterunt, non tamen omēs ex ęquo Missam sic abominati sunt & abrogârunt, sicut pauci ex illorū numero, vt Vuicleff, Huss, Luter, Zuinglius, Anabaptistæ: sed nos istos non curantes, maneamus in fide totius Ecclesię Christianæ, quę Missam Catholicam vbiquè approbat tanquàm opus sanctum, & Deo benè placens, noui Testamenti sacrificium, salutare viuis & mortuis. Est autem Missa, opus quod facit sacerdos in altari, vbi iuxta cōmissum Christi ipse panem in corpus & vinum in sanguinem consecrat, & Patri offert ipsum Filiū Christum, orans vt propter illum nostri tam viuentium quàm mortuorum misereatur: & sumit ipse, ac cęteris cupientibus dispensat in recordationem redemptiōis nostrę factę per Christum, & incorporationem ac vnionem cum Christo, Iohan. 6. Forma igitur Catholica Missæ, & ab Apostolis (vt creditur) obseruata, à Paulo describitur 1. Tim. 2. vbi ait, Obsecro primùm omnium fieri obsecratiōes, id quod fit in Introitu & Kyrieleison, Et in terra pax &c. Deindè Orationes & Collectas, Tertiò postulationes, id est, pro nostris necessitatib' aut personis, alijsque rebus: Sanctorum inuocationes, vt orent, quatenùs fit Deo acceptum opus Missæ: Postremò gratiarū actiones, id quod fit post benedictionem & sumptionem Eucharistiæ, & in Complendis, &c. Et sic nostræ Missæ formam esse descriptam ab Apostolo, testantur Doctores Ecclesiæ, S. Augustinus, Ambrosius, Haymo, Anselmus &c. in Cōmentarijs suis super prędictū locum Pauli. Tales enim conditiones Orationum in nullo alio opere simul sic perficimus, sicut in Missę sacro. Sectarij autem non solùm substantiam, sed etiam formam Missę peruertunt: alius enim hoc modo, alius illo celebrat: nec in hac re, sicut neque in alijs, sibi constant. Est quoquè Missa, primò, memoria victimę ꝓ nobis in cruce semel pœnaliter factæ: Secundò, est verū & perpetuum sacrificium Christianitatis, id est, Ecclesię Catholicæ, quod pro salute viuorum & mortuorū quotidiè offertur: nempe Christus Patri offertur, vt propter illū nostri misereatur: non autem pœnaliter offertur, quia iam non ampliùs moritur, nec pœnas sentit, Roma. 6. Sic semel oblatus est, Hebre. 9. sed in honore & reuerentia ac mysterio, sicut si quis filium Regis offerret patri Regi, vt pater propter filij preces me in gratiam susciperet: ibi filius Regis honoratur, nō mactatur: & sub speciebus illis panis & vini in mysterio sic offerimus sinè pœna filium. Quarè falsò co-

MISSA.

MISSA.

conuiciãtur Hęretici, nos noua mactatione & crucifixione illa sacrificia peragere, nempe propitiatorium, gratiarum actionis, & laudis sacrificium. Est igitur hæc oblatio munda, quę ab ortu Solis vsque ad occasum Deo offertur, iuxta verba Malachiæ 1. cap. quod sacrificium sacerdotium Christi iuxta ordinem Melchisedech celebrat & offert per totam Christianitatem, quod sacrificiũ solum durabit ad diem nouissimum, explosis ac deletis cęteris sectarum & Hæreticorum sacrificijs, quæ Deo non placent. Reperiuntur autem in mundo gentes, Iudæi, Christiani: Gentes obtulerũt dæmonijs filios & filias tãquàm dijs suis, putantes sic placandos eos, & se consecuturos esse fauorem & gratiam illorum. Psalm. 78. arguit eos, qui sic fuderunt sanguinẽ innocentium. At nunquàm Deo huiusmodi sacrificia placuerunt. Iudæi obtulerunt oues & boues & animalia, quibus sperabant consequi remissionem peccatorum: & quanuis ad tempus Deo placuerunt, attamen nunc holocaustis nõ delectatur, Psal. 50. Christianorum ergò sacrificium solum durat & verum est, quo certissimam acquirimus remissionem peccatorum, non propter nostras cæremonias Missæ, sed ipsum Christum qui Patri offertur. Qui ergò hoc negant, indiciũ dant, quòd de ecclesia Catholica non sint, veluti sectarij, qui nec sacerdotium, nec sacrificium habent, sed sunt sicut virgines fatuæ sinè oleo, id est, sacerdotes nomine tenùs, sed sinè sacrificio, Matth. 25. Hoc vnicum Ecclesię Catholicæ est solatium, quia habemus sacrificium, quo oblato scimus nos placari, & exaudiri in nostris petitionibus, & suffragari aut prodesse timoratis conscientijs: facit enim hoc sacrificiũ nostram orationem & petitionem valdè efficacem, secundùm Augustinum. Nec porrò nouum vel distinctum est sacrificium ab illo quod in cruce factum, sed illius & eiusdem ac idipsum: cuius efficacia nõ solùm tunc non est euacuata, sed quotidiè durat & communicatur per hoc sacrificium, sicuti vnic⁹ est Sol semel creatus, quotidiè rediens, cuius splendor non primo die est euacuatus vel omnes depulit tenebras, sed quotidiè præstat efficaciam creaturis terræ, & fugat tenebras, & illius virtus durabit vsque ad nouissimum diem: nam quòd hoc ipsum totiès repetimus sacrificium, Christi iussu facimus, id est, in memoriam eius, Luc. 22. Hoc facite &cęt. ob id semper durat hęc virtus sacrificij.

Prætereà Missam non solùm celebranti, sed & cæteris adstantibus proficere credimus, sumentibus communionem per modum sacramenti, quo vnimur & incorporamur Christo, Iohan. 6. Cæteris per modum sacrificij, quod dum pro illorum & totius Ecclesiæ remissione & salute offertur Christus, vt ꝑpter illum Pater nostrĩ misereatur, verissimũ habet effectum. Sic Matth. 26. Qui pro vobis (id est, sumentibus) & pro multis, id est, quibus offertur hoc sacrificium, effundetur in remissionẽ peccatorum. Cõmunicantibus & Missam celebrantibus prodest per modum sacramenti, cęteris autem per modum sacrificij: & hęc est Ecclesiæ simplicissima fides de hoc Missæ sacrificio: non autem dicimus Missam sic valere absque fide, quæ semper præsupponitur & exigitur: sed cùm ex fide sumitur, vel per fidem offertur, efficaciam habet.

At instant: Missa non est aliud, nisi promissio aut testamẽtum Christi, sacramento corporis & sanguinis Christi testatum, hoc est, nil aliud est nisi remissio peccatorum, quam testatus est Christus sumentibus sacramentum, dicens: Accipite, comedite & bibite in remissionem peccatorũ, Matth. 26. hic totus fructus Missæ, consistit in accipere & mãducare. Sed quis tam insanus, qui promissionẽ acceptam vel testamentum acceptum dicat opus bonum, quod accipiendo suo faciat testatori, vel ex receptione testamenti, facit sacrificium ille qui testamentum donauit? Vt ergò baptismus nulli ꝓdest nisi recipienti, sic Missa non nisi cõmunicanti: quarè falsum est de bono opere sacrificij Missæ, vt iactant Papistæ. Respondeo ad primum: Nullus Euangelista neque Apostolus dicit, quòd ex manducatione ac bibitione sacramenti contingat remissio peccatorum, sed potiùs in hoc quatenùs creditur, quia corpus traditur, & sanguis funditur Christi in remissionem peccatorum per verbum absolutionis, Iohan. 6. Qui manducat meam carnem &c. Falsum ergò hoc est, quicquid de promissione peccatorũ remissionis aut testamento opponitur. Non enim est remissionis peccatorum sacramentum Missæ, quia fides & verbum absolutionis, pręcedant oportet sacramentum vnionis. Secundò, qui ex iussu Dei honorat parentes, Exod. 20. per hunc dicitur bonum opus fieri: Sacerdos autem celebrans Missam, iuxta Christi iussũ, Hoc facite &c. Luc. 22. Cur nõ etiam dicitur facere opus bonum, implen-

implendo Dei præceptum? non enim simile est cum sacerdote, qui est & consecrator Sacramenti atque immolator, & cum Laico, qui simpliciter communicat & accipit sacramentum à sacerdote: sicut differentia est inter diuitem, qui elaborauit & lucratus est diuitias: & egenum, qui simpliciter accipit à diuite. Opus bonū fecit diues in conquirendo & conferendo eleemosynas, quia distribuit de diuitijs benè conquisitis: at pauper solùm accipit beneficium & testamentum. Sic quia in Missa fit opus consecrationis & distributionis, ideò est verè opus pium & sanctū: at communicās simpliciter & accedens, accipit sacramentum in symbolū veræ vnionis cum Christo, Iohan. 6. non in remissionē peccatorum. Vt igitur corpus naturale quotidiano indiget cibo, nē deficiat propter consumptionem humidi radicalis, sed vt in sanitate conseruetur: ità quotidiè celebratur missa, & porrigitur cupientibus cibus ille cælestis, quatenùs vniamur, cōfortemur, & persistamus in Christo, & cum illo perseueremus in sanitate fidei & salutis: ideò sicut corpus deficit, subtracto cibo naturali: sic anima nostra dum negligit vel recusat hunc cibum, sicut videmus fieri ab inquietis & carnalib⁹ hominibus, qui dum sacramēti huius sumptionem negligunt, à Christo recedunt, nec illi incorporantur aut vniuntur. Tertiò, neq; conuenit Baptismi similitudo, quòd is solùm proderit recipienti. Nam baptismus ad solum vnum effectum institutus est, nempe ad remissionem peccatorum consequendam. Actor. 2. Baptizetur vnusquisque vestrûm in remissionem peccatorum. Sed Eucharistia ad duplicem effectum instituta est: Primò, vt vniat nos cum Christo, Iohan. 6. & sic solùm proderit recipienti & communicanti: Deindè in sacrificium verum, quod Ecclesia & Sacerdos offert Patri, id est, Filium eius dilectissimum, rogans vt nostri misereatur propter ipsum, non solùm viuorum, sed etiam defunctorum. Non enim cessauit sacrificium Ecclesiæ, sed durabit vsque in æternum, id quod prædixit Dauid de Christo, Psal. 109. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinē Melchisedech, id est, hic modus offerendi durabit ad modum Melchisedech, qui obtulit Deo panem & vinum, Gen. 14. Non erit modus Aaron sacerdotis summi & synagogæ, qui obtulit vitulos, boues, &cæt. cuius sacrificium tunc cessauit, quādò per Christum incepta est Ecclesia, id est, in cœna, quandò Christus semetipsū secundùm prophetam obtulit Patri, sub speciebꝰ panis & vini secundùm ordinem Melchisedech: & hoc idem iussit Apostolis & eorum sequacibus, id est, sacerdotibus Catholicis. Ob id hoc sacrificium Ecclesiæ durabit vsque ad diem Antichristi in finem mundi & secundum Christi aduentum: tunc enim secundùm Danielem cessabit iuge sacrificium. Potest quoquè intelligi cessatio sacrificij tempore Antichristi, id est, Hæreticorum, qui in linea sunt ipsius Antichristi extra Ecclesiam. Illi enī oppugnant & abominantur hoc salutare sacrificium in odium Cleri. Sed non tameo possunt penitùs extinguere, vsque dum veniat tempus Patris ipsorum, id est, Antichristi vltimi. Non est igitur contemnenda Missa propter abusum & corruptelas sacerdotij. Vndè Erasmꝰ super Psalmum, Quàm dilecta &cæt. ait: In Missam Psal. 83. si quid superstitiòsis aut sordium irrepsit, æquum est corrigere ipsam Missam, non autem execrari &c. Cæterùm sacrificij & immolationis vocabulum veteres sancti Doctores non horruerunt vsurpare: nam licèt Christus semel mortuus fuerit, tamē vnicum illud sacrificium mysticis ritibus quotidiè quasi renouatur, dum illo fonte inexhausto nobis nouam subindè gratiā elicimus. Immolamus hostiam pro viuis & defunctis, dum pro illis Patrē per mortem Filij obtestamur: Postremò quū oīs precatio, laus & gratiarumactio rectè dicatur sacrificiū, maximè nomen hoc conuenit ipsi missæ, hæc omnia in se continenti: constat enim Psalmodia, orationibus, hymnis, lectionibus, benedictionibus, & gratiarum actionibus &c.

DE CATHOLICORVM VENERATIONE ERGA SANctos Dei. Cap. 27.

MAGNA semper distinctio fuit apud catholicos inter adorationem, & venerationem Sanctorum, eò quòd adoratio soli Deo competat, & nulli alij creaturæ, dicente ipso Christo Matth. 4. capit. Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies, tanquàm creatura suo creatori. Solùm prætereà Deum inuocamus, vt creatorem & saluatorem, ac datorem illius quod petimus, tum auxiliatorem in omni aduersitate: eum igitur meritò solum adoramus,

oramus, ac illi credimus, & omnem ſpem ſalutis in eum collocamus. Sanctorum autem honor ſiue veneratio, non eſt adoratio: auxilij quoquè eorũ ac ſuffragiorum inuocatio, ſimiliter non eſt adoratio, ſed petitio interceſſionis apud Deum, quemadmodùm fecit Apoſtolus ac petijt, Roman.cap.15. Similiter & ad Corinthios, 2. Cor. 1. Et Iacobus orare iubet pro inuicèm vt ſaluemur, Iacob. 5. qui ergò Deum pro alio orat, is pium opus facit, exemplũ Chriſti imitans, qui ideò in cælum aſſcendit, vt appareat vultui DEI pro nobis, Hebr. 9. ſed vt amicus anguſtiatus, rogãs conſeruũ & fratrem, vt pro illo oret, non adorat, ſed petit potiùs: ſic nos poſtulantes ſuffragia Sanctorum, nõ adoramus, ſed vt ex charitate pro nobis apud Deum intercedãt, petimus, & hoc ipſum eos facturos non dubitamus. Quòd autem Deus & in hac vita & in futura propter electos ſuos ac eorum ſuffragia conferat bona & dona, clarè ex Scripturis habemus, & primò Exod. 17. vbì Moſes quandiù orando leuabat manus, vincebat Iſrael &c. Et propter orationem Heſter 4. & ipſius Iudith, cap. 13. liberatur populus ab hoſtibus. Et in nouo Teſtamento Matth. 9. videns IESVS fidem illorum, ſcilicet qui offerebant paralyticũ, ait paralytico: Confide fili &c. Sic Matth. 8. cap. de centurione rogante, cui dicitur, Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi: & ſanatus eſt puer ex illa hora. Ex his & conſimilibus Scripturæ locis proceſſit veneratio ſanctarum perſonarum, ac ſuffragia mutua aliorum ꝓ alijs, eò quòd apertiſſimè cernitur & approbatum eſt, quòd Deus propter Sanctos ſuos electos viuentes, & adhuc in terra exiſtentes, auxiliatur anguſtiatis propter ſuffragia electorum, quæ petunt ac deſiderantur: ob id & Apoſtoli hoc petiêrunt, vt ſuprà diximus de Paulo: & ipſe Petrus liberatur de carcere per angelum, dum oratio Eccleſię ſinè intermiſſione fit ad Deum pro eo, Acto. 12. quòd Deus etiam viuentibus propter electos ſuos ac ſanctos mortuos, conferat bona propter ipſorum interceſſiones & merita, patet primò ex 4. lib Reg. cap. 19. vbì Regi Ezechiæ mittitur Propheta Eſaias, quandò rex Sennacherib circundedit Ieruſalem, volẽs deuaſtare ciuitatem, & rex erat plurimùm anguſtiatus, tum venit Propheta & dixit: Hæc dicit Dominus, protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me & propter Dauid ſeruum meum: eccè magna promiſſio Dei, quam DEVS facit Ezechiæ regi, quòd propter ſemetipſum & propter Dauid vult protegere vrbem: at Dauid iam annis multis erat mortuus, & tamen ꝓpter ipſum fit ꝓmiſſio tam grandis. Et ità contigit quoquè iuxta verbum & promiſſionem Dei. Nam ſequenti nocte miſit Deus angelum, qui interfecit 185. millia hominũ de exercitu Sennacheribi propter illam Dei promiſſionem proceſſit in veteri Teſtamento inuocatio Sanctorum, quatenùs Deus ob illorum precès dignaretur miſereri viuentibus. Sic enim fecerunt tres viri in camino ignis, Daniel. 3. qui dixerunt, Nè auferas à nobis Domine miſericordiam tuam ꝓpter Abraham dilectum tuum, Iſaac ſeruum tuum, Iacob ſanctum tuum &c. ideò & in veteri Teſtamento viuentes inuocârunt ſanctos Patres, petentes & rogantes Deum, vt illorũ propter eos miſereretur: nam iamdudùm erãt mortui Abraham, Iſaac & Iacob, dum ſic ab illis tribus viris appellarentur. Sic Moſes pro populo peccãte in adoratione vituli interceſſit, Exod. 32. cùm inquit, Recordare Domine Abraham, Iſaac & Iacob ſeruorum tuorum &cęt. Et ſequitur, quòd placatus eſt Dominus. Sic quoquè parcit Deus Salomoni peccanti propter Dauid ſeruum ſuum, 3. Reg. 11. ex quibus omnibus Scripturæ locis patet, quòd Deus propter electorum ſuorũ merita & iuſtitiam, viuentibꝰ donat ſuam bonitatem: ob id & ſancti viri Deum ſic inuocârunt, vt propter Sanctos ſuos illorum miſereatur: non inuocant vel adorãt Sanctos, ſed Deum adorãt, & ab eo petunt, vt propter illos noſtrî miſereatur. Prætereà veteris ac noui Teſtamenti Patres, immò Catholica fides tenet, quòd Sancti nobis ſuffragantur meritis ſuis & precibus, & hoc liquet ex Scripturis. Geneſ. 26. dicitur ad Iſaac, Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, daboq; poſteris tuis vniuerſas regiones has, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obediêrit Abraham voci meæ, & cuſtodiêrit præcepta mandati mei, & cæremonias atque leges meas ſeruârit: & ſequitur, Noli metuere, quia tecum ſum, benedicamq; tibi propter Abraham ſeruum meum. Ex quo manifeſtum fit, quòd propter merita Parentum & Sanctorum Deus beneſaciat filijs & poſteris, atque ſic Sanctorum merita & iuſtitia nobis ſuffragãtur. Deindè quoquè precibus: Nam Propheta Hieremias, intelligens quòd Dominus volebat corrigere peccata Hieroſolymorum, cœpit

orare

orare Deum nè id faceret, aitq; illi Dominus Hier. 15. Si stetérint Moses & Samuel coram me, nō est anima mea ad populum istum, sed corrigam eos quatuor plagis, & dissipabo &c. propter Manassen filiū Ezechiæ, 4. Reg. 21. Ex quo liquet, quòd Deus etiam sæpè punit posteros propter Patrum peccata iam mortuorum, sicut propter bonos etiam benefacit posteris, vt dictum est: at ex hoc ꝑsupponitur, aliquandò Mosen & Samuelem pro populo orare, quem Mosen & Christus dicit Iudæos apud Patrem in cælis accusare, Iohan. 5. Sic Hieremias Propheta Dei, postquàm mortuus fuit, cernitur orare ꝓ populo, id quod etiam sæpè in vita fecerat. Ex his liquet, quatenùs merita Patrū veteris Testamenti atq; preces suffragârint posteris viuentibus. Porrò apud nouum Testamentum videmus rationes & causas, cur permoti Patres sancti, credunt intercessionem Sanctorum: Christus secundùm assumptam naturam, qui est caput nostrum, intercedit pro nobis, Hebr. 9. Et 1. Iohan. 2. Si ergò caput, quomodò non membra eius Sancti electi intercedant in cælis, qui hoc tam fideliter fecerunt, in terris adhuc versantes? quoniam omnes sumus inuicèm membra in mystico corpore. Si ergò sanguinis naturalis conditio effecit, vt diues epulo oraret pro fratribus etiam in pœnis constitutus, Luc. 16. quanto magìs charitas spiritualis sanctorum Dei, iam in gaudio & requie constitutorū, pro nobis orabit, cùm & charitas illa nunquàm excidat? Prætereà si Deus tantùm propter fidem & iustitiā patrum veteris Testamenti, Abrahæ, Isaac, Iacob, Mosis, Dauidis, Samuelis, & aliorum, quorum tamen nullus sanguinem fudisse legitur pro fide, tantùm dedit propter illos posteris, quanto magìs propter sanctos noui Testamenti, qui cum fide etiam fuderunt sanguinem, & martyrizati sunt propter Christum, nobis dabit propter illorum suffragia, quæ petimus? Et hæc ratio mouit beatum Augustinum, quatenùs se commiserit suffragio sanctorum martyrum Laurentij & Stephani, & propter benedictionem virginis quam accepit &c. Hæc eadem ratio mouit B. Ambrosium, Bedam, Gregorium, Hieronymum & alios &c. At inquiunt: Vnicus est mediator Christus, 1. Timoth. 2. Respondeo, Cur ergò permittit angelos stare ante faciem Patris, & orare pro commissis, Matth. 18. & commissis ac dedit eos administratorios spiritus, Hebr. 1? Si ergò hoc

Luc. 1.

non impedit mediatorem Christum, certè nec Sanctorū impedient: & quia Christus iustos assimulat angelis Dei Matth. 22. ergò & hoc ipsum in cælis faciunt quod illi. Sanctos autem scire nostras petitiones, & orare pro illis, Christus indicat Iohan. 5. vbi Iudæi posuerunt spem in Mosen, quòd iam apud Deum in cælis eorum esset aduocatus, exorator & promotor, & hanc spem Christus non reijcit vt erroneam, sed tacitè consentit, quòd hoc fieret, si modò in se crederent: sed quoniam non credebant in illum, quem tamen illis Moses futurum prædixerat, ideò Moses iam est apud Deum accusator, & non exorator: ideò inquit Christus, Nolite putare quòd ego sim vos accusaturus apud Patrem. Est, scilicet iam, qui accusat vos Moses, in quo vos speratis, tanquàm mediatorem & patronum: nam si crederetis illi, forsan & mihi crederetis: ille enim de me prophetizauit &c. Sed si Moses accusat incredulos Iudæos, ergò nouit hic in terris eos qui creduli sunt, & qui increduli: ob id sicut pro infidelitate aliquorum est accusator, sic pro fidelibus & conuersis ad fidem Christi exorat. Si ergò hoc Moses nouit & facit, cur etiam nō alij sancti martyres & Apostoli, qui miraculis claruerūt, hoc possent, nempè vt sciant petitiones nostras & vota? quarè testimonio Christi approbatur, quòd Sanctorum in cælo animæ sciant nostras conditiones, & vel accusant vel orant pro nobis: accusant obstinatos, & orant pro pœnitentibus. Prætereà experientia docet, quòd cōtemptores suffragiorum, semper de vno crimine in aliud grandius prolapsi sunt, nempe in negationem Sacramentorum, in mentis ac conscientiæ inquietudinem, ac in omnem errorem qui seminatur: nam membrum corporis accensum igne, cum cæteris non compatitur sese, sed separatur à corpore tandèm & cæteris membris. Sed quandiù sanum est, participat influentiam capitis: ità communionem Sanctorum credimus, id est, omnium orationum aut precum nō solum viuētium Sanctorum, sed & defunctorum speramus cōmunionem esse suffragiorum. Qui ergò contēnunt Sanctos, nonnè semetipsos segregant, vt Iudas in Canon. sua dicit? Credit ergò communis Christianitas Sanctorum suffragia nobis subuenire, idque credidit ante annos plùs mille, vt legimus de S. Cypriano & Cornelio, quomodò se post mortem ad mutua suffragia vouerūt, lib. Epist. 1. Epist. 1.

Præ-

Præterea Actor. 19. legitur, quòd sudaria Pauli imposita super infirmos, pellebãt infirmitatem & malignos spirit⁹, similiter & vmbra S. Petri Acto. 5. Si tanta fecit Deus per hæc externa vestimenta, ad confirmationem & fidẽ Pauli manifestandam, quã prædicauit: quid vetat, quo minùs hodiè veneremur sanctissimorum Apostolorum & martyrũ reliquias & ossa, cùm etiam historica veritas doceat, quãta miracula per ea sæpè sint facta? religiosi igit affectûs est, credere Sanctos, quos Deus corpore grauatos in hoc mũdo tanti fecit, vt ad illorũ preces dęmonia expulerit, infirmos sanârit, mortuos exuscitârit: nunc quoque in cęlo nõnihil apud deũ posse: at quibus in uersa sedet opinio, pura mẽte inuocẽt Patrem & Filiũ & Spiritũ sanctum, nec cõturbent eos, qui sine superstitione venerẫtur sanctos. Inuocam⁹ sanctos & sanctas, velutì confratres & consorores fidei nostræ; nõ pari inuocatiõe, qua Christũ nũc tanq̃ Deum ac oñm & Saluatorẽ interpellamus. Et quoniam charitas sanctorum erga nos nunq̃ excidet, 1. Cor. 13. ideò cõmittimus nos eorũ precibus erga Deũ, nõ dubitantes de exauditione. Hoc quidẽ adoramus, quod pro Deo habemus: sed nullũ sanctũ nec sanctã virginẽ pro Deo habemus, ideò nullũ eorum adoramus, sed per preces eos affamur: sic homo hominem interpellat, vt pro eo alium oret, &c.

DE PIETATE CATHOLICORVM ET IMPIETATE Sectariorũ erga defunctos. Cap. 28.

Catholica pietas nè memória defunctorũ fidelium planè intercidat, ipsos triplici modo honorare cõsueuit: Primò, honorifica sepultura: Deindè, deuota patrocinatione suffragiorum: Postremò, diligenti executione testamẽtorum: quorum duo posteriora planè reijcit Sectariorum impietas, idq; ex auaritia & inuidia contra Clerum, nè is aliquem fructum indè capiat. Sepulturę igit honorificę pietas commendatur nobis in Scripturis veluti res egregia, qua Deus honorat sibi deuotos & in fide constantes: Deinde sepulturam absq; honore, velutì plagam pro peccato diuinitùs immissam. Sic Iacob vir pius honoratur honorifica sepultura à filio suo Ioseph, Gene. 50. Et Dauid benedicit qui Ionathæ & Saulì sepulturę misericordiam præstiterunt, 2. Reg. 2. Et Christus excusat Magdalenam de illa preciosi vnguenti effusione in ipsius sepulturam, Matth. 26. Et Tobias commendatur de misericordia sepulturæ, Tob. 1. Deindè sepulturæ miseria, est plãga pro peccatis perpetrati., sicutì patet 3. Reg. 9. de Iezabel, quam pro sepultura dilacerârunt canes. Et Hier. 14. minatur falsis Prophetis, quòd proijciendi sint in triuijs Herusalem, & non fore qui eos sepeliat. Et Hiere. 22. Sepultura asini, inquit, sepelietur Rex. Quia ergò Sectarij non curant honorificam sepulturam, hoc est signum, quòd digni non sint propter perfidiam sectę suæ. Præterea sepultis Catholica pietas succurrit orationũ suffragijs, eò quòd dicit Scriptura 2. Machab. 12. Sancta & salubris est cogitatio ꝓ defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Hoc dixit & fecit bellicosus princeps Machabæus Iudas, qui & misit 12. millia drachmarum in ciuitatem Hierusalem pro sacrificio offerendo pro defunctis. Et diuus martyr Cyprian⁹ ante annos plùs mille & ducentos, diem defunctorũ per Tertullium fecit sibi conscribi & nomina recenseri, vt celebrentur, inquit, hìc à nobis oblationes & sacrificia pro illis. Hoc idem Augustinus lib. 9. Confessiõum recenset, optâsse matrem suam, vt illius iam defunctæ memoriam faceret circa altare Domini. Si sanctus martyr Cyprianus hoc fecit, vt scribit lib. 3. Epist. Epist. 6. Et ipse diuus Augustinus, non est vt præferamus horum authoritati Sectarios, hæc omnia per sũmam impietatem denegantes & irridentes. Postremò Catholica pietas exequitur testamentum & vltimam voluntatem defunctorum pro animarum illorum salute: nam & testamentũ obligare vt seruetur, ipse Apostolus testat Galat. 3. Hominis confirmatum testamentum, scilicet morte, nemo reijcit, aut aliquid addit: si nemo rationis compos, etiam inter gentes & Iudæos, reijcit testamẽtum, sed exequit: multo ãpliùs Christiano in re salutis proximi sui defuncti non licebit testamẽtum illius infringere, sed exequi aut seruare illud obligatur. Qui ergò bona defuncti retinet testata contra vltimam voluntatem, perindè est, ac si furtũ teneret: nam vt fur cõtra voluntatem possessoris furatur bona aliena, sic ille contra voluntatem vltimam testatoris retinet testamentum. Vt ergò nemo saluatur, nisi qui furtum restituit: sic neq; qui testamentũ congregat, & indè diues efficitur, non saluatur. Est enim contra Dei pręceptum, Non furtum facies,

Exod. 23. Qui autem non credit, verum esse suffragium pro mortuis, & propterea retinet testata, hic Hæretic⁹ & fur est: nam non credit prodesse suffragium pro mortuis, quod ab initio credidit Ecclesia, & Apostoli orârunt ꝓ mortuis. 1. Iohã. 5. Est peccatũ ad mortẽ, non dico vt quis oret ꝓ illo: & Christus in cruce orauit ꝓ viuis & defunctis, Esa. 53. Orauit pro trãsgressoribus, quales nõ solùm viui erant, sed & defuncti fuerãt in veteri testamẽto &c. pro qbus nisi orâsset, null⁹ fuisset saluatus. Sic ex charitate iam orat Ecclesia ꝓ mortuis, q̃ charitas nunq̃ excidet, 1. Cor. 13. Sic quoquè Doctores sancti, Augustin⁹, Ambrosius & cæteri senserũt esse Purgatoriũ atq; suffragiũ animarum. Qui ergò recedit ab hac Ecclesiæ fide, & ex auaritia retinet testamẽta & beneficia ac fundatiões, is hæreticus est atq; fur & in via æternæ damnationis, nisi resipiscat & restituat: sic hæc tria semper docuit, tenuit, ac credidit Ecclesia, & Catholicam sepulturam semper probauit. Sectaria autem sepultura alia non est, quàm vt Propheta Hieremias cap. 22. eam appellat, scilicet asininam: nam quẽadmodùm in sepultura asini tria sunt, sic etiã in sepultura Sectaria, asinus cùm mortu⁹ est, sinè pulsu, solẽnitatibus atq; hoĩm præsentia occultè trahitur extra ciuitatẽ. Deindè pellis eius solùm quæritur & vẽditur: Postremò, excoriatus in campum proijcitur, vbi à canibus & coruis in pastu deuoratur: ità Sectaria sepultura fieri solet. Primùm enim, nisi diues fuerit, sepelitur sinè solennitatibus: ad locum non consecratum sicut asinus sinè compassione aut luctu suorum in funere sequentium defertur, nec sepulcrum crucis signo vel absinthio signant, vt Catholici: & hoc in argumentum perfidiæ, quòd ab Ecclesia crucifixi semetipsos segregant: quæ omnia indicant, quàm exiguã habeãt fidẽ de resurrectione futura. Nã quòd nos cũ honore publico & cõgregatione hoĩm nostros defunctos sepelim⁹, per hoc testamur liberè nostrã fidẽ futuræ resurrectionis, & laudamus Deum, qui sua gratia dedit huic mortuo fratri nostro fidei cõstantiam, in qua expirauit: ideò signũ crucifixi & lumina ꝓferri solẽt in funere, eò quòd in Christũ credidit, & hũc qui est lux mũdi, imitatus est, nõ fidẽ Iudaicã aut gentilitiã, sed Christianam. Deindè, vt nihil nisi pellis asini optatur & quæritur, sic Sectarij solùm curant bona tẽporalia, nihil vel de corpore, vel anima aut fama curãtes: sed habita pelle substantiæ, cætera cum silentio agũtur. Et hinc est quòd apud ipsos ità testamenta colligantur & euacuantur, vt ditentur ipsi: tametsi plerique alij sunt, qui nolunt esse ac dici Sectarij, attamen sunt cupidissimi violandorũ testamentorum, ac retinendis in proprium vsum beneficijs deditissimi. Sed quid hi omnes aliud faciunt, nisi quòd Ecclesiam spoliant & priuant ijs bonis, quę defuncti legârũt in vltima voluntate? Habet autẽ Ecclesia multos spoliatores: Primò, qui rapiunt aurum, argentum & clenodia, sicut fecit Antiochus 1. Machab. 1. &c. Et Nabuchodonosor Daniel. 1. Deindè aliqui spoliant fundata beneficia, & ad prophanos vsus transferunt, dantq; causam, vt cultus in cuius vsum illa beneficia erant fundata, negligatur & impediatur, & suffragia pro fundatorib⁹ per summam ingratitudinẽ obliuioni dentur: & hi peiores sunt prioribus, quia dãnum priorum potest recompensari cum tempore: sed spolium beneficiorum & neglectus cultûs diuini ac suffragiorum, nunq̃ vel rarò restituitur. Tertiò sunt spoliatores orationum Ecclesiæ pro mortuis, scilicet Hæretici improbantes & spoliantes Ecclesiam in suis cæremonijs, sacramentis, orationib⁹ & suffragijs, & isti pessimi sunt, & verè dicunt Hæretici sacrilegi, & quoniã nunq̃ prosperati sunt tales spoliatores Ecclesiarũ, ob id & illos manet pœna æterna. Postremò nulla fit memoria asini defuncti, sed semel extrahitur occultè nullis videntibus hominibus, nec de eo verbũ ampliùs fit: sic Sectarij nõ meminerũt laborũ aut beneficiorũ vel parentũ vel amicorũ, quos sepeliunt, in se collatorum, nec recordantur ipsorũ ampliùs, nec afficiuntur erga ipsos, sed obliuiscunt tanquàm nunquàm in viuis fuissent &c. Catholica verò pietas defunctos suos minimè ità negligit, sed memoriã ipsorũ suspensiõe clypeorũ, marmorũ, monumentorũ & recentiõe annua nominũ ac familiarũ, ad posteros trãsmittit: pro illis orat, nequaq̃ dubitãs ipsos per preces cõmunes fideliũ, à pœnis liberandos. D. Hieronym⁹ memorat in lib. 1. cõtra Iouinianũ, mulierẽ gentilẽ fuisse Arthemisiam nomine, quę tanto dilectionis cõiugalis affectu prosequebat maritũ suũ defunctũ, vt sepulcrũ illi miræ altitudinis extrueret, Mausoleum vocant, & circa id cantores musicos constituit, qui perpetuò mirificis canticis honorarent defunctum, vt sic indiès viri sui apud homines recèns oriretur & memoria & mentio.

Sed

Sed nè gentiles tantùm hæc fecisse putemus, vt sic pietaté erga defunctos suos exercerent, vidimus etiam apud Christianos & quidem in hominũ memoria quædam in templis sacella fuisse, in quib⁹ Christianorum Ducũ ac Heroũ sepulcra & clypei fuerunt, & circa ea perpetuis diebus ac noctibus fuisse decantatũ in laudé Dei & suffragia ꝓ defunctis. Sed illa pia & Catholica cõsuetudo, à Sectarijs ꝓphanata & extincta est. Porrò Augustinus lib. de cura ꝓ mortuis agéda cap. 3. inqt: Si paterna vestis, si annuli, si domus & alia delectãt post morté, vt excitent memoriam parentum: quanto magìs monere te debet salus animarum, vt pro illarũ salute suffragia non intermittãtur? Pij enĩ affectûs est, credere preces & bona opera viuétium ꝓdesse defunctis, præsertim si hęc illa, dum viuerent ipsi, facienda curârunt, &c.

QVID CATHOLICI CREdant de Sanctorum memoria, suffragijs & innocatione.

Cap. 29.

SCiendum est aũt primò fundamentum, cur habeamus aut celebremus memoriã Sanctorum, festa Martyrum, confessorum &c. in Ecclesia, cùm tamé iam sint in alia vita: Deindè notandũ híc est, cur illorũ petamus suffragia & intercessiones apud Deũ, & ipsi hoc etiam sciunt, & libenter faciunt, & lætanẽ super salute nostra, sicut Angeli sciunt & lætanẽ, si aliquis peccatorũ conuersus fuerit, & pœnitentiã egerit, vt Christus dixit Lucę 15. Est aũt hoc fundamentũ, quia om̃es Christiani, qui fidem Christi habuerũt in præterito, habent in præsenti: & qui in hac fide mortui sunt, & iam in alia vita sunt, illi omnes sunt vnum corpus Christi mysticum, & membra de membro, sicut dicit 1. Corinth. 12. Apostolus: Vos aũt estis corpus Christi, & membra de membro. Istius corporis aũt caput est Christus, Ephes. 1. ipsum dedit caput super omnem Ecclesiã, quæ est corpus ipsius & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet Coloss. 1. Ipse est caput corporis, id est, Ecclesię. Est igitur Christus caput, & nos corpus eius mysticum, id est, tota Ecclesia fidelium, qui fuerunt aliquãdò in vita, & hodiè adhuc viuunt & fidem habent Christi, quiq; futuri posthàc sunt credentes, omnes illi vnum corpus mysticum faciunt. Atq; sic Christus pręter naturale suũ corpus, quod excitauit à mortuis, & cum quo in cælum ascendit, habet adhuc aliud corpus in terris, id est, mysticum, hoc est, totam congregationem fidelium: Deindè Christus magìs respexit & laborauit pro mystico illo, quàm naturali corpore: & ideò naturale corpus obtulit Deo Patri in grauissimas pœnas & mortem, vt corpus suũ mysticum liberaret à peccatis & saluaret, & Deus Pater sic etiam dilexit hoc corpus Filij sui mysticum, vt daret Filium suũ vnigenitum &c. Iohan. 3. & tradidit in morté Roma. 8. pro nobis omnibus fidelibus, id est, tota Ecclesia. Prętereà Christus passus est pro tota Ecclesia & toto corpore suo mystico, tam pro illis qui ante passionem eius crediderunt, fuit effusa hostia in cruce, quàm pro tunc viuentibus & credentibus, etiam pro omnibus futuris Christianis siue fidelibus. Om̃ibus ergò, id est, toti Ecclesiæ & corpori mystico est efficax passio Christi: passus est enim pro om̃ibus qui olim, nunc, & posthàc credunt in nomine eius. Om̃es de plenitudine ipsius acceperunt & saturantur: Beati qui iam spiritu illi sunt coniuncti in patria, sentiunt & habent virtutem & potentiam ac efficaciam illius promeritę salutis in terris: propter eandem passioné & hostiam petimus nostri misereri, cõdonari peccata & vitam æternam, vt ad sanctos iam beatos nostra cõmembra venire valeamus: petim⁹ quoquè eandé ipsam promeritã salutem & gratiam nostris infirmis cõmembris, quæ in alia sunt vita nondùm beata, sed in pœnis Purgatorijs, vt quoquè illis efficax sit. Est igitur vnum corpus Christi mysticũ, vna redemptio æqualis totius corporis mystici, sicuti vna fides, vna spes, vna vocatio, vnus Christus, vnus Deus, Ephe. 4. Vnum igitur sacrificium & opus propitiatorium fit pro nobis & peccatis totius mundi. Oẽs igitur præteriti, præsentes & futuri Christiani, commembra istius corporis, respiciunt ad caput, id est, Christum, & eius redemptione fruuntur & participant, & extra hanc vnionem, id est, qui non est membrum corporis huius mystici, non saluatur quisquã. Et quoniam gentes, Iudæi & Hæretici sunt extra Ecclesiam Christi, id est, nõ sunt mébra mystici corporis Christi, ideò nõ saluantur. Deindè certum est, quòd huiusmodi corpus mysticum Christi non diuiditur per mortem naturalem: ideò sancti qui obdormierũt morte naturali, licèt sint apud Deum, vel in Purga-

torio, tamen adhuc sunt & manent membra nobiscum, & efficiunt vnum corpus mysticum: nam spiritus & anima, quæ est nobilissima pars nostri, immortalis est, & corpus quiescit in terra vsque ad diem resurrectionis: ideò charitas & dilectio sanctorum erga cómembra sua, nunquàm excidet, 1. Corinth. 13. & durabit hoc Christi corpus æternaliter, & cum capite in cælis viuent omnia membra, id est, totus Christus erit in cælo: nempe ipse vt caput, & nos vt commembra eius: & hęc est consolatio nostra. Et quia Sancti sunt nostra commembra, ideò eorum nomina, memoriam & Festa celebramus, laudantes Deum, qui sic coronauit nostra commembra gloria & salute, iuxta illud Prophetæ Psal. 111. In memoria æterna erit iustus: & gratias DEO agimus, quòd dederit illis constantiam & victoriam aduersùs sathanam & mundum: ipsos quoquè vt fideles Domini seruos, qui dispensârût triticum Domini fideliter, & talentis sibi concessis alia multa lucrati sunt, pro tanto eos honoramus, & Deum in ipsis, & ipsos in Deo laudamus: non adoramus, nec pro nostris saluatoribus constituimus, sed vt seruos & amicos Dei honoramus. Deindè quandò & nos adhuc in terris sumus illorum commembra, & quoquè ad mysticum corpus pertinemus, & quoniam sumus fragilia membra, precamur illos, vt quoquè nos iuuent suis intercessionibus & orationibus, & suas preces nostris coniungant, vt & nos de promerita salute per Christum participes efficiamur, sicut ipsi participârunt: & credimus certò quòd hoc faciunt. Nam iubet Christus Iohan. 16. Petite, vt gaudium vestrum plenum sit. Sed cùm naturaliter & ex Dei dilectione nobis cupiunt salutem tanquàm suis commembris, igitur vt gaudium illorû plenum sit, orant & intercedunt, vt & nos participes efficiamur acquisitæ per Christum salutis: alioqui gaudium illorum non esset plenum: Hic nihil derogatur honori Christi: non petimus vt illorû sanctitas nos saluet, aut ipsi donent nobis remissiôem & salutem. Nam hoc non habent nec possunt, sed solùm vt nobiscum orent, vt participes fiamus gratiæ & promeritæ semel salutis ac passionis. Et quis prohibebit sanctos, quò minùs ex charitate sic orent pro commembris suis, qui sunt in locis pœnalibus, vt liberentur indè, & participes fiant promeritæ salutis & redemptionis, quemadmodum & nos hîc in terris eadem charitate iuuamus precibus & suffragijs nostris defunctos fideles, & in Purgatorio existentes: non enim nostra suffragia eos liberât, sed sunt petitiones & intercessiones, vt promerita redemptio Christi illis subueniat. Quoniam ergò hoc corpus Christi non potest dissolui & distrahi, & omnia membra beneficio capitis fruûtur, vnumquodq; suo modo, cur nos quoquè membra non vtemur capitis nostri beneficio, siue viuamus, siue moriamur? an verò caput plùs diligit vnum membrum, quàm aliud? Num Christus alijs membris vult communicare redemptionem suam, alijs verò non? nunquid sic inuidus est? quid ergò obstat, quo minùs gloriosiora membra, id est, Sancti pro nobis orent, vt & in nobis sit efficax CHRISTI passio: & nos orantes pro mortuis in Purgatorio, vt eisdem quoquè distribuatur & efficax sit? nonnè hoc postulat communis dilectio membri erga membrum? Contemptores igitur suffragiorum quid aliud faciunt, nisi quòd dilacerant, soluunt, & diuellunt corpus Christi mysticum? sed hoc corpus est spirituale & æternum &c. Est igitur vna cómunis promerita salus, quam quisque pro se petere debet, vt particeps eius fiat, & etiam pro alijs commembris viuis & defunctis, vt illis communicetur: satis abundans est gratia, & diues redemptio omnibus satisfacere potest. Igitur quisque pro se & pro omnibus commembris viuis & defunctis orare debet, vt omnes participes efficiantur. Sic B. Virgo, Apostoli 12. omnesque sancti Dei orant pro nobis commembris suis, & pro distribuenda nobis salute promerita Christi: Sic & nos oramus pro defunctis & in pœnali loco constitutis. Ex hoc fundamento SS. Patres docuerunt & crediderunt, suffragia Sanctorum nobis esse adminiculo & salutaria, vt participemus promeritam salutem & redemptionem, & eodem fundamento stabiliêrunt, suffragia quoquè pro mortuis esse efficacia. Ità ante mille & ducentos annos præcipua Ecclesiæ lumina petiêrunt intercessiôes sanctorum. Sic Basilius quadraginta Martyres appellat communes humani generis custodes, curarum socios, & legatos orationum nostrarum, adiutores precum &cæt. Et Gregorius Nazanzenus inuocat D E V M, & propter preces Basilij valetudinis auxilium flagitat. Sic Cyprianus & Cornelius alter alterius cupit suffragia, vter prior hinc migrauerit, Epist. lib. 1. Epist. 1.

Augu-

Augustinus quoquè Sermone de S. Stephano dicit, beatum Paulum orationibus Stephani ad conuersioné adductum. Ambrosius in obitu fratris sui Satyri, tuis, inquit, votis apud B. Laurentium impetratis, nunc cognoscimus cómeatum, & vtinàm non solùm cómeatum, sed etiam prolixum vitę tempus postulâsses &c. Similia testimonia & apud alios SS. Patres reperiuntur. Quoniam ergò sumus ciues sanctorum & domestici Dei, Ephes. 2. & adhuc corpus mysticum Christi sumus: & magis calore fidei & charitatis conglutinati atq; vniti, quàm in naturali corpore fieri solet, quæ quidem congaudent de sanitate vnius membri, & dolent similiter de infirmitate, & mutua sibi seruitia impendunt, sicut 1. Corint. 12. Apostolus dicit, ideò veneramur & honoramus illa nostra vnita membra, id est, sanctos, & illorũ petimus suffragia. Augustinus lib. 22. de Ciuitat. cap. 10. Nos, inquit, martyribus nostris nó templa sicut dijs fabricamus, sed memorias, sicut hominib⁹ vita defunctis, quorum spiritus apud Deum viuunt: nec in Ecclesijs erigimus altaria, in quib⁹ sacrificemus ipsis: non offerimus sanguiné illorum aut corpora Deo, sed vni Deo Patri sanguiné & corpus Filij sui Christi, ad cuius sacrificium, quod Deo fit, memorias solùm habemus sanctorum Dei, tanquàm eorum, qui mundum in confessione eius & virtute sacrificij, quod Christus in cruce obtulit, vicerunt. Vt ergò nó adoro hominem sacerdotem, nec dico quòd ipse mihi donet hoc quod peto, sed solùm vt pro me intercedat ad Deum, quem ego in corde adoro, & ab ipso tāquàm datore peto meam necessitatem: sic petim⁹ & inuocamus eos tanquàm consocios precum nostrarũ, sicut Basilius dicit, nó petimus vt ipsi nos saluent, peccata dimittant, & vitam dent, sed vt nobiscum orent, vt cómunicemus promeritam salutem per Christum, vt Deus nobis bona conferat, & nos velit quoquè saluare propter Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum. Tales enī sunt intercessores B. Virgo & omnes Sancti, qui solùm verbis pro nobis orant, & à Deo nobis impetrant, vt per eos cósequamur, quod petimus: non auté habent hæc à semetipsis: at ipse Christus est verus aduocatus & intercessor, qui nó indiget verbis, sed cum merito suo coram Deo patre, cum sanguine & mortis ostensióe agit causam nostrã miserorum peccatorum: nam sua merita promeruerunt & acquisierunt nobis redemptionem, & digna sunt apud Patrem, vt propter Christum nos exaudiamur, & propter ipsum nobis peccata dimittantur. Nam ipsius intercessio fit cum misericordia, cum auxilio & largitione eorum quæ petimus, & non cum precibus: & ideò Ecclesia nó dicit, Christe ora pro nobis, sicut ad alios sanctos: sed dicit ad Christum tanquàm ad Deum, Christe miserere, auxiliare, largire nobis &c. Plurimùm ergò differt intercessio sanctorum, & merita Christi. Sunt autem merita Christi, quòd dedit semetipsũ pro nobis in mortem, effudit sanguinem, & hoc omniũ hominum peccata diluit & in se transtulit: in hæc Christi merita fiduciam nostram ponimus, non in merita sanctorum. Scimus enim hæc illius merita tam efficacia esse apud Patrem, quòd propter illa Deus vult remittere peccata & dare salutem, & audemus fiducialiter super Christi merita coram Patre orare, quicquid salutis nostræ ratio postulauerit tam temporaliter quàm æternaliter. Vndè ipse ait, quicquid rogaueritis Patrem in nomine meo, dabit vobis &c. Iohā. 16. Et quanquàm nullus sanctorum sibijpsi ab initio mundi potuit mereri salutem & remissionem, quam quidé om̃es oportet accipere de plenitudine Christi, Iohan. 1. remissionem peccatorum, cùm & Petrus dicat Actor. 15. Gratia Christi, id est, merito Christi credimus nos saluari. Quid enim est gratia, nisi meritum & passio Christi? Vndè saluari ex gratia nil aliud est, quàm ex sanguine & merito Christi saluari, qua de causa om̃es saluātur merito & gratia Christi, id est, immerita eius misericordia: tamen verò aliqui sancti homines fuerunt, qui diligentiùs Dei voluntatem & mandata custodiêrunt, & secundùm vias Domini vixerunt: quapropter eorum obedientiam Deus sic acceptauit, vt non solùm ipsis distribuerit promeritam à se salutem, sed etiam propter suum erga ipsos fauorem, quia amici Dei facti sunt, cæteris pro quibus ipsi interpellant, sæpè parcit, & participes facit promeritæ à se salutis æternæ: & ꝓpter hunc cælestem fauorem, quem Christus ad sanctos habet, petimus vt illorum preces & suffragia nostris precibus iungantur, quò nos quoquè recipiat ad communionem meriti sui. Sic Deus multiplicat semé Isaac propter obedientiã patris Abrahæ, sicut stellas cęli &c. Genes. 26. Sic dicit Deus Ezechiæ Regi: Protegam vrbem istam ꝓpter me, & propter Dauid seruum meum, 4. Reg. 20. Et

 cùm

cùm Deus vellet ſcindere regnum propter peccatum idololatriæ, 3. Reg. 11. dixit: Dabo illud ſeruo tuo, veruntamen non in diebus tuis propter Dauid ſeruum meum, &cæt. Sic eadem miſericordia Dei adhuc durat, quòd propter ſanctos & pios homines parcit toti ciuitati in hac vita, ſicut volebat parcere ciuitatibus Sodomæ & Gomorræ propter decem pios & probos homines, ſi in ijs inuenti fuiſſent. Sic hodiè circa ſepulturam Martyrum contingunt miracula, vt cognoſcamus eos adhuc viuere ſpiritu, & nondùm planè mortuos, & quatenùs adhuc durat fauor Dei erga illos. Sic ſcribit B. Ambroſius de S. Agnete, quòd dixerit, Videte nè me quaſi mortuam lugeatis &c. Orant igitur Sancti pro nobis tanquàm cõmembra ſua vnici corporis Chriſti myſtici, etiamſi nos eos non rogaremus, ſicut rogamus pro fidelibus, qui ſunt ſub Turca & apud Indos, qui tamen nõ poſſunt nobis loqui: attamen quo propiùs iungamus ſpiritum noſtrum illorum ſpiritui, fit vt multi ſimul petamus & rogemus, angeli & ſancti in cælis, & nos hîc paſsìm in terris: ideò nos rogamus Angelos & ſanctos Dei, vt pro nobis intercedant, vt participes efficiamur promeritæ ſalutis & promiſsionis Chriſti. Hæc eſt fides ſimpliciſsima Eccleſię: non ità inuocamus ſanctos, vt Deum & Chriſtum, ſed alia forma, intentione & modo. Fiunt autem Orationes ſanctorum ſolùm deſiderio & mente: nõ orant ore aut loquela ſicut nos, quia ſpiritus ſunt, & linguam non habent: deſiderant igitur ſpiritu, & cupiunt benè nobis eſſe, ſicut parentes cupiunt, vt filijs ſuis & amicis benè ſit: quod ſi impetrauerint, tunc gaudium ipſorum perfectum ſiue plenum eſt, Iohan. 16. Chriſtus orat iure ſanguinis ſui effuſi, merito, & iuſtitia ſua, & vt Deus, dat ac largitur ipſemet illud, quod iuxta humanitatẽ orat pro nobis. Plurimùm igitur differunt Orationes ſanctorum hominum pro nobis, & Chriſti in cælo.

QVOMODO CATHOLICI DE DEFVNCTORVM SVFfragijs ſentiant. Cap. 30.

AD primum notãdum eſt, quòd Chriſtus in cruce pendens, totum corpus ſuum myſticum, id eſt, om̃es fideles, præſentes, præteritos & futuros, amplexus eſt & curę ſuę commendatos habet, & tanquàm membra ſua in miſericordiæ viſceribus incluſit, & omnium ipſorum peccata in ſuo corpore portauit, & ꝓ illis ſatisfecit: Deindè paulò ante diſceſſum ſuum à terris, orauit Patrem pro omnibus illis, quos dedit ei, & tum viuebant: & non pro illis tantùm, ſed etiam pro his qui per verbum Apoſtolorum credituri eſſent: ideò ex hoc conſequitur, quòd Chriſtus pro toto corpore ſuo myſtico egit ac paſſus eſt, & tanquàm mẽbra ſua redemit. Quandò igitur Chriſtus æquè pro mortuis ſanguinẽ ſuum fudit, & eos miſericordiæ ſuæ viſceribus incluſit in opere crucis, ſicut pro viuẽtibus: nam Adam, Seth, Abraham, Noe, Dauid & reliqui omnes erant mortui, cùm Chriſtus mortem ſubiret, & tamen æquè pro illis paſſus eſt & orat, immò orauit etiam pro peccatoribus, Eſai. 53. Sinè omni dubio voluntas Dei eſt, vt mortui æquè debeant participare ſalutem æternam, ſicut nos viuentes: nam mors Chriſti eſt generalis victima, ergò proderit æquè mortuis & viuentibus, nulla quoquè Scriptura excludit mortuos à merito Chriſti, niſi infideles & damnatos. Fides enim æquè incorporat defunctos myſtico corpori Chriſti, qui in ſigno fidei diſceſſerunt ſicut viuentes. Nam ſpiritus Chriſti qui in nobis habitat, Ephe. 4. nonnè etiam inhabitat defunctis fidelibus noſtris cõmembris? nam corporalis mors non excludit Chriſtum & ſpiritum eius, neque extinguit in fidelibus Spiritumſanctum, qui manet perpetuò cum ſpiritu fidelium, Roma. 8. Spiritus illius aſſiſtit ſpiritui noſtro. Et quidem proptereà ſancti Martyres, quatenùs Chriſtus viueret in ipſis, parati erant perdere vitam ſuam, ſicut dixit Paulus, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Phil. 1. Et ipſe Chriſtus dicit Iohan. 11. Qui credit in me, non morietur. Et Roman. 8. Quis ſeparabit nos à charitate Chriſti? an gladius? an fames? &c. Ideò fideles etiam poſt corporalẽ & temporalem mortẽ viuunt in Chriſto, & manent mẽbra ipſius, id eſt, corporis ſui myſtici, ſicut teſtatur ipſe Auguſtinus, quòd animę mortuorum non ſunt ſeparatæ, nec alienatæ ab Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti. Vide lib. 9. de Ciuit. cap. 7. Poſtquàm igitur & ipſi redempti ſint per vnicam illam hoſtiam crucis, ſed fortè adhuc priuati efficacia illius propter peccata ſua, licèt obiêrint, ideò Eccleſia, id eſt, cætera commembra corporis myſtici orant pro huiuſmodi ſuis commembris, adhuc in pœnis

fortè

fortè detentis, & priuatis efficacia ac virtute illius sacrificij crucis Christi, vt redeat illa efficacia ipsis, & liberentur à pœnis, & quatenùs participent virtutē illius sacrificij, & simul cum alijs consequantur promeritam per Christum salutem æternam. an id videtur Sectarijs absurdum? an inconueniens? an non membrū sanum condolet membro infirmo, vt 1. Corinth. 12? quis prohibeat, nè alter pro altero oret, vt omnes participent de hoc salutari sacrificio Christi? Charitas quoquè illorum, qui nobis sunt per fidem aduniti, & nos ipsis coniuncti, cùm nunquàm excidat, nō permittit vt eos excludamus à communi corpore mystico & à generali sacrificio illo crucis Christi. Exigit igitur hæc charitas, quòd quandò nos specialiter in Missa offerimus Deo corpus & sanguinem Christi, & per ipsius merita, sanguinem & gratiam oramus pro omnibus desiderijs totius corporis mystici, nequaquàm excludam' vel obliuiscamur defunctorum nostrorū parentum, fratrum & cōmembrorum. Et quanquàm vellemus ipsi negligere, obliuisci & excludere quenquam illorum à sacrificio illo crucis, cuius memoriā repræsentamus in Missa, sub speciebus panis & vini corpus & sanguinem Christi Deo offerentes, & orantes pro communi participatione promeritæ salutis, tamen ipsa ratio ac forma huius sacrificij non patitur, vt quēquam illorum ab illo excludamus, qui adhuc est membrum Christi, & in fide nobiscum adunitus. Ideò sicut Christus pro omnibus fidelibus defunctis & viuentibus corpus & sanguinem suum in ara crucis obtulit, ità oportet vt memoriam passionis suæ in cōmune & pro omnibus animabus fidelium valere sinamus, & efficaciam tribuamus, siue illi sint in corpore mortali, siue extra corpus: ex hoc fundamento vnici corporis mystici, quod adhuc cōstat in fidelibus tam viuis quàm defunctis, & quòd victima crucis est facta pro omnibus mortuis, id est, Abel, Abraham, Isaac, &c. tum pro futuris fidelibus, nullo eorum excluso, ideò in Missa, quæ est memoria sacrificij crucis, omnia membra tam viuentia quàm defuncta, in fide commemoramus & petimus, vt omnibus sit efficax promerita illa salus Christi, vt sancti iam in cælo habitantes & gustantes hanc gratiam, etiam pro nobis orent, quatenùs ipsis coniungamur, vtq; cætera nostra commembra adhuc in pœnis detenta, etiā participare valeant de gratia illa Christi & salute æterna, & liberentur à pœnis: ideò oramus pro defunctis, sicut etiā piè credendum est de sanctis, quòd orent pro liberatione eorum, qui etsi in fide Christi, tamen peccatis grauati hinc decesserunt, quatenùs corpus Christi mysticum sit plenum atquè perfectum cum capite suo in cælo. In eum quoquè finem SS. doctores, Dionysius, Tertullianus, Cyprianus, Damascenus, Chrysostomus, Augustinus, Epiphanius, Ambrosius, Bernardus &c. locuti sunt de corpore mystico & suffragijs ꝓ Christianis defunctis. Ideò hæc fiunt à sanctis pro nobis, & à viuentibus nobis ꝓ defunctis, & sic habet etiam communis & generalis victima crucis pro toto corpore mystico æqualiter ac vno modo facta. Ob id rogamus, vt propter Christum eiusque meritum & sanguinem Deus dignetur misereri animabus: nō petimus vt propter nostras orationes, vigilias, Missas, campanas hæc participatio ipsis contingat, sed propter Christum, vtq; sic consequantur promeritam à Christo salutem &c. Et quoniam rogare debemus, vt gaudium nostrum sit plenum, igitur orare debemus pro commembris nostris. Sic parentes orant, vt salui sint & filij ipsorū: si hoc desiderio fraudarentur, non esset plenum illorum gaudium in cælo: Deindè si amicus in pœnis constitutus, amici damnationem deprecatur & auertere desiderat, vt patet in Euangelica parabola de diuite Epulone: quid inconueniens est, si amici orent ac desiderent amicos suos esse saluos, & in cęlesti patria adoptatos? & Scriptura nunquàm prohibet orare pro defunctis: ait enim Ecclesiastici 7. Mortuo nè prohibeas gratiam &c. At inquiūt, sufficit semel & iterùm orare pro defunctis, & cessare. Respond. Præceptum est à Christo, vt sinè intermissiōe oremus, Lucæ 18. & 1. Pet. 4. Instate orationi, id est, non cessantes ab oratione: ideò semper orandum est pro vnaquaque re, quam desideramus nobis à Deo concedi, & bis aut ter non sufficit. Et quanuìs sit sperādum, quòd iamdudùm sint saluati, & liberati à pœnis ij pro quibus oramus, tamen quia præceptum est, quòd semper & assiduò orare debemus, non est peccatum: tum quoquè alijs mēbris corporis mystici proderit assidua illa oratio, quandò etiā semper in omni precatione pro defunctis, in Missa & alijs, etiam fit memoria omnium defunctorum fidelium in genere, vt habent verba Collectæ, Fideliū Deus omnium &c.

lum &c. Ideò non est superflua oratio: & licèt illæ animæ, pro quibus oramus, non indigent, tamen generalis est deprecatio pro toto corpore mystico & priuato mem bro. Semper enim erũt huiusmodi in corpore Christi mystico in hac & post hanc vitam vsque ad iudicium, vbi cessabit fletus & dolor fidelium in hac & post hanc vitam, Apocalyp. 21. Non igitur Missa aut Oratio pro defunctis, est tale opus, quod Sacerdos ad libitum suũ peragere, & cum eo, cuilibet aut cuicunq; vellet, remissionem peccatorum mereri queat, siue is sit viuens, siue mortuus, & quasi ei subueniatur per Missam illam aut Orationem, etiamsi is neque fidem, neque deuotionem, neque bonam intentionem in seipso habeat, &c. sed absit hoc: oportet enim homines tales esse illos, quibus debet communicari fructus sacrificij Christi, vt seipsos cum fidei desiderio & deuotione dignos faciant ad appræhendendam ac consequendam gratiam Dei & eiusmodi sacrificij & meriti Christi participationem. Nam sinè propria fide & deuotione nemo adultorum saluatur. Ideò plerunquè oramus pro illis qui in fide decesserũt, & ipsi quoquè desiderant participari sacrificio crucis Christi: id quod illis ex misericordia concedi, nos ipsi rogamus, sperantes in multitudine miserationum Dei &c. Ideò & propria deuotio & fides exigitur. Est igitur antiquus error ille, de quo dicit Augustinus, ipsum Aerij fuisse, qui cùm non posset consequi Episcopatum, excogitauit contra clerum suffragia pro mortuis esse inutilia, & sæpè renouatus est error iste à nouis Hæreticis ad inuidiã contra clerum. Porrò Augustinus in Iohannem, Tractatu 26. ait inter cætera, Homo es, & spiritum non habes & corpus? Vndè viuit corpus? de spiritu, an spiritus de corpore? quod corpus de spiritu viuit, certum est: nam separato spiritu, corpus mortuum est. Vis ergò & tu viuere de spiritu Christi, esto in corpore Christi: at cùm Christi spiritus non moritur, ergò & corpus eius mysticum non separatur, etiamsi moritur hic homo naturaliter. Ideò dicit Iohan. 6. Qui manducat me, viuet in æternum &c. Idem lib. 20. de Ciuit. cap. 10. Neque piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi: alioquì nec ad Altare Dei fieret eorum memoria in cõmunione corporis Christi, nec aliquid ꝓdesset, ad eius Baptismum in periculis currere &c. nec ad reconciliandum, si quis ab hoc corpore separatus est, rediret per pœnitentiam, id est, si nullum esset corpus Christi mysticum, hæc omnia frustrà & in vanum fierent: cur enim ista fiunt, nisi quia fideles sunt membra istius corporis, cui Christus acquisiuit remissionem in baptismo, & reconciliationem in pœnitentia? Etiam defuncti sunt & dicuntur membra istius, id est, mystici corporis: alioquì memoria & illorum suffragia nihil prodessent. Habet igitur Ecclesia per modum suffragij communionem cum animabus defunctorum, quia sunt membra Ecclesiæ & subiecta capiti, ideò facit orationes pro illis tanquàm commembris: nam nobiscum sunt in corpore mystico Christi. Iterùm Augustinus lib. 10. cap. 7. dicit: Cum ipsis enim sumus vna ciuitas, qui in cælestibus sunt constituti, qui vt nos quoquè immortales beatique simus, misericorditer diligunt &c. Rogant ergò & orant desiderio & mente pro nobis sancti, vt commembra ipsorum sint cum illis, & reintegrant corpus Dominicum: Oramus & nos pro mortuis, qui nobiscum sunt in corpore mystico tanquàm pro commembris nostris, vt commune caput nostrum Christus nostri misereatur propter mortem suam & nomen sanctum suum. Vna verò est Ecclesia Christi, tam ea quæ in terris est & dicitur militans, quàm ea quæ in cælo triumphans. Secundò, vnica est redemptio ex æquo pro toto corpore mystico facta per Christum in morte, id est, pro omnibus qui fuerunt ante nos, & iam nobiscum sunt, & qui futuri. Ipse omniũ peccata portauit, Esai. 53. Igitur totum corpꝰ hoc mysticum, id est, omnes fideles participant & saluautur virtute illius vnicæ ꝓmeritæ salutis per Christum, sed omnes palmites à vite accipiunt fructus suos: at quoniam hæc promerita salus non simul appræhenditur, nam plures de corpore hoc mystico iam defuncti sunt, & licèt obiêrunt, tamen adhuc in pœnis Purgatorij detinentur, omnes tamen ad vnum corpus pertinent, & sub vno capite sunt, quod est Christus, & sub eo saluantur: ideò illi beati, qui iam fruũtur salute, desiderio orant pro nobis semper, vt quoquè participes cum illis fiamus eiusdẽ promeritæ salutis. Sic orant quoquè om̃es angeli, Matth. 18. & stant ante faciem Patris, id est, desiderio & mente: non habent os & linguam. Nam sunt incorporei spiritus, Zachar. 1. & nos quia homines, oramus pro defunctis in Purgatorio, vt Deus digne-

dignetur illos participes facere promeritę salutis per Christum: nam sunt nostra spiritualia commembra: igitur beati orant pro nobis desiderio & mente, sicut & angeli: nos voce & lingua oramus pro illis, qui in locis pœnalibus sunt constituti, vt omnes saluari valeamus & participare promeritam salutem, quia membra sumus, alter ad alterum, & vnum habemus caput CHRISTVM: atque sic orat membrum pro membro, &cæt. Tertiò, hnc corpus mysticū non dissoluitur morte naturali. Nam spiritus non corrumpitur sicut corpus terrenum, nec Spiritussanctus discedit ab illis, quos semel posse-dit per veram fidem. Nam sic promisit Christus Iohannis 14. Rogabo Patrem, vt det vobis spiritum veritatis, & maneat vobiscum in æternum. Et in hunc finem dixit Apostolus 1. Corinth. 13. Charitas, quæ est fructus Spiritussancti, nunquàm excidet: ergò stat adhuc communio illa Sanctorum, sicut in Symbolo confitemur, & ob id etiam participatio promeritæ salutis &c. Tunc enim corpus hoc mysticum Christi erit integrum in membris suis in die nouissimo, intereà prędicabit Euangelium Matthæi 24. Et tunc Christus erit in cælo totus spiritualiter & corporaliter: iam quidem totus in cælo corporaliter est, nam assumpsit secum humanitatem in cælum, & sedet ad dexteram Patris, Marci vltim. Deindè CHRISTVS solo capite est in cælo, quo ad corpus suum mysticum: sed post iudicium tunc plenum erit hoc corpus, & tunc totus Christus erit spiritualiter in cælo, caput cum membris, ideò semper hîc corpus hoc augetur & diminuitur. Sed tunc erit integrum, intereà tamen lege charitatis nos fideles, id est, spiritualia commembra, vnum orat pro altero, vt tandèm possimus omnes in illo mystico corpore CHRISTI reperiri, & fieri participes promeritæ salutis semel per Christum: Hæc est antiquorum Patrum simplex sententia de suffragijs Sanctorum & viuorum pro mortuis: Absurdæ autem sunt quorundam sententiæ, dicentium, quoniam preces Beatorum me saluant, Sanctorum merita, aut martyria, beatę MARIAE virginitas me saluet, protegat &cæt. item MISSAE & Orationes nostrę liberant è pœnis Purgatorij &cæt. Omnes oportet accipere de plenitudine Christi: nullus Sanctorum, nullum martyrium, nulla virginitas, cōfessio, merita, iustitia &cæt. saluauit vel satisfecit Deo pro peccatis: sed vnica passio & promerita salus per Christum, saluat omnes: nostræ igitur Orationes & postulationes ad Sanctos, in eum solum finem fieri debent, quatenùs participes efficiamur promeritæ salutis: non vt ipsi nos saluent sua iustitia, meritis aut martyrio: nec nostræ Orationes sic sunt sua virtute efficaces, vt quenquam liberent è Purgatorio, sed quasi nuncij & petitiones sunt, vt Deus ex sua misericordia propter CHRISTVM dignetur eos efficere participes promeritæ salutis. Præterea corpus hoc Christi mysticum lacerare ac dissipare, peccatum est grauissimum, vt faciunt Hæretici & Sectarij, scindentes tunicam Christi, id est, frangunt vnitatem Ecclesiæ per schismata & sectariam doctrinam: Deindè separant & excludunt defunctos per summam impietatem à corpore mystico, quasi iam non sint ampliùs nostra commembra, nec orant pro infirmiorib' commembris: sic etiam separârunt in Purgatorio existentes à tali corpore mystico CHRISTI, quasi illi non ampliùs nostra commembra sint, nec illis prosint nostra suffragia, quasi mors naturalis dissoluisset hoc mysticum corpus, & quasi Spiritussanctus dereliquisset eos qui hinc in fide discesserunt: an fortè putant quòd etiam Spiritussanctus simul commoriatur hominibus? At nos credimus ipsum perpetuò nobiscum manere, & cum Sanctis vsque in æternum, & quoquè perpetuos fructus exercere apud Sanctos, id est, charitatem, gaudium, pacem, &cęt. & illa eorum charitas nunquàm excidet. Si autem charitas nunquàm excidet à sanctis hominibus, & charitas est fructus Spiritussancti, Galat. 5. ergò nec Spiritussanctus fugiet ab animabus, quas semel hîc per fidem viuam possedit.

DE CATHOLICORVM MAtrimonio cum Sectarijs. Cap. 31.

Catholicvm Matrimonium exigit, vt non solùm sit copula inter virum & fœminā, id quod etiā Iudæis & Gentilibus commune est, & etiam animalib' quibusdam: sed vt sit Deo placens, iustum ac meritorium, & ad debitum finem ordinatum: multò igitur plura exiguntur ad Matrimonium Christianum Catholicum, quàm copulatio vtriusque sexûs, occupatio & possessio

fessio bonorũ,&multiplicatio liberorum.
Eccl. 25. Scriptura dicit in Ecclesiastico: Deo placet hoc, vir & mulier sibi benè cõsentientes, scilicet in fide, doctrina & moribus: & tunc à Deo est approbatũ Matrimonium, & habet benedictionem, quandò coniugati in his quæ Deũ concernunt, sibi consentiunt: vbi autem dissentiunt, quàm maximè in fide, tunc apud Deum non est approbatum Matrimonium. Ob id grauissimè peccat pars illa, quæ dissentit à communi fide & doctrina Ecclesiæ Catholicæ, & adhæret Hæreticis & Sectarijs: & tamen illabuntur in affinitatem aut Matrimonij copulam cum Catholico fœmineo sexu, hę tamen fœminæ non tenentur illis viris obedire in his quæ fidei & religionis sunt, sed magis Deum timere, quàm homines in re salutis: immò perseuerare in sua Religione, quantum possunt, & quæuis opprobria, fastidia & minas pati debent: hæc enim quoniam contingunt propter veritatis Catholicæ constantiam, etiam in cælo suã habebunt mercedẽ, & beatæ erunt: nam quòd requiratur par fides & consensus Religionis ad Christianum Matrimonium, etiam ex veteri Testamento colligere licet, vbi dicitur Exodi 34. Non accipies vxores de filiabus alienigenis filijs tuis, nè traducant eos post deos suos: nam id studiosè moliuntur Sectarij, quò multos ad suum errorem seu sectam pertrahant, contrahentes sponsalia cum ijs, quæ non sunt consortes fidei illorum: vel etiam inuitant ad compaternitatem, aut promittunt diuitias, adoptationes, aut eos quacunque occasione alliciunt, vt secum audiant sermones sectarios, cæremonias & sacramenta ipsorum communicent, & ità
Gen. 3. simplicẽ sexum seducunt, vt serpens Euã decepit. Talis igitur copulatio fieri non debet ab vtraque parte, vbi dispar est religio, sacramenta, &c. Sic Deutero. 7. dicitur, Non sociabis coniugio filiam tuam cum gentibus, nec trades filium aut filiam gentili, quia seducet filium tuum, nè sequatur me, & vt magis seruiat Dijs alienis, irasceturque furor Domini, & delebit te citò, &c. Si hęc præcepta & cæremonias obseruaueris, inquit Moses, ostendet Dominus tibi misericordiam & diliget te, & multiplicabit fructum ventris tui, & benedicet fructui terræ, vino, oleo, &c. auferet à te omnem languorem & infirmitates Aegypti, &c. Ex quibus omnibus colligitur, quantum Deus offendatur ex Matrimonio inter dispares fide & cæremonijs contractò, & quantùm irascatur si alienigena (id est, sectarius) Catholicam filiam seducat ab Ecclesiæ suę Catholicæ fide, nec eis prosperantur temporalia, sed Catholicis coniugijs. Quarè etsi hodiè talia Matrimonia, rebus sectarum sic stantibus, ab Ecclesia tolerantur, non tamen approbantur neque confirmantur: & dicuntur Matrimonia peccabilia & noxia, non autem iusta nec meritoria. Sic Esdras eùm audiret quòd Iudæi sociâssent coniugia cum gentibus, scidit pallium & tunicam, euellens capillos capitis & barbæ, & plorabat ad Deum, dicens: Verè Domine dereliquimus præceptum tuum in sociando coniugia cum prohibitis gentibus, ob id venit super nos tanta tua indignatio & furor, iustè hæc patimur propter nostra peccata &cęt. 1. Esd. 9. & pręcepit cunctis vt relinquerent vxores alienigenas, quod & fecerunt, quanuìs aliquę iam pepererant pueros: & hoc pręstito, Deus concessit illis gratiam, quatenùs denuò ciuitas Hierosolyma & templum ædificaretur atque instauraretur. Sic B. Cyprianus Serm. 5. de lapsis, recenset & hoc peccatum inter cætera, propter quæ meritò à Deo corripimur bello, fame, peste, &c. scilicet dum nemo peccatum putat, iungere cum infidelibus vinculum Matrimonij, & sic prostituere cum gentilibus membra Christi, &cæt. Sic si virgo Catholicæ fidei, copulatur Sectario iussu aut impulsu parẽtum, tum ipsa cum marito alienigena habitans, semper sentit in eorde morsum conscientiæ, & animus ipsius semper intentus est ad fidem Catholicam, in qua est educata, sed interim detinetur ab infideli, & verè est captiua in conscientia, & quasi in carcere detinetur: cuius causa sunt parentes, quorum nutu tali fuit marito copulata: ob id parentes peccatum hoc portabunt in iudicio, & rationem reddituri sunt. At inquis: An non & Sectarij sunt Christiani? Respond. Sunt quidem, sed non ad formã Catholicam, id est, non sunt tales quales esse debent in fide communi verę Christianitatis, nec sunt sub obedientia Ecclesię, quia ibi cognoscitur verè esse Ecclesia, id est, vera Christianitas, vbi quàm maximè est vnio & pax religionis, vbi sunt capita à Deo ordinata, vt Papa & Imperator, qui tamen si Schismatici ipsi efficerentur, (vt in Arriana hęresi factũ est) tunc nõ agnoscimus eos ampliùs tanquàm capita, nec eis, sed Deo & toti Ecclesiæ obedire tenemur. Qui igitur in tali cõmunione Christiani-

stianitatis non sunt, non etiam veri Christiani dicendi sunt. Si igitur virgo Catholica tali viro copulatur, qui nec fidem, nec vnionē habet cum vniuersali Ecclesia seu Christianitate, illa nō copulatur Christiano Catholico, sed Christiano sectario, & sic fit dispar cultus, cæremoniæ, sacramenta, diuersa intentio, deuotio, & oriuntur odia, simultates, lites, conuicia & perpetuus morsus conscientiæ: de his aūt omnibus rationem reddent parentes. Rursus inquis: Quid si maritus sectarius promittat & concedat filię meæ, vt ipsa in sua religione manens, intret templa Catholicorum? nunquid non tunc excusor, tradens filiam meam sub tali conditione sectario, aut vt vel ipsa possit conuertere sponsum ad vnionem Ecclesiæ? Respond. Periculosum est hoc, & rarò contingit, vt à fœmina maritus ad Catholicam religionem conuersus sit ex copula coniugali: attamē quia rarò fit, ideò tam strictè à deo prohibentur disparia cōiugia: quòd si talis promissio facta à sponso non seruetur, vt maneat filia tua in fide Catholica, tunc nō est verum, iustum aut sanctum Matrimoniū, sed quasi raptus filiæ, nec tu excusaberis à peccato, eò quòd tradideris eam sub tali conditione sectario, quē tamen, sicut alios omnes, nôsti esse inconstantem circa fidem & causam religionis: nam quomodò homini fidem seruaret, qui Deo & Ecclesiæ nullam seruat fidem? Tales enim sunt, de quibus Apostolus ait Roma. 16. Dulci sermone seducētes corda simplicium &c. Quid verò, inquies, agendum, si iam sint ità vel casu vel clàm consociati? Poterítne vxor Catholica manere apud sectariū maritum? an debet eum relinquere? Respondeo, Si sinè læsione conscientiæ poterit ei cohabitare, in fide sua perseuerare potest, & sic etiam vt in viri fidem non consentiat: nam Deo plùs obedire oportet, quàm hominibus: & faciat sicut Naaman in templo idolorum adorans verum Deum, 4. Reg. 5. Et si patienter fert contumelias viri, pro martyrio ei reputabitur, quòd hæc propter iustitiam patitur. Quòd si omninò pacem habere cum marito non possit, & ille eam auersetur ac negligat, discedat ab illo: nō enim seruituti subiectus est frater vel soror in huiusmodi. Propter Christum & eius fidem Catholicam relinquendi sunt parentes, filij, vxor & omnia terrena: Deus quoquè dabit in tali tentatione promeritam mercedem. At rursus inquis: Mulier debet obediens & subdita esse marito, & hoc credere quod ille credit. Respondeo, Mulier sub conditione tenetur obedire marito, nempè in omnibus quæ fidem & honestatem politicam, corpus, & res domesticas concernunt: sed in falsa fide non potest sinè peccato ei obedire: pluris est enim salus animarum, quàm complacentia viri, & Deo magìs est obediendum, quàm hominibus, Actor. 5. Nec filia tenetur obedire parenti, si volet eam tradere schismatico, à quo in fide seducatur vel impediatur: non enim parentes in animam filiæ, sed in corpus habent potestatē. Magna igitur cautio & diligentia est adhibenda, nè filias aut filios cum ijs qui dispari sunt fide & sacramentis, nuptui elocentur. Si autem dispares illi in pace possunt cohabitare, bonū est, secundùm apostolum 1. Corinth. 7. tunc sic sanctificatur maritus per mulierem fidelem, & è diuerso, vt filij eorū sint sancti: alioquì immundi essent, id est, permanerent quoquè in infidelitate. Loquitur aūt hic Apostolus de illis, qui in primitiua ecclesia vel susceperunt fidem, aut ab illa discesseruut, quem recessum ꝓpter fidei periculum admisit, quia in pace, inquit, vocauit nos Deus. Matrimonium igitur Catholicum habet Dei benedictionem, & Sacramentum dicitur, quia illi confertur gratia Diuina. Quanuis enim inter Catholicam vxorem & Hæreticum virum sit legitimum Matrimonium, attamen peccatum est & prohibitum in Decreto, 28. q. 1. ca. Caue, & in antiquissimis Concilijs, Laodicensi ca. 11. & 31. Chalcedonensi c. 14. Agathēsi ca. 67. Deindè mulier perdit sponsalia siue dotem & alia priuilegia, vt patet in Authenticis, Coll. 8. constit. 5. quæ igitur. Et lib. 6. de Hæreticis, C. decreuit, Nam Matrimonium licèt etiam sit inter Turcas, Iudęos, &c. non tamen est Christianum matrimonium: non enim fundatur ratio Matrimonij vel Baptismi super fidem, sed dei præceptum, Genes. 1. 8. & 9. Crescite & multiplicamini. Et, Quos Deus cōiūxit, homo non separet, Matth. 19.

1. Co. 7. (margin)

QVOMODO CATHOLICVS ASSERAT SEPTENARIVM numerum Sacramentorū.

Cap. 32.

APOSTOLVS dicit 1. Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes viuificabuntur. Adam vulnerauit & occidit, Christus sanat & vitam restituit

per

per victimam crucis suę: ob id ipse Samaritanus ille, qui vulneribus nostris (id est, peccatis) infudit vinum & oleum, ipse acorem ac mordacitatē tulit, id est, mortem, vt nobis oleum lenitatis, misericordiæ & sanitatis impetraret à Deo patre, Rom. 4. Mortuus est ꝓ peccatis nostris. Habemus autem ab Adam septem vulnera, quibus omninò hominē occidit: Primum vulnus est peccatū Originale, in quo omnes concipimur & nascimur, Psal. 50. Contra hoc vulnus instituit Christus remedium Baptismi, in quo ablutio peccati Originalis in paruulis, in adultis verò omnium actualium peccatorum fit remissio: ob id iussit baptizari Petrus Act. 2. Secundum vulnus est actuale peccatum, nempe mortale, & proprium nostrum quod ipsi perpetramus, non alienum vt Originale, quod nobis per alterius delictum inhæret, nempe Adæ, in quo omnes peccauimus, Roma. 5. De Actuali autem peccato loquitur Apostolus Galat. 5. quòd sint opera carnis, vt fornicatio, immunditia, auaritia, &c. Contra hoc multiplex vulnus instituit Christus Pœnitentiæ remedium, per quod iterùm reconciliamur contriti & confitentes. Iohā. 20. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c. & maximè contra desperationem Deus hoc sacramentū pœnitentiæ, vt per illud cōsolemur, instituit. Tertium vulnus est mentis inconstantia, cùm homo ob fragilitatem facilè flectitur ab hoc ad illud, nēpe à fide Christi ad perfidiam infidelium aut Hęreticorum, sicut Adam inconstans erat, cùm à ꝓcepto Dei, nè manducaret de arbore vetita, flectitur ad consentiendum mulieri, & edendum de arbore illa: & ità fidem & gratiam Dei perdidit &c. Sic nè labamur & flectamur & nos à professione fidei in Christum filium Dei, quam fidem in Baptismo semel confessi sumus, & nè seducamur à serpente, id est, Hæreticis & Pseudoapostolis, & amittamus gratiam Dei, ordinauit Deus medium, nempe sacramentum Confirmationis, in quo nobis datur Spiritussanctus per impositionē manuum Episcopi in roborationem & constantiam fidei, vt corde credamus ad iustitiam, & ore confiteamur Christum, idq; intrepidè in omni aduersitate. Contemptores ergò huius Sacramenti Hęretici, ex diuina vindicta de errore in errorē labuntur, sicut meretrix quæ semel ausa est pudicitiæ limites transire, non veretur se magis magisque prostituere: ità Hęreticos non pudet solùm vnius, sed etiam plurium errorū non pudet, cùm propter suam inconstantiam Ecclesiæ fidem semel fregerūt, & ab eius vnione deflexi sunt, ex Luteranico errore cadunt in Zuinglianum, ex Zuingliano in Caluinianum, ex Caluiniano in Anabaptisticū &c. Non igitur contemnendum est hoc donum Spiritussancti, quod nobis confertur per Confirmationis sacramētum: egemus enim ob sathanæ tentationes magna constātia & augmētatione in fide nostra Christiana, vndè orant Apostoli: Domine, adauge nobis fidem. Luc. 17. Quartum vulnus Adæ, est ignorantia seu cæcitas mentis, sicut Adam voluit esse quasi Deus, & scire oīa, bonum & malum, Genes. 3. sed ob peccatum suū factus est insipiens, sicut equus Psal. 31. & mulus, quibus non est intellectus, & Psal. 48. comparatus est iumentis, & factus est animalis, nihil planè intelligens quæ sunt spiritûs, 1. Corinth. 2. Nisi enim homo doceatur & instruatur, quid credat, teneat aut seruet, nempe Symbolum fidei, Decem pręcepta, Sacramenta, Orationem, Ieiunia & his similia, ꝓ le quidē ignorat hęc pia opera, & sicut brutum viuit & fertur secundùm ignorantiam carnalem, nesciēs nec percipiens ea quæ sunt spiritûs Dei: ideò Deus contra hoc vulnus instituit Sacramētum sacri ministerij, id est, Ordinis: cuius authoritas etiā in veteri Testamento sancta est habita, cùm Deus ius seu ministerium sacerdotij ad Aaronem & Leuitas eius, & non ad quosuis alios transtulit. In hoc autem sacramento datur Spiritussancti gratia per impositionem manuū Presbyterij, 1. Tim. 4. Sic nos existimet homo &c. & potestas vera prædicandi & docendi in Cathedra Euangelium, absoluendi, baptizandi, copulandi &cęt. Quod cùm sit Apostolicum donum, eo carent omnes qui sunt Sectarij prædicatores illegitimi, & non ritè vocati, nec hæc officia cum fructu exercere possunt. Deus enim vocatis seruis suis tradidit bona sua, Matthæi 25. Et cùm hoc sacrum officium periculosum & laboriosum sit, ideò opùs habet speciali adiutorio Spiritussancti, quod confertur ordinatis per impositionē manuum, & Christus noluit discipulos suos exire ad Euangelizandum, nisi priùs accepto Spiritusancto. Sic sectarij non rectè nec cum fructu prædicant, absoluunt, baptizant, &c. nisi priùs ipsis per impositionem manuum presbyterij Apostolici conferatur gratia Spiritussancti. Quoscunque enim Apostolici viri mittunt & ordinant,

hos

hos & Apostoli miserunt: quos Apostoli miserunt, hos Christus misit: quos Christus, hos Deus Pater misit, & eis donauit Spiritumsanctum & efficaciam ministerij sui. Sed Apostolici viri nō miserūt nec ordinârunt Sectarios: ergò eos nec Apostoli, nec Christus, nec Deus misit, & per consequens donum Spiritussancti eis non dedit, nec efficaciam aut fructum ipsorū ministerio: id quod iam appáret in mundo, quidnam proficiant, aut eum quo fructu prędicent, absoluant in suo populo, an ibi regnet Spiritussanct' vel nō. Sed væ mundo à talibus Pseudoapostolis & falsis operarijs, qui nō colligunt, sed miserè dispergunt vnionem ecclesię. Quintum vulnus Adæ, est incuriositas & obliuio seu neglectus acceptorū beneficiorum, sicut Adam per summam ingratitudinem neglexit & obliuioni dedit, quòd à Deo creatus esset tam nobilis creatura, quæ cæteris omnibus dominaretur, & cuius gratia omnia in mundo condita erant, & ipse quidem ad D E I similitudinem creatus, & paulo minor angelis factus esset: sed horum omnium beneficiorum oblítus, diabolico potiùs serpenti, quàm Deo suo obediuit: atq; sic non solùm sibi, sed vniuersis in mundo hominibus mortale vulnus inflixit, vt & nobis illa infirmitas ingratitudinis & obliuionis cognoscatur. At quoniam pijssimus Deus nos denuò reuocauit & creauit in Filio suo Domino nostro, ac totum mortale genus perditum, iterùm recepit in gratiam: condonat peccata, & donat Spiritumsanctum & vitam æternam propter Christi victimam in cruce, Esaiæ 53. Et nè nos quoquè exemplo primi Parentis nostri huius tanti beneficij magnitudinem obliuioni traderemus ac negligeremus, ordinauit Christus Eucharistiam, id est, corpus & sanguinem suum in cœna, vt id consecratum acciperemus in memoriam passionis & redemptionis ac tantæ beneficentiæ: ideò expresè dicit, Hoc facite in meam commemorationem. quasi dicat, vt habeatis in perpetua memoria istud redemptionis beneficium, & nūquàm obliuiscamini, sed potiùs in quotidiano vsu hoc repetite, Lucæ 22. Matthæi 26. Prætereà per vsum huius sacramenti iterùm recipimur in vnionem corporis CHRISTI mystici, cuius caput ipse est, 1. Corinth. 12. Quotiès enim peccamus, extra illam vnionem nos separamus. Sed iterùm incorporamur per vsum istius sacramenti, Iohan. 6. In me manet, & ego in eo: hoc est illud deuotissimum sacramentum, quod primò consecratur, & posteà distribuitur: alia sacramenta in ipsa administratione consecrantur & efficacia fiunt, vt Baptismus &cæt. Hoc venerabile sacramentum indignè sumentes, tractantes, administrantes, negantes ac diuidentes, mortem & damnationem sibi sequirunt, sicut 1. Corinth. 11. dicitur. Hoc igitur sacramentum Eucharistiæ vt maximè institutum est ad memoriam faciendam & obliuionē propellendam passionis & redemptionis per Christum factæ. Sextum vulnus Adæ, est carnalis concupiscentia, vt luxuria, immunditia, fornicatio, adulterium, Galat. 5. Opera carnis sunt fornicatio &c. Sunt autem variæ species luxuriæ, de quibus alibi à nobis dictum est. Contra huiusmodi ardorem carnis pro remedio D E V S instituit Matrimonium. 1. Corinth. 7. Propter stupra vitanda suam quisque vxorem habeat, & quæque suum virum &c. Ideò non solum Matrimonium est institutum & præceptum D E I, Genes. 1. Crescite & multiplicamini, &cæt. sed etiam remedium est cōtra vagas & turpes libidines: hoc quoquè sacramentum Matrimonij, ex merito CHRISTI habet gratiam, nempe Deus in præsenti coniugatis vnitatem, mutuam dilectionem, necessitatem corporalem, fœcunditatem & benedictionem, & quoquè præmia in cælo: nam & Paulus dicit matres generatione filiorum saluari: nam D E V S omnes labores, curas, angustias & dolores quos parentes in educatione filiorum legitimorum in fide Christiana habuerint, in cælo recompensabit. Nam diligentibus D E V M omnia prosperabuntur, Roman. 8. Septimum vulnus est mors naturalis, & hanc Deus humano generi immisit, & lege adamantina fixit ob primi parentis peccatum & transgressionem: Statutum est enim hominibus semel mori, Hebr. 9. Et stipendiū peccati mors, Rom. 6. Ob summas igitur in hora mortis angustias & dolores ac sathanæ tentationes, ordinauit Christus E X T R E- MAM V N C T I O N E M propter orationem fidei, id est, fidelium assistentium & Presbyterorum, immò totius Ecclesię hic & in futura vita, vt illa impetret sanitatem: aut si voluntas Dei est, vt moriatur homo, per hoc alleuiabitur, nè graues sentiat dolores mortis, & in Christi fide constanter maneat cum patientia: fit quoquè propterea, vt venialia peccata, in

Extrema Vnctio.

H qui-

quibus homo moriturus est, ei remittantur, idq; designatur per Vnctioné omnium membrorum corporis, cum quibus ea peccata cômisit: Nam per hoc oleum Deus vtranque operatur sanitatem corporis & animæ: non ipsum oleum hoc operatur, sed D E V S per oleum facit, id est, peccata remittit, sanat & alleuiat. Atque sic contra septem vulnera Adæ, quæ nobis inflixit CHRISTVS, & Apostoli septem contraria remedia, id est, sacramenta septem ordinârunt, per quæ Deus per suam gratiam quam in ijs confert, vulnera illa in nobis curat. Porrò quædam sacramenta exhibent nobis gratiam, vt Baptismus, id est, remissionem peccatorum, & quædam illam retinent in nobis, vt nè iterùm eam amittamus, vt, Confirmatio, Eucharistia, Matrimonium, Ordo, &cæt. quędam amissam gratiam D E I restituunt, vt Pœnitentia, & Vnctio extrema: quædam sacramenta sunt iterabilia, quædam non: Quæ non iterari possunt, sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo: in his enim imprimitur character: Quæ iterari possunt, sunt pœnitentia, Eucharistia, Matrimonium, Vnctio extrema.

QVID DE LEGITIMO BAPTISMO CATHOLIcus sentire debeat. Cap. 33.

APOSTOLVS ad Titum tertio capit. dicit: Baptismus est lauacrum regenerationis & renouatiôis Spiritussancti, id est, medium per quod D E V S propter fidem in CHRISTVM, regenerat (id est, lauat) animam à peccatis per virtutem sanguinis Christi: quæ lotio sanguinis Christi, per aquam significatur, vt sicut aquæ sordes abluunt, ità virtus effusi sanguinis CHRISTI per fidem operatur & mundat à peccatis. Iohan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi &c. Sic in Baptismo primo loco fit remissio peccatorum. Actorum 2. Baptizemini in remissionem peccatorum &c. Secundo autem loco infunditur per baptisma Spiritussanctus, qui renouat naturam nostram suis virtutibus. Galat. 5. Fructus spiritûs sunt, charitas, fides, spes, gaudium, pax &c. Per hos motus expellit Spiritussanctus in baptizatis motus carnales, superbiam, luxuriam, desperationem, & alia, & ità veterem Adamum cum suis vitijs nobis exuit, & induit nouum hominem, virtutibus & fructibus Spiritussancti ornatum, & facit nos obedire legi Dei, vt acceptam in Baptismo remissionem peccatorum retineamus, & nouam atque innocentem vitam instituamus. Tertiò Baptismi sacramentum est primum inter alia sacramenta omnia: ideò nullum valet, nisi primùm illo acceptor nam ante omnia opera & sacramenta alia oportet hominem primùm renasci aqua & Spiritusancto, Iohan. 3. Oportet enim primò reconciliari Deo, antequàm Confirmationem, Ordinem, Eucharistiam &c. accipiamus: igitur Baptismi virtus extendit se per omnem vitam & opera hominis, ità quòd omne aliud sacramentum & quodcunque opus non est bonum nec efficax, nisi per præcedentem Baptismum, eò quòd omnem gratiam & remissionis peccatorũ impetrationem, ab eo nos habere oportet, quem in Baptismo induimus, nempe à CHRISTO, & in eius consortiũ de infelici Adę natiuitate transire non valemus, nisi per Baptismum: Deindè Baptismus non solùm antè actorum peccatorum, sed etiã quæ post ipsum perpetrantur, remissionem confert. Non autẽ interim eleuatur vis Baptismi, si alijs quoquè sacramentis vtimur, scilicet pœnitentia, Eucharistia, Vnctione &c. & alijs medijs etiam vtimur ad remissionem peccatorum, non tamen vim Baptismi excludimus, sed perpetuam habere virtutem prædicamus. Quòd si post Baptismum, in quo omnia peccata semel condonata sunt, aliquis iterùm in peccata prolabitur, eum alia iam remedia quærere oportet, id est, Pœnitentiam, Orationem, Ieiunia, extremam Vnctionem &cæt. sinè Baptismo autem nullum sacramentum valet, & post secundum lapsum, non ad Baptismum iterùm, sed ad secundam Tabulam naufragij, id est, Pœnitentiam recurrendum est. Sic enim Tertullianus Pœnitentiam vocat, & post eum Hieronymus & plerique orthodoxi Patres ipsam hoc nomine appellant. Prima enim Tabula, cui innitimur & incumbimus, volentes ex periculo originalis ac mortalis peccati oceano euadere, Baptismus est: per illum euadimus submersionem primam: Secunda verò Tabula est Pœnitentia, per quam si quis secundariò in fœda peccata ,plapsus fuerit, & tanquàm naufragium fecerit, tutò euadere & ad portum gratiæ & remissionis appellere potest. Neque audiendi sunt phanatici homi-

homines Anabaptistæ, qui somniant semel renatos per Baptismum, ampliùs peccare non posse, & quanuis vitijs qualibuscunque se inquinauerint, iustos tamen manere &cęt. Non sic futura peccata extinguit Baptismus, sed præsentia & antè acta. In baptismo per fidem accipitur plena remissio omium peccatorum, & post ipsum iterata peccata non nisi per pœnitentiam aliaque sacramenta & pia opera in hoc instituta condonantur. Prætereà arguunt Sectarij, quòd fœdus Baptismi semper manet vsque io vitam æternam: quotiès igitur quis peccat, & recordatur eius fœderis, tunc statìm tollitur virtute fœderis illius peccatum, & non est opùs alijs remedijs, id est, operibus, ieiunijs, satisfactione, pœnitentia aut confessione &cæte. Item, Errant Papistæ, qui vim huius sacramenti & fœdus tantùm semel valere asserunt, idque in principiò, & post Baptismum peccantes, oportere alia remedia quærere, vt pœnitentiam, confessionem, satisfactionem &cęt. cùm Deus gratìs remittat semper peccata propter fidem in Christum. Respond. Primò, si nullis remedijs alijs peccantibus nobis post Baptismum opùs est, ad quid Iohannes Baptista Matth. 3. exigit dignos fructus pœnitentiæ, idest, opera? Non solùm enim dicit, credite: sed etiam ait, dignos agite pœnitentiæ fructus. Ad quid dedit claues regni cælorum Christus Matth. 16. & 18. id est, soluendi, remittendi & retinendi potestatem, Iohan. 20? Et quarè iussit orare quo-
Matt. 6. tidiè, Dimitte nobis debita, si sola fides fœderis baptismi satìs est ad remissionem? Cur Scriptura iubet nos peccata Eleemosynis redimere, Daniel. 4? Et cur ipsi Sectarij tribuunt vim remissionis peccati sacramento Eucharistiæ, (licèt falsò) si solum fœdus Baptismi tollit iterata peccata? Non autē fœdus gratiæ, quod inijmus in Baptismo cum Deo, reijcimus quandò docemus relapsis esse opùs alijs remedijs: nam ideò ad pœnitentiæ remedia conuolamus, quia scimus nos esse membra Christi facta per Baptismum; & ipsi incorporatos esse, Roman. 6. & quòd stet certa promissio remissionis propter CHRISTVM: alioquì quis pœniteret, oraret, ieiunaret? Est igitur fœdus gratiæ Baptismi, fons & origo omnium nostrarum actionum: nisi enim hoc præcedat sacramentum, cætera alia omnia erunt inefficacia. Sicut enim non reijcitur argentum, eô quòd non sit tam preciosum vt aurum: sic non reijciuntur opera & pœnitentia, licèt non respondeant operi & merito Christi. Sed vbiquè quærunt misergi, id est, operum osores &cęt. vt solam suam fidem stabiliant. Sacerdos dicit, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritussancti, id est, Ego lauo te à peccatis virtute sanguinis CHRISTI. Et idem sacerdos in alio Sacramento dicit, Ego absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris &cęt. id est, virtute sanctæ Trinitatis: & per hæc verba ex ore ministri prolata, DEVS operatur, id est, remittit peccata, & donat Spiritumsanctum, sicut per os MARIAE salutantis Elizabeth, sanctificauit in vtero materno Baptistam, Luc. capit. 1. Omne igitur quod facimus bonum, aut accipimus aliquod sacramentum, ideò facimus, quia baptizati sumus. Virtus igitur Baptismi semper manet, sed in relapsis in peccata, etiam exigitur Pœnitentia & alia Sacramenta, non vt iustificet nos Pœnitentia absque fide Christi, sed quòd hęc fides non est efficax in adultis relapsis sinè pœnitentia. Sectarij abijciunt cæremonialia, vt Salem, Chrisma, & alia in Baptismo, vt Magicas execrationes, quibus nos tribuimus (vt illi obijciunt) efficaciam remittendi peccata & virtutem Baptismi. Ad hoc respondeo, Cur ipsi exorcizant sathanam, & eum ab infantibus baptizandis expellunt? Ad hoc inquiunt, Id nos per verbum DEI facimus. Sed rursus quæro, an non etiam verbo DEI & oratione consecratæ sunt illæ creaturæ, quandò omnis creatura sanctificatur verbo & oratione, 1. ad Timotheū 4. Non efficaciam in ipsis rebus corporalibus locamus, sed Diuinę virtuti, quę per res corporales operatur, tribuimus. At obijciunt Sectarij, vbinàm Christus promisit aliquam efficaciam per res huiusmodi creatas? Respondeo, Quid est hoc quòd CHRISTVS dedit potestatem spiritus immundos expellendi, curandi infirmitates & omnem languorem, Matthęi 10. Marci 3. Lucæ 9? Et hanc potestatem Apostoli non sola oratione, sed etiam adhibitis rebus corporalibus exercuerunt. Nam & Prophetæ, & Christus, & Apostoli per tales res corporales sæpò effecerunt sanitates & alios mirabiles effectus. Sic baculus Moisi, sic lignum facit dulces aquas Exod. 15. Sal missum in fontes aquarum, sanat homines, 4. Reg. 2. Iecur piscis sanat, Tobiæ 5. Tactus fimbriæ, Marci 5. Lutum illinitum cæco, Iohan. 9.

sudaria Pauli, Actor. 19. Cur (quæso) his externis rebus corporalibus vsi sunt Prophetæ, Christus & Apostoli, si superflua & inutilia sunt? Et cur vngunt oleo Apostoli, Marci 6? Imitatur ergò ecclesia ipsius Christi, Prophetarum & Apostolorum exemplum, & vtitur his externis cæremonijs, vt in Baptismo Chrismate, per quod datur Spiritussanctus: Lumine, per quod illuminatio fidei: & Sale, per quod donum prudentiæ donatur, & sic de reliquis &cæt.

QVOMODO CATHOLICVS ASSERERE DEBEAT Confirmationem esse verum Sacramentum. Cap. 34.

PRIMÒ notare oportet, quòd sicut non solùm necessarium est homini ad vitam corporis sui quòd natus est, sed etiam requiritur, vt corpus ipsum crescat, proficiat & augmẽtetur: Sic Christiano homini non solùm est necessarium, vt renascatur spiritu in Baptismo per fidem, sed etiam vt in bono confirmetur ac solidetur, id est, vt per virtutem Spiritussancti roboretur ad retinendam appræhensam per fidem salutem in Baptismo, nè iterùm per fragilitatem humanã amittatur. Apostoli ergò in hunc finem vsi sunt sacramẽto illo, quandò imposuerunt manus suas super baptizatos, vt acciperent Spiritumsanctum, sicut patet Actor. 8. Fundatur autem hoc sacramentum super promissionem Christi, qui ꝓmittit gratiam Spiritussancti, quandò illum misit Iohan. 14. Mittam vobis promissionem Patris, id est, Spiritumsanctum. Et ideò dicitur paracletus Spiritussanctus, & spiritus veritatis, qui suggerat, confortet, loquatur in illis, confiteatur Christum. Roma. 10. Corde creditur ad iustitiam, &c. Nè igitur quenquam pœniteat Baptismi fidei in Christum, nè turbetur persecutione & afflictione mundi, cui fides nostra est scandalũ & stultitia, 1. Corinth. 1. sed vt pergat & perseueret, opùs illi est confirmatione Spiritussancti. Datur ergò in robur in hoc sacramento. At dices, cùm semel datus sit in baptismo Spiritussanctus, ad quid opùs est hoc sacramento, vt iterùm detur Spiritussanctus? Respondeo, Licèt vnus sit Spiritussanctus, tamen hic non datur solùm ad vnius operatiõis effectum, vt in nobis tantùm vnum aliquid operetur, sicut dicitur 1. Corinth. 12. Vnus atque idem spiritus diuidit singulis dona, prout ipse vult: alij dat scientiæ donum, alij fidei, alij linguarum, alij prophetiæ, alij sanandi, alij discretionem spirituum &cęt. Sic vnus & idem Spiritussanctus semel in Baptismo omnibus æqualiter datus, postea tamen varias & diuersas habet operationes secundùm mensuram donationis, id est, secundùm magìs & minùs, prout ipse vult, sicut patet de constantia fidei in Martyribus, Confessoribus, & alijs qui miracula fecerunt ob eximiam fidei mensuram &cęt. Nam sicut est vnum corpus, quod tamen habet diuersa & varia membra: vnum videt, alterum audit, tertium currit, quartum gustat &cęt. omnia tamen & singula habent virtutem suam operandi à naturali spiritu, ità quoquè idem Spiritussanctus ad aliud quoddam opus confertur in Confirmatione, & diuersum ab eo quod in Baptismo collatum est, sicut Spiritussanctus quidem vnus est, non tamen habet vnum solum fructum, sed varios, Galat. 5. Alius enim fructus est & aliud donum charitas, aliud pax, aliud patientia, aliud modestia &cęt. hæc tamen omnia dona & fructus vnus Spiritussanctus operatur: & ideò sæpè idem Spiritussanctus inuocatur, vt diuersos fructus in nobis operetur, castitatem, charitatem, patientiam, constantiam in fide. Sic ergò in Confirmatione datur nobis Spiritussanctus in robur ac stabilimentum fidei, vt in via & quasi cursu salutis appræhendendæ pergamus, proficiamus ac perseueremus, vtque tentationibus sathanæ & concupiscentijs carnis & mundi constanter resistamus &cęt. Sic Esaias quoquè capite vndecimo describit septem dona Spiritussancti, spiritum sapientiæ, intellectûs, consilij, fortitudinis, agnitionis & timoris domini. Credit igitur ECCLESIA, quòd in Confirmationis sacramento Baptizatis & renouatis conferantur hæc omnia per donationem Spiritussancti. At obijciunt Sectarij: Confirmatio non est traditio, nec sacramentum à Christo institutum, nec est vniuersaliter nec semper in Christianismo obseruatum, nec habet mandatum nec promissionem à CHRISTO &c. Respondeo, Apostolus ad Roman. 15. inquit, Non audeo aliquid loqui eorum quę per me non effecit CHRISTVS: ità nisi hoc Apostoli habuissent à CHRISTO, vt manus imponerent & impetra-

petrarent Spiritumsanctum, quarè ausi fuissent hęc quasi superflua facere? & hæc cæremonia fuisset falsa & contra Spiritumsanctum, non vtiquè is superuenisset in baptizatos per eiusmodi cæremonias inuocatus? nec enim negari potest, quod in Scriptura habetur, baptizatos per impositionem manuum accepisse Spiritumsanctum, Actor. 8. Nec legitur hoc à Spiritusancto fuisse improbatum aut prohibitum, cùm tamen ille ideò datus sit Apostolis, vt eos doceret omnia, & in viam veritatis duceret, Iohan. 16. Quis ergò, nisi infidelis aut Hæreticus, audeat dicere, hoc Confirmationis sacramētum esse erroneum & adulterinum? Prætereà vsus & consuetudo huius Sacramenti fuit ab initio in Apostolica Ecclesia, deindè in tota, id est, Catholica, vt testantur Clemens Epistol. 3. Dionysius & alij, licèt Hæreticorum Synagoga aut Schismatici non habeant nec agnoscant pro sacramento, sicut & reliqua contemnunt. Nam si propter contradictionem & negationē Hæreticorum deserendum & abolendum sit hoc sacramentum, vel alia reliqua, tum etiam fides Christi & mysterium Trinitatis esset deserendum propter contradictores Iudæos, Turcas & Apostatas, quibus crucifixus Christus scandalum & stultitia est, sed vocatis sanctis est virtus Dei, 1. Corint. 1. Prętereà nisi Deus Spiritussanctus hoc suggessisset Apostolis, aut si id inane aliquid esset, non vtiquè imposuissent manus baptizatis. Et clara est ꝓmissio Spiritussancti, Iohan. 16. & 14. cum suis donis. Cùm igitur omnibus Christianis sit necessariū, vt pergant, proficiant, augeantur, ac retineant acceptam in baptismo gratiam & infusam fidem, certè hoc sacramētum Confirmationis nequaquàm est inutile, sed necessarium & inprimis adultis hominibus, 2. Corinth. 6. Hortamur vos, nè in vacuum gratiam Dei recipiatis. Quoniam igitur Confirmatio habet testimonium Apostolicæ Ecclesię & Catholicæ, vsum à temporibus Apostolorum: ideò meritò pro Sacramento retinetur illa. Deindè etsi non negamus, quòd competentiùs hoc sacramentum conferetur illis, qui propria confessione fidem testari possent, attamen quoniam & Christus ipse paruulis imposuit manum, Marci 10. ideò non sunt arcendi etiam paruuli ab hac Confirmatione: quin adducendi sunt ad Episcopum, vt confirmentur iuxta ritum hactenùs in Ecclesia obseruatum &c.

QVAM NECESSARIA SIT HOMINI ADVLTO VERA Pœnitentia. Cap. 35.

PRIMÒ notandum, ex quo homo postquàm etiam est regeneratus in baptismo, cadit sæpè in magna & grauia peccata: nè igitur homo Christian⁹ sic deceptus à sathana & propria sua voluntate, quæ sunt caussa peccati, non Deus ipse, vt Hæretici fingunt, possit venire in desperationem consequendæ misericordiæ: ideò Deus instituit hoc sacramentum Pœnitentiæ post Baptismum, in quo primùm remittuntur omnia antè acta peccata, vt esset quasi secunda tabula naufragij, quatenùs ad patriam cælestem veniamus, & non submergamur in mari magno peccatorum: ideò vt iterùm peccator erigatur & cōsoletur, præbetur illi medicina vulnerum suorū, nempe vt conteratur animo, & doleat de admisso peccato: & hoc cor contritum & humiliatum non vult DEVS despicere, Psalm. 50. sed potiùs tradidit potestatem absoluendi à talibus peccatis pœnitētem, & ligandi impœnitentem. Nam sic dicitur Iohan. 20. Accipite Spiritumsanctum. In cuius potestate cùm credētes & pœnitentes absolueritis à peccatis suis, dimissa erūt eis in cælo, & impœnitentibus & persecutoribus Euangelij, quib⁹ retinueritis peccata sua, eis retenta erunt etiam in cælo. Ideò quotiès peccator ex corde fuerit cōtritus, & venit cum tota fiducia sic ad thronum gratiæ, & credit quòd accipiat hoc ipsum quod Christus promisit in hoc Sacramento, tum illi fiet, sicut credit, id est, sibi dimissa esse peccata sua. Nam hoc sacramentum habet promissionem certam, quòd peccata debeat esse remissa in cælo, quæ hic remittuntur: ideò dicit, Sicut me misit Pater, ità ego mitto vos. Vbi ergò est cor verè contritum, hoc appręhendit gratiam remissionis peccatorum ex ore & potestate sacerdotis. Deindè ex quo sacerdos non solùm accipit potestatem absoluendi, sed etiam ligandi: Hæc autem potestas nō potest rectè & cum fructu exerceri, nisi sacerdos intelligat, quem aut qualem absoluat aut liget, & quid absoluat vel liget: & quia talis cognitio nō potest meliori modo, nisi ex cōfessione oris & recitatiōe peccatorum, & quoniam sæpè sunt multa & occulta peccata, quæ etiā vulnerant & occidunt, & sæpè grauiora & peri-

periculosiora sunt, quàm manifesta: ideò sacerdos non potest de his sufficienter diiudicare pœnitentem, nisi enumerent peccata. Sed enumerare peccata, fit duplici via: aut omnia peccata, nullo excepto, velle enumerare, id quod homini impossibile est, iuxta Psalm. 18. Delicta quis intelligit? Et ideò non est præceptum à Deo, nec sacerdos exigit omnia peccata, cogitata vel ore prolata, nec necessarium est illi, vt oĩa tanquàm iudex agnoscat antequàm absoluat: quia hîc non iudicem, sed ministrum agit, qui officium & mandatũ suum commissum exequitur: Si confitens & pœnitens rectè crediderit, & verè pœnituerit, hîc secundùm suam conditionem accipit, & efficax est in illo absolutio. Sic idem sacerdos tanquàm minister baptizat puerũ, & remittit peccata authoritate verbi, sinè agnitione peccatorum: Sic prædicat verbum Dei in Ecclesia sinè auditorum confessione & cognitione, ideò non nimìs strictam imponere oportet enumerationem peccatorum, nec etiam nimìs laxare, vt leuis fiat saltem enumeratio. Sunt igitur peccata quæ occurrunt, enumeranda, vt cõscientia tanto securior & magìs quieta sit, sicut Dauid fecit 2. Reg. 12. Et Magdalena Luc. 7. & solatium inuenerunt & quietem animabus suis. De occultis igitur peccatis, vt strictè omĩa recenseantur, non habet Ecclesia mandatum &c. Secundo modo fit enumeratio peccatorum publicorum, quę sunt manifestè contra legem Dei facta, Exod. 20. Nam hęc aliquo modo sciri possunt, & quoniam sacerdos non solùm absoluendi habet potestatem, sed etiam retinendi, & ea est potestas pœnam imponendi, sic excõmunicat vel absoluit manifestè, si manifesta crimina recensentur, iuxta illud 1. Corinth. 5. Si quis frater est scortator, rapax &cęt. Et hîc requiritur agnitio peccatorum. Nam nemo est excõmunicandus in Ecclesia, nisi cuius crimen est manifestum in Ecclesia: sic ligantur, qui Ecclesiam nõ audiêrunt, Matthæi 18. & nemo absoluitur, nisi constet quòd ille cõmutauerit mores in melius, & ad illa peccata prælatus est iudex, qui habet iurisdictionem: sed ad occulta peccata sacerdos ordinarius absoluit in genere, sinè plena agnitione omnium peccatorum occultorum: & sic Euangelicum est mandatum remittendorum peccatorum, tum publicorum, tum priuatorum. Porrò quanuìs æterna pœna & culpa est per solum Christum satisfacta, nam ipse peccata nostra portauit, Esai. 53. Et 1. Pet. 2. attamen opùs est nobis etiam satisfactiõe aliqua, vt post absolutionem illa gratia retineatur, & fructus Pœnitentiæ sequantur, vt ieiunium, quo corpus castigatur vt moriatur gula, ebrietas, & luxuria: vt eleemosyna, qua auaritiæ & vsuræ peccata delentur: vt oratio & vigiliæ, quibus tentationibus sathanæ obuiatur &c. Immò tota vita nostra debet esse pœnitẽtia, id est, cessatio à peccatis, sicut per totum capitulum 6. ad Romanos Paulus docet, vt mortui simus peccato, & in nouitate vitæ ambulemus. Quanuìs aũt hæc satisfactio humana non tollit pœnam & culpam æternam, est tamẽ necessaria, quia sinè illa non retinetur gratia remissionis: Deindè tollit peccatorum occasiones & mortificat reliquias peccati in carne, mitigat pœnas temporales & hominem sanctificat, Sic ipse Christus iubet vt nè ampliùs peccemus, Iohan. 5. nè deterius aliquid nobis contingat: Sic iubet reconciliari fratri, restitui ablatum &c. Et quoniã absolutio continet virtutẽ huius sacramenti, ideò sic debet confitenti publicari aut insinuari, vt pœnitens intelligat illam, & sciat quòd propter effusum sanguinem Christi, sibi remittantur peccata, & non propter dignitatem aut valorem nostræ confessionis & satisfactionis: tota enim causa transfertur in passionem Christi, & non in nostra opera: nam gratia & virtus remissionis, quæ ibì contingit, Dei est: sed officij exequutio, est sacerdotis: attamen hîc exigitur fides, qua quis certò credat, & non dubitet de remissiõe peccatorum, quę etiam certa est, quia propter vulnera Christi fit, & nõ propter nostram dignitatem: ideò fides illam appræhendit, quia promissa propter Christum: & hęc ꝓmissio certificat, quia Deus mentiri non potest, Hebr. 6. Rom. 4. ideò ex fide est, vt promissio sit certa: sic contritio, confessio, satisfactio &c. omnia præsupponunt fidem.

QVID SENTIAT CATHOLICVS DE EVCHARISTIAE Sacramento. Cap. 36.

PRIMÒ, sicut habenti vitam naturalem, necessarius est cibus & potus, quatenùs conseruet vitã: Sic spiritualiter, quandò homo per sacramentum Pœnitentiæ iterùm est viuificatus in Domino, necessè est porrò,

vt

vt habeat cibum & potum, quibus conseruetur homo in tali vita spirituali, & crescat, confortetur & appræhensam gratiam retineat: ideò Christus instituit sacramentum Altaris, sub visibili specie panis & vini, quod sacramentũ nobis dat verum corpus & sanguinem Christi, & nos cum ipso vnit per húc spiritualem cibum, tanquàm membra capiti corporis sui, ità vt nos in ipso ad omne bonum proficiamus, educemur & enutriamur, vtque vnà cum alijs fidelibus in communione proficiamus per dilectionem. Multi enim sumus vnus panis & vnum corpus, quatenùs oẽs de eodem pane participamus, 1. Corint. 10. Deindè pensare opertet hæc verba, quæ ipse Christus dixit Matth. 26. Hoc est corpus meũ, Hic est calix noui Testamenti, & nullatenùs dubitare debemus, quòd quamprimùm verba illa ex ore sacerdotis pronunciantur, immediatè fiunt verum corpus & sanguis Christi, & substantia panis & vini in verum corpus & sanguinẽ transsubstãtiantur & cõmutantur. Qui itaque hęc negat, quòd hîc fit verum Christi corpus & sanguis, hic dubitat de omnipotentia Dei, & eum mendacij arguit: nam ipse Deus Christus dicit, Hoc est corpus meũ: nõ dicit, Hoc est signum, vel, Hic panis est corpus meum: sed simpliciter, Hoc est corpus meum, Matth. 26. Prætereà admonemur ab Apostolo 1. Corinth. 11. vt homo seipsum probet, nè indignè edat & bibat de calice: alioquì damnationem manducat & bibit, & quoniam hoc multi ferebãt, non habentes differentiam de illo pane, & quem in domo propria habuerunt, ideò facti sunt infirmi, & mortui sunt subitò: Ideò vnusquisque cum timore accedat in memoriam passionis Christi, & cogitet Christum pro se corpus suum & sanguinẽ tradidisse, vt à peccatis fit liber & saluus fiat. Indignè autem sumunt hoc sacramentum primò, qui aliter sentiunt & docẽt de illo sacramẽto, quàm decet & par est: Deindè, qui non verè pœnitent: nam sicut dicit Augustinus, ille vitam suam emendare debet, qui vitam vult suscipere: qui enim non emendat vitam suam, is accipit vitam in damnationem: ideò illi qui tantùm ex consuetudine communicant aut timore, & non puram habent conscientiam, nec verè pœnitent &c. illi indicium sumunt: Laudabilis igitur est & salutaris Ecclesiæ consuetudo, quæ non admittit communicantes ad hoc sacramentum, nisi priùs per Pœnitentiæ sacramẽtum purgentur: nam hoc sacramentũ habet efficaciam retinendi appræhensam gratiam & distributa nobis merita Christi & remissionem peccatorum. Sed quandò non præcessit purgatio & cessatio peccatorum, non potest retinere hic cibus remissionem peccatorum & promeritam per Christum salutem, sicut medicus non dat medicinam, quæ confortat & vegetat, nisi priùs mali humores è corpore euacuentur: alioquì confortatiua medicina plùs noceret, quàm prodesset. Ex quo patet, quòd remissio peccatorum non consistit in sumptione huius sacramenti, quia antè in confessione per absolutionem peccator acceperat remissionem: ideò ad retentionem acceptæ remissionis valet cõmunio, sicut dicit Iohan. 6. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. At manere in Christo, est retinere appræhensam iustificationem. Sicut ergò cibus & potus præsupponunt vitam, nam mortuo non prosunt, nec etiam viuificant: ità hoc sacramentum & cibus iste spiritualis præsupponit vitam, id est, remissionem & fidem, in quibus conseruatur vt viuat in æternum. Prætereà quotiès communicamus, totiès iterùm accipimus communionem illam bonorum Christi & omnium fidelium sanctorũ, sicut credimus in Symbolo, quia oẽs vnum corpus Christi sumus mysticum, ipse autem est caput, Coloss. 1. Ephes. 1. quod nos adunat & coniungit tãquàm membra, & illud caput influit in membra cum omnibus suis bonis, & nostra accipit, vt sint omnia communia capitis & membrorum: & quanuis semel in hanc communionem intramus per Baptismum, iuxta Rom. 6. Quotquot baptizati estis, Christum induistis &c. tamen post baptismum sępè peccamus, & nos per labem peccatorum priuamus illa communione: nam sathan, caro & mũdus nos impediunt: ideò quandiù sic sinè pœnitentia pergimus, & in peccatis iacemus, tandiù sumus excõmunicati & alienati à communibus bonis Christi & pijs operibus Ecclesiæ. Sed quandò iterùm pœnitemus & redimus, tunc Absolutio tollit peccatum, & communio sacramenti facit, vt iterùm intremus in communionem & participationem omnium bonorum Christi & Sanctorum eius: ideò dicitur Eucharistia solatij sacramentum, quia consolamur & certi efficimur, quòd iterùm sumus recepti in communionem bonorum Christi & Sanctorum, ex qua per peccatum excidimus.

dimus. Item, dicitur sacramentum roboris ac confortationis: nam quandò intramus iterùm in cõmunionem illam, in qua nobis omnia fiunt communia, sicut fit inter coniugatos, quorum omnia cõmunia sunt, tunc accipimus, & nobis communicatur Christi iustitia, quę maior est peccato meo: Christi fortitudo, quę est supra sathanam:& sanctitas, quę maior est quàm mea immunditia: & potentia Christi, qua vicit mortem & mundum,&cęt. & sic Eucharistia cõfortat nos in fide contra peccatum, mortem, sathanam. Fides enim docet, quòd hæc omia sint subiecta pedibus Christi. At inquies, si liceret sub vtraque specie communicare, essem contentus & quietus in animo meo. Respondeo, Hæc tentatio vel scrupulus animi oritur ex eo, quòd non creditis corpus Christi esse viuum & tale, quale post resurrectiõem habuit, quod ampliùs non moritur, nec sanguis ab illo separatur: Deindè, quòd plerique putant, per potum & comestionem acquiri remissioné peccatorum, quod tamen non est: sed solùm hic acquiritur retentio remissionis & iustificationis, consolatio & confortatio:& quandò hoc plenè fit, etiam per sumptiõem vnius speciei, ideò non est hic periculum animarum neque salutis. At rursus obijciunt, cur ordinatio & institutio Christi nõ seruatur, qui vtranque speciem instituit? Respondeo, Vtraque etiam per fidem accipitur: nam vbiquè totus est Christus,& totum sacramentum tam in Hostia, quàm in calice: & nobilior atque perfectior est hæc cõmunio in fide, quàm alia corporalis, & maioris est meriti. Quòd si fides in Christi corpus & sanguinem, quę propter nostra peccata sunt tradita, non affuerit, nihil proderit corporalis sacramenti communio. Deindè quandò nec ea forma baptizandi seruatur in Ecclesia, quam tamé Christus primùm instituit, scilicet Marc. vltimo, Quicrediderit & baptizatus fuerit,&c. tamen Ecclesia præter institutum Christi paruulos qui non credunt, baptizat: & hoc et nemo rectè sentiens, vitio vertit aut damnat. Quarè igitur Ecclesia non eadem authoritate posset statuere ꝓ Laicis vnam speciem, totum & integrum Christũ continentem, quemadmodùm infantibus baptismum dat, qui nondùm intelligunt vel fidem, vel vim baptismi? Si in hoc non errat, certè nec in altero errare dicetur. Toleratur autem vtraq; species in quibusdam regnis & populis propter maius schisma & incommoda vitandum, sicut Cæsar Carolus V. in formula INTERIM permisit: nã communicare sub vtraq; vel sub vna, non facit Hæreticum, si Ecclesia aut potestas ordinaria concesserit, vt seruetur Christiana vnitas: sicut nihil refert, vt Luterus ad nobilitatem Germanicam inquit cap. 33. nec est error, quòd sacerdotes longa tunica & aliter vestiti sunt, quàm Laici: ità non est error, cõmunicare aut sub vna, aut sub duab⁹ speciebus. Vis ergò sacraméti non laceratur, nec tollitur per vnam speciem, sicut Apostoli baptizãtes in nomine Christi, alia vtentes forma, quàm Christus pręcepit Matth. vltimo, Actor. 2. Nihil de vi sacramenti abstulerunt &c. Vt igitur qui indignè communicant, iudicium sibi sumunt: ità & qui dignè communicant, multa bona consequuntur. Nam hic est panis vitę, qui de cælo descendit, Iohan. 6.

Rom. 6.

DE APOSTOLICO SACRAMENTO EXTREMAE VNctionis. Cap. 37.

PRIMÒ, nemo est qui non intelligit, quàm sit necessaria homini cõsolatio in extremis, vbi ex vna parte pœna infirmitatis in corpore, torquet & ad impatientiam trahit hominem moriturum: & sathan, qui tunc diligentissimus insidiator est, vt animam trahat in desperationem, propter multitudinem peccatorum, quæ ipse in omibus membris suis commisit per totam vitam, tangendo, videndo, loquendo,&c. Quarè homo ità in extremo mortis agone constitutus, maximè opùs habet consolatiõe, vt in confessione fidei in Christum, & in spe consequendæ misericordię confortetur & roboretur aduersùs insultus & tela sathanæ, Ephes. 6. per orationem fideliũ viuentium & mortuorum: Ob id hoc sacramentum extremæ Vnctionis, primitùs Apostoli ex commissione Christi, quandò missi sunt ad prędicandum Euangelium, vt expellerent dæmones, & infirmos vngerent oleo, Marc. 6. introduxerunt, & docuerunt quoquè formam, qua forma esset celebrandum & distribuendum hoc Vnctionis sacramentum. Iacob. 5. sic legitur scriptum: Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini:& oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, id est, lenibit dolo-

dolorem vel ex toto, vel ex parte: & si in peccatis sit, remittentur ei. Orate ergò pro inuicèm, vt saluemini &c. Porrò non oportet hic solùm respicere ad oleũ, quoniam est sacramentale oleum, & specialis virtus sub illo visibili oleo distribuitur, quæ non distribuitur contemnẽti hoc sacramentum: sicut aqua Baptismi, si solùm ad aquam respiciatur, tunc est res exigua, & ratio humana ꝓ ludicro habet, sicut etiam gentes circuncisionem Iudęorum deridebant: ità si solùm respexeris in panem & vinum, tanquàm res externas & visibiles creaturas, tunc res nõ magni momenti, & ratio humana vilipẽdet: at si fides respexerit ad gratiam & virtutem Dei, quæ sub istis signis distribuitur, tunc res Diuina & ardua est, quam sola fides intelligit, & non ratio humana: sic fides intelligit, quòd sub illo visibili signo elementari aquæ Baptismi, virtus DEI tollit & lauat peccata, sicut aqua sordes. Sic fides confortat sumptione Eucharistiæ & satiatur, sicut panis & vinum corpus naturale confortant: ità sub illo oleo & vnctione confertur gratia quæ sanat, sicut oleum elementare lenit vulnera membrorum corporis & animæ. Oratio quoquè fidei, quã fundunt viuentes & sancti, qui rogantur à viuentibus, vt ipsi orent ꝓ infirmitate huius peccatoris apud Deum, dimissionem peccatorum propter Christum impetrat. Non enim virtus naturalis olei confert hanc virtutem, vt sanitatem donet corporis & animæ: non oleum ipsum, sed sub hac Vnctione rogatur Deus, vt propter dilectum Filium suum, propter misericordiã quam promisit his qui cõuersi fuerint, nunc dignetur hoc concedere huic infirmo. Sic etiam dicit sacerdos vngens: Deus per suam misericordiam, scilicet promissam nobis ꝓpter Christum, dimittat tibi per hãc Vnctionem quicquid oculis, auribus, manibus, ore &c. peccâsti. Et sic oleum tantùm est instrumentũ per quod Deus operatur, sicut per aquã baptismi tollitur peccatum: ex quo appáret, quàm obcæcati sint Hæretici, qui hoc derident sacramentum, & dicunt: Ad quid patiar me ità liniri &c? Sicut etiam Iudæi dicunt, quid crederem in crucifixum hominem &c? sed ità contingere solet, quandò ratio humana tantùm ad res externas illas & visibiles respicit, & illas pro ludicro habet. Sic Hæretici & mũdani homines cæremonias contemnẽtes, tantùm ad aquam benedictam, cereos, vexilla, salem, herbas, vestimẽta sacerdotalia, & alia id genus externa cæremonialia respicientes oculo carnali, ridẽt: non autẽ expendunt quid designent, operentur, conferant hæc singula verbo Dei consecrata, 1. Timoth. 4. & ideò omnia volunt abolere. Nam corrupta & deprauata natura ac ratio hominis, non potest aliter sentire: animalis enim homo nõ percipit ea quę sunt spiritûs. Nos haud quidem fidutiam collocam⁹ in creaturis, sed in promissione Dei & virtute gratiæ, quæ distribuitur sub his Ecclesiasticis sacramentalibus. Sic Naaman princeps militiæ cùm esset leprosus, iussus est ab Helisæo Propheta, vt iret ad Iordanem, & lauaret septiès: tum ipse pro ludicro despexit, & dixit: Nunquid non meliores sunt aquæ Damasci omnibus aquis Israel? putabam quòd egrederetur ad me, & stans inuocaret Deum suum, & tangeret manu sua locũ lepræ, & sanaret me &c. 4. Reg. 5. sed correctus à seruis, qui intelligebant virtutem Dei, quam Deus per verbum Prophetæ operabatur &c. Abijt igitur, & lauit se &c. Sic quoquè faciebant filij Israel, quandò primùm videbant panem cæli, quòd erat ad formam coriandri, despexerunt eum & dixerunt, Manhu? id est, Quid est hoc? quasi dicerent, Vult nos DEVS tali cibo enutrire? sed nondùm sciebãt efficaciam illius, quam Deus contulit comedentibus: Exod. 16. vt etiam cuique ad placitum saperet. Vndè Psalm. 77. Panem cæli dedit eis, qui omne delectamentum in se habebat, pijs scilicet, sed malis non sic sapiebat &cæt. sic ratio & humanum iudicium omnia deridet, sicut & Vnctionem Hæretici. Porrò remissio peccatorum non tribuitur ipsi Vnctioni, neque salus, sicut etiam non est alligata salus creaturis, aquæ Baptismali, pani & vino in Eucharistia: nõ enim vlli operi humano, nec sacramentis, nec cæremonijs Ecclesiæ alligata est salus: sed conscientia hęc potiùs quærit à sanguine & vulneribus Christi: huic testimonium perhibent omnes Prophetæ, remissionem accipere per nomen eius, Acto. 10. & Roma. 3. quem constituit propitiatorem &c. & 1. Iohan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c. Non ergò ligatur nec imputatur remissio peccatorum & salus ipsi oleo, sed virtuti quæ venit ex sanguine Christi, qui solus meruit hanc gratiam remissiõis & sanitatis, & per hoc medium sic nobis gratìs distribuitur, nõ propter medium ipsum, id est, oleum, sed ex promissa misericordia. Nam Deus posset Sap. 16.

sinè omnibus medijs & signis sacramentalibus dare hominibus remissionem peccatorum sinè Baptismo, sinè Pœnitentia, sinè Communione & Vnctione, & gratiam Presbyterij sinè impositione manuũ Presbyterij, sed vult hæc facere per media illa, Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinẽ &c. Si causam quæris, est ipsius Diuina voluntas & institutio. Ex quibus patet, quàm sinè omni fundamento hęc cæremonialia contemnant ac rideant Hæretici. Ex quo ergò sacra Vnctio habet testimonium Ecclesię Apostolicę & veteris quoquè, quòd Vnctio seu Chrisma fuit in perpetuo vsu non solùm cum baptizatis, cõfirmatis, & ordinatis, sed etiam cum infirmis & morituris, vt testantur vetustissimi scriptores in primitiua Ecclesia, sicut est Dionysius, Clemens, Irenæus, Tertullian*, & post illos Augustinus, Cyprianus, Theophylactus, &c. ideò meritò retinetur extrema Vnctio pro salutari sacramento. Præterea quandò solùm infirmi vngi debent secundùm pręceptũ Apostoli Iacob. 5. Infirmatur quis in vobis &c. ideò Ecclesia vngit infirmos, & non omes infirmos, sed illos tantùm quos sentit appropinquare morti, & quorum vita in periculo est: Et hoc ideò, quia infirmitas aliquandò fit propter peccatorum punitionem in hac vita, sicut Christus dicit paralytico Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, propter quę incurristi paralysin: aliquandò etiam ad probationem patientiæ, sicut Ezechias ægrotauit, 4. Regum 20. Et Deus aliquos vult secundùm suam iustitiam in præsenti corrigere &c. Quarè cùm Ecclesia certè scire non potest, vtrùm hæc infirmitas fit ad mortẽ, an non: ideò non statim ab initio infirmitatis vngit, sed expectat donec viderit propè adesse mortem: tunc enim primùm vngit, vt sic purgata anima, libere sinè impedimentis sathanæ migret ad Dominum. Sed porrò instant Hęretici: hęc ceremonia deprauatur per inuocationem sanctorum. Respondeo: Apostolus dicit 1. Corinth. 12. quandò in corpore naturali patitur vnum membrum, cõpatiuntur omnia membra: ex quo igitur nos sumus vnum corp* mysticum Christi, & vnus est alterius membrum, & ipsi sancti in alia vita adhuc sunt nobiscum in illo corpore mystico Christi commembra: nam mors naturalis non diuidit hoc mysticum corpus, quod spiritu est adunitum, & spiritus non moritur, & in eo charitas nunquàm excidit: ideò sancti cùm sint nostra cõmembra, nobis compatiunt, desiderant & orant spiritu à Christo nostram salutem & sanitatem, sicut in naturali corpore vnum membrum modò patitur, & modò gaudet cum altero: Non sancti cõferunt sanitatem, sed vnà nobiscum orant, & hoc idem, quod nos, petũt, iungunt orationes suas cum nostris, vt efficacior fiat petitio, & impossibile est multorum preces non exaudiri. Non adoramus eos, vt ipsi sua virtute hoc nobis præstant, sicut Deus, sed rogamus tanquàm commembra nostra & confratres in fide & dilectione &c. quatenùs nobiscum orent, non dubitantes quin hoc sciant & cognoscant in speculo Deitatis, quod est facies Patris, in quam Angeli infantium intueri & videre dicuntur, Matth. 18. ibi cùm angelici spiritus omnia cognoscant, quandò in terris peccator conuertitur Luc. 15. & tunc gaudent, simili quoquè ratione sanctorum spiritus sciunt & cognoscunt nostras preces &c. Nihil ergò adimitur gloriæ Christi hac petitiõe, quam facimus ad commembra nostra &c.

QVID DE SACRIS ORDInibus sentiendum. Cap. 38.

Considerandum est primò, ex quo ministerium Ecclesiæ magnum admodùm & arduum est officium, ideò etiam maiori ac locupletiori gratia & dono Dei opùs habet, sicut Apostolus etiam innuit ampliorem gratiam & maiora ac plura dona requiri in sacerdotibus, cùm instituit Timotheum discipulum suum, dicens: Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, modestum, corripientem eos qui resistũt veritati, irreprehensibilem, prudentem, pudicum, doctorem, hospitalem, non violentum, non percussorem, &c. Sic quoquè ad Titum suum cap. 1. easdem recitat conditiones seu qualitates, quibus notat, quàm multis donis & quanta gratia Dei præ cæteris hominibus indigeat, qui esse vult sacerdos & minister Ecclesię. Ideò ergò, sacramentum Ordinis institutum est cum impositione manuum Presbyterij, & alijs ritibus, vnctione & oratione Episcopi, quatenùs per hęc visibilia signa externa Deus donet inuisibilem gratiam, & potestatem exercendi legitimè & cum efficacia hoc ministerium in Ecclesia seu populo Dei.

lo Dei. De hac gratia dicit idem Apostolus ad Timotheum: Noli negligere gratiam quę in te est. Et iterùm, Resuscites gratiam &c. Eccè dicit, quę in te est, id est, illa potestas exercendi hoc officium, quæ tibi data est per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij. Est igitur hoc donum, quod specialiter donatur per impositionem manuum Episcopi ad exercendum ministerium sacerdotale in Ecclesia Dei. Nam licèt omnes baptizati, sint sibi ipsis spirituales sacerdotes & reges, qui spirituales offerāt hostias, id est, propria corpora Deo, & inuocationem & immolationem sacrificij laudis, & labiorum sacrificia &c. Hæc in omni loco quilibet baptizatus DEO offerre potest, & sibi esse rex ad imperandum sibi, & domandum concupiscentias. Ad huiusmodi hostias faciendas, omnes sumus sacerdotale genus in Baptismo & per fidem, sicut Petrus dicit 1. Epist. 3. Sed aliud est officium, esse ministrum corporalem Ecclesiæ ad prædicandum, baptizandum, sacramenta dispensandum, absoluendum, &c. quod officium super multos homines ordinatur, non propter solam propriam personam. Ideò sic non sunt omnes ex æquo ministri Ecclesiæ, sed à principio Ecclesię vsque nunc, aliqui sunt electi & separati ad ministerium Ecclesię & Apostolatum, vt prędicta exercerēt officia. Et sic Christus baptizatos Apostolos Iohan. 3. facit posteà ministros verbi & Ecclesiæ suæ, & dat illis potestatem prædicandi, Ite in orbem &c. absoluendi, quorū peccata remiseritis &c. consecrandi, Hoc facite, id est, consecrate corpus & sanguinē meum &c. Aliàs non opùs fuisset, vt eos ad hęc ordinâsset, & ecclesiæ suę ministros præfecisset, si ex Baptismo essent sacerdotes. Sic & Paulus iubet Titū, vt constituat oppidatim Presbyteros: quarè hoc iussit, si omnes iam erāt sacerdotes? an nō eò, quia hoc aliud & diuersum est officium ac mandatum ab illo spirituali sacerdotio? & item, Qui Episcopatum desiderat, opus bonum desiderat. 1. Tim. 3. quòd si vnusquisque baptizatus id habet, cur desiderat? Ab initio igitur Ecclesiæ Christianę semper fuerūt aliqui ordinati in sacerdotium: Sectæ autē cùm insurrexerunt, proprios sibi ordinàrunt ministros, exemplo Ieroboam Regis, qui in derogationē legitimi sacerdotij Aaronis, sibi propriòs elegit de nouissimis virorum sacerdotes. Sed hoc prædixit Paulus, futurū esse tempus cùm coaceruabunt (scilicet Sectæ) sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditū auertent, &c. quasi dicat, Eligent sibi prædicatores, qui dicant quę sibi placent, non electos nec ordinatos ab ordinaria Ecclesiæ potestate: & Matth. 7. dicitur, quòd venient (scilicet falsi prophetę) non vocati, nec ordinati. Porrò inquiunt: Ad quid valet illa inunctio, aut esse inunctū & oleatum sacerdotem? Ex Euangelio sumus sacerdotes, & nō vncti, sicut nec Petrus nec Paulus fuerunt vncti: cessauit enim Aaronica vnctio &c. Respond. Christi sacerdotium est aliud, quàm fuit Aaronicum, quia nos personæ Christi seruimus, & illum in alijs cæremonijs ac vestimentis colimus, quàm Aaron fecit. Vestimenta nostrorum sacerdotū, designant Christi vestimenta quę habuit in passione, vt Albula vestem illam, qua induit eum Herodes: Cingulus, vinculum quo ligatus erat: Casula, purpurā seu coccinum, quibus in corona spinea spectabatur &c. nec nostri sacerdotes tractant sanguinem hircorū sicut Aaronici, sed sanguinem agni immaculati, Hebr. 9. Vestimenta ergò sacerdotū Christi, non habent Mosen authorem, sed Spiritumsanctum, Ecclesiæ Christi præsidentem, qui talia suggessit Patribus, nempe hæc sacerdotalia ornamenta & vnctionem, vt esset iocunda & decora laudatio. Vnctio autem ex eo venit, vt sub illa visibili & externa vnctiōe detur Spiritussanctus, qui intùs vngat veritate, vt rectè & in veritate ac cum fructu denūcietur verbum Dei ad Euangelizationem: Et quanquàm omnes Christiani dicant vncti, non tamen ad Euangelizandum omnes, sed ad militandum cōtra sathanam & mundum: Nam Christus dicit se vnctū esse ad Euangelizandum, sicut etiam Esaiam de se vaticinantem recenset Lucas 4. Spiritus Domini super me, propterea quòd vnxit me, ad Euangelizādum pauperibus misit me. In hac vnctione soli sacerdotes communicant Christo. Nam vt officium Euangelizandi eo efficaciùs impleant & cum maiori fructu, vnctione spiritûs intrinsecùs per extrinsecam vnctionem vnguntur. Nec sacerdotes sibijpsis solis vnguntur vnctiōe illa spiritûs, sed etiam populo & Ecclesijs, quibus iure præficiuntur. Nam dator bonorum Spiritussanctus, sicut donat veros Ecclesiæ pastores, sic specialiter vngit eos intùs, ad hoc ministerium efficaciùs perficiendum. De hac vnctione dicitur 1. Iohan. 2. Vnctio eius docet vos de omnibus. & ite-

Marginal notes: 1. Tim. 4. — 2. Tim. 1. — 2. Ti. 4. — Esai. 61.

& iterùm, Vnctio quam accepistis ab eo, id est, Spiritusancto, manet in vobis, id est, hæc potestas, donum, character, est & manet in vobis. Ex quo igitur nunc Ecclesia habet testimonium veteris ecclesiæ, quòd initio sacerdotes in ordinatione sunt vncti, vt patet in Dionysio cap. 2. parte 2. Et Augustinus in Epist. 111. vbi multa notantur de ordinatione sacerdotum, ideò Ecclesia Catholica adhuc suos sacerdotes ordinat & vngit, vt eo fructuosiùs per virtutem Spiritussancti ministeria ecclesiæ perficiant: cum quo enim fructu morũ ac pietatis, Hęretici sacerdotes hęc officia vsurpent, & an Spiritussanctus illis cooperetur, ipsa rerum testimonia probant. Porrò magna quæstio est, & ante annos plùs mille agitata inter orthodoxos patres, quę etiam nõ potuit sinè Conciliorum authoritate diffiniri, vtrùm illi qui post consecrationem & ordinationem sacerdotalem fierent Apostatę seu Hęretici, verè conficerent sacramentum, & cum efficacia baptizarent, absoluerent, ordinarent &c. & multo minùs id posse eos, qui non essent consecrati ritu Catholico &c. De primo dubitârunt Cyprianus & septuaginta episcopi, qui omninò negârunt: at Cornelius Papa per totam Italiam cõtrariam partem defendit, ità quòd consecrati & posteà facti Hæretici, rectè quidem baptizarent, absoluerent, &c. sed cum nulla efficacia, eò quòd Spiritussanctus hîc non est efficax, sicut quandò peccator contra legem Dei enormis, attamen in peccato orat: & orat quidẽ rectè, sed sinè efficacia &c. Redire tamen dixerunt efficaciam, quandò ad Ecclesiam redierint, ità quòd non sit opùs reiterare in baptizatis baptismũ, aut aliter ordinare &c. sed quandiù manent Hæretici aut Schismatici, omnia ipsorum sacra ministeria esse inefficacia. De secundo, nempe de ijs qui nõ essent ritu Catholico ordinati, an illi verè consecrarẽt, &c. Nullus est inuentus inter omnes Doctores orthodoxos, qui hoc affirmâsset. nihil enim efficiunt, cùm non sint legitimè ordinati, & sint etiam Hæretici extra Ecclesiam, id est, corpus Christi mysticum, vbi Spiritussanctus non est neque operatur, sicut vita non est in membro absciso aut putrefacto, neq; viuificatur à naturali corporis spiritu. Sed instât Schismatici: Christus nos vocauit per spiritum suum, vnxit per verbum suum, communio populi nos vocauit, Superintendentes nobis manum impoluerunt &c. Respond. quis vos sanctificauit & populum aut principes vestros, quòd Deus vos vocârit & vnxerit, & quòd à Superintendentibus acceperitis Spiritumsanctum, cùm & ipsi non sint ordinati? An non Deus dedit Superioritatem in Ecclesia, quæ est minister Dei, Rom. 13. & caput ministeriale, vt Gregor. inquit, & quoscunque illa ordinat, hos Deus approbat, quandò non est contra verbum suum: nam quæ à Deo sunt, illa ordinata sunt. Sed cùm Superintendentes sese ingerant sinè potestate ordinaria spirituali, cui incumbit vocare, sicut Paulus vocauit & ordinauit Timotheum & Titum, & illi alios Presbyteros successiuè, electio & ordinatio nunquàm concessa fuit Laicis, sed benè approbatio siue assensus: & ipsi Superintendentes sunt Sectarij, & nulla ibi est certitudo, nec vlla efficacia, ideò fugiendi sunt. Iudicium autem doctrinę prędicatorum, non penès ipsos aut populum est, sed penès prælatos ECCLESIAE: nam nullus Hæreticorum vult suum errorem agnoscere pro errore &c.

DE PRIMA MISSA, QVAM CHRISTVS POST COENAM celebrauit. Cap. 39.

SCIENDVM est primò, quòd Christus ipsemet corã Discipulis in cœna hoc fecit, quod in singulis Missis facit sacerdos eius iussu & præcepto: nam seipsum obtulit Patri in cœna sub speciebus panis & vini, non vt illa oblatione meruisset remissionem & salutem toti mundo, sicut meruit in oblatiõe crucis: sed ideò sese obtulit sub illis speciebus Patri, vt sequens pœnalis hostia crucis, esset salutaris & fructuosa om̃ibus credentibus, & illis subueniret in salutem, sicut etiã orat in horto, vt mors sua omnibus prodesset. De illa Missa & oblatione prædixit longè antè Dauid Psal. 109. scilicet quòd Christus esset futurus sacerdos secundùm ordinẽ Melchisedech in æternum, & non secundùm ordinem vel institutum Aaronis. Nam inter omnes sacerdotes, qui in veteri Testamẽto fuerunt, solus fuit Melchisedech, qui vinum & panem obtulit ad gratiarum actionem pro victoria Abrahæ, sicut legitur Genes. 14. Hebr. 7. Erat enim ille Melchisedech sacerdos altissimi. At fuit illa oblatio figuratiua, qua vinum & panem obtulit Melchisedech futurę oblationis in ecclesia, qua sub speciebus pa-

bus panis & vini verum Christi corpus & sanguis Deo Patri offertur. Christus igitur primò ipsemet impleuit hanc figuram (sicut propheta Dauid prædixit de eo) in cœnai obtulit seipsum patri sub speciebus panis & vini. Nam nullibi legitur quòd Christus satisfecerit huic dicto Prophetico, Tu es sacerdos in æternum &c. & hoc idem iussit facere sacerdotes Euangelicos & Apostolicos, & hoc in hodiernum vsq; diem à singulis sacerdotibus obseruatur. Huius doctrinę sunt multi testes & viri orthodoxi, qui sic nobiscum docent, quòd Missa sit impletio istius figuræ, qua Melchisedech obtulit panem & vinum, quam figurā Christus ipse in cœna primùm perfecit. Sic martyr Cyprianus lib. 2. Epist. 3. Sic Arnobius, Damascenus, Augustin' de doctrin. Christ. lib. 4. cap. 21. Ambrosius de Sacramentis lib. 4. Sic Chrysostomus, Theophylactus, Roffensis, & plurimi alij Doctores Ecclesiastici & Scholastici sentiunt, quorum testimoniū validum est & superat omnes hæreticos. Deindè ex istis testimonijs Scripturę & sanctorū Patrum agnoscit Ecclesia duplex sacrificium, quæ vtraq; vnum sunt in substantia, sed in modo & ratione offerendi diuersa sunt. Vnū in cruce, id est, cruentū sacrificiū: alterum in cœna sub speciebus panis & vini, in quibus se Christus secundùm ordinem Melchisedech, id est, corpus & sanguinē Patri obtulit, & sic instituit & inchoauit perpetuum sacrificium noui Testamenti, quod etiam Apostolis & eorū successoribus iniunxit, vt facerent in suam cōmemorationem, id est, passionis & primi sacrificij, Lucæ 22. vsq; ad finem mundi. Et sic ex instituto & mādato Christi adhuc hodiè in Ecclesia tractatur hoc sacrificium Missæ. Insupèr sicut modus & forma faciendi hæc duo sacrificia, differunt & diuersa sunt, sic etiā virtus & fructus vel vsus diuersus est. Nam per sacrificiū crucis impetrauit Christus à Patre toti mundo remissionē peccatorum, & perfectam redemptiōem omniū eorum quę ad salutē sunt necessaria. Aliud autem sacrificium est solum ad cōmemorationē cruenti illius sacrificij institutum, & Ecclesiæ commissum, vt per illud sinè sanguine & pœna ipsum Christum Patri cælesti offerre debeamus, non quòd nos per illud remissionē peccatorū & redemptionem de nouo mercamur, sed vt hæc duo sicut in cruce ꝓmerita sunt per Christum, per nostrā fidem & deuotionē cordis applicemus, ijsq; fruamur, & in hoc sequamur Christi institutum & commissionem, qui iussit hoc facere in sui cōmemorationem: hoc est, vt per memoriam siue cōmemorationem illam & per merita passionis, Patrē pro impetranda propitiatione & remissione peccatorū ad salutem animarum nostrarū & aliarum necessitatum rogemus atque inuocemus. Et quanuis sit necessaria fides ꝓpria illi, qui vult appræhendere efficaciam sacrificij crucis, voluit tamen Christus hanc ideò cæremoniā offerendi sub specieb⁹ illis instituere, & pręcepit vt eo efficaciꝰs per orationem sacerdotis in Missa circa corpus & sanguinem Christi tibi applicetur, vt Deus te habiliorem reddat ad appręhendendā fide & cordis deuotiōe huius sacrificij crucis virtutē &c. Posset quis sinè Baptismo aquæ per fidem sibi applicare remissionē peccatorū, sed tamen vltra fidem illam etiam est præceptum & instituta cæremonia baptizandi in aqua, Matt. vltimo: ideò si quis contemptor est istius baptismi in aqua, fingat sibi quantùm velit applicationē per solam fidem propriam, attamē non sequetur remissio peccatorum: est enim volūtas Dei, sic per media illa sacramētalia ac cæremonias appræhendere ꝓmissionem vnà cum fide. Sic ordinauit Christus hanc cæremoniam Missæ & sacrificium spirituale, per quod nobis vnà cū fide distribuit & communicat virtutem sacrificij crucis. Si ergò quis contemnit hoc, & propriam iactat fidem, hic non fit particeps, eò quòd contemnit sinè causa ordinationem Christi, nec etiam tua fides sola consecrat sinè additione verborum Christi. At instant, licèt hoc cōcedatur, quòd Christus in cœna sese obtulit Patri sub speciebus illis, & sic Missæ sacrificium instituit, id tamen nō fecit in specialibus Indumentis, Alba, Casula, &c. nec cum cereis, campanis ac cæremonijs altaris, &c. Respond. Hoc nemo negat, attamen duo sunt in Missa, nempe substantia rei & accidens. Substantia Missæ consistit solùm in verbis cōsecrationis, quę in omni Missa dicuntur. Matth. 26. Hoc est corpus meum &c. Accidens verò Missæ, sunt cæremoniæ, quę propter ornamentum sacrificij à Patribus veteris Ecclesiæ à tam longo tempore per instinctum Spiritussancti sunt ordinata, & per totum orbem celebrata propter maiorem deuotionem excitandam & conseruandam in cordibus simplicium: omnia tamen sunt in eum finē ordinata, vt nos moneant passionis Christi. Sic vestimenta sacerdotalia

Psa. 109.

designant nobis vestimenta, quibus Christus in passiõe sua fuit indutus. Sic extensio brachiorum & signationes crucis, ducunt nos in signum & formam, quomodò ipse pependerit in cruce. Vtimur autem frequenter signaculo crucis contra sathanam & terrores, & ad benedicendum creaturas, quia in cruce sumus redempti & facti benedicti. Galat. 3. Factus pro nobis maledictum, vt benedictio Abrahæ &cæt. Non horremus aut fugimus Christũ crucifixum aut eius crucem, sicut Iudæi, gentes & dæmones faciunt. Atq; ideò obedimus ordinationibus & cæremonijs Patrũ nostrorum, tam circa hoc sacrum, quàm circa alia, non tanquàm necessarijs ad salutem, vt nos per ea mereamur remissionem peccatorũ & alia bona: hęc enim non sunt alligata his cæremonijs, sed virtuti sacrificij crucis Christi: quin vt omnia ordinè fiant in nobis, 1. Cor. 14. & vt Deum nostrũ
Psa. 146. iocunda & decora laudatione afficiamus. Prætereà ex quo vniformitas cæremoniarum causa est vnionis in ecclesia, & difformitas causa est dissensionis: videant ergò prophanatores illi Sectarij, qui solùm vt populo aliquid noui persuadeant, sinè iusta causa & ratione non aliquas, sed omes ex æquo abolent cæremonias, quę tamen sinè omni periculo & superstitione possunt tolerari: sed sinè dubio & ipsos conturbabit Deus. Sunt autem in Missa nostra multa accidentia, nempe orationes, gratiarum actiones, laudes. Vndè & Missa dicitur sacrificium laudis, & gratiarumactionis, & orationis seu postulationis: & in hoc imitatur Ecclesia exemplum Chri-
Iohã. 17. sti, qui in oblatione cœnæ multas orationes ad Deum Patrem fecit pro conseruatione Discipulorum, deindè omnium credentium in communi. Iohan. 17. Conserua eos Pater, quoniã sunt in mundo. Item, Fac Pater vt vnum sint, sicut & nos. Porrò quotiès celebraĩ Missa, tum Ecclesia cum diligentia obseruat præceptum Apostoli, qui in 1. Epist. ad Timoth. cap. 2. præcipit fieri debere primò obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarumactiones pro omnibus hominibus. Deindè pro regibus & omnibus in sublimitate constitutis &c. Hæc omia ordinè fiunt in Missa, sicut Augustinus Epist. 59. ad Paulinum testatur fieri obsecrationes propter Christi mortem in Introitu, in Canone orationes, Collectas, Postulationes, in Complendis gratiarumactiões &c. Insupèr habet testimonium Ecclesia omnium Patrum, quòd hostia semper eximijs orationibus fuerit benedicta, & cum gratiarumactione finis impositus Missæ, sicut testatur Chrysostom⁹ super Mattheum, Homilia 83. & in libro de officio Sacramentorum c. 30. Basilius mag. lib. de Spiritusancto cap. 27. Theophylactus in Marcum, cap. 14. Gregorius Epist. 63. ad Iohannẽ Episcopum Syracusanum, Ambrosius de Sacramen. li. 4. ca. 5. qui etiã Canonẽ, quo adhuc vtitur Ecclesia, ferè verbotenùs passim in suis libris, quos scripsit, cõmemorat. Pręterea ad hoc sacrificium faciendũ ordinauit Deus specialiter sacerdotiũ noui Testamenti, cũm inqt Luc. 22. Hoc facite, scilicet quod ego feci modò in cœna sub speciebus panis & vini, vbi dat Apostolis potestatẽ cõsecrandi & offerendi, quę potestas non est communis ex ęquo omnibus concessa, sed specialibus personis: sed sumere sacramentũ, omnibus fidelibus cõcessum est, non aũt consecrare. Ab initio ergò singulariter & specialiter sunt electi & ordinati sacerdotes &cæt. In Ecclesia Catholica, qui habẽt hoc sacrificium laudis, vt dictum est &c. ità credidit antiquitùs tota Ecclesia, & creditura est vsq; ad consummationẽ seculi.

DE CANONE CATHOLICAE MISSAE.

Cap. 40.

Notandum igitur est, quòd Canon Missæ est regula eorũ verborũ, quæ circa verba Christi sacerdos profert, quandò vult benedicere & consecrare panẽ in corpus, & vinũ in sanguinẽ Christi. Notanter aũt dico, ꝙ verba Canonis circa verba Christi dicunĩ ad ornatũ sacraměti & deuotionẽ atq; fidẽ excitandã. Christi aũt verba sunt Matt. 26. Hoc est corpus meum, Hic est sanguis &c. Virtute igiĩ illorũ verborũ, quæ sacerdos nõ in sua persona, sed Christi dicit, consecraĩ & mutaĩ panis in corpus, & vinum in sanguinẽ. Sola hæc verba consecrant, non alia verba Canonis aut maioris aut minoris: ideò hęc verba Christi ante oĩa pręferunĩ cæteris verbis, q̃ Canon in se habet. Fit igiĩ vera cõsecratio authoritate Christi, q̃ hoc iubet Luc. 22. In his verbis Christi cõsistit summa Missæ, q̃ verba aliquandò in initio ecclesiæ fuerũt ꝓlata super panẽ & vinum sinè alijs verbis additis, excepta oratiõe dominica, & sinè vestimẽtis & alijs cæremonijs ecclesię. Nã sicut dicitur Acto. 2. quòd erant perseuerantes in doctrina, oratione, & fractione panis: hic nihil

nibil legitur additum esse Missæ, nisi prædicationem, orationem & consecrationem: de nullo vestitu, crucibus &c. attamen non sic nudè sunt lecta verba Christi in fractione panis. Nam & doctrina, id est, prædicatio & oratio affuit, quandò Apostoli celebrârunt Missas. Postquàm autem fides Christi creuit & confirmata fuit in cordibus fidelium, tunc ordinatæ sunt à Patribus cæremoniæ & Canones, id est, regulæ verborum ac vestimentorum ad excitandam deuotiõem populi, & quatenùs omnia debitè, honestè & ordinè fierent, 1. Corinth. 14. Ideò Apostolorum temporibus addita sunt multa ad decorem & ornatum sacramenti, non quòd essent de necessitate sacramenti aut salus indè acquireretur, sed ordinis causa & deuotionis: & sic etiam Canon Missæ, id est, forma verborum, qua vtitur sacerdos ante & post consecrationem, ordinatus est in eum finem ornatûs & deuotionis causa. At hoc diligenter notandum est, quòd quædam sunt verba quæ dicuntur à sacerdote super panem & vinum ante cõsecrationem & mutationem, non ea intentione, quòd iam est panis & vinum in sua naturali substantia, sed quod mox erunt post recitationem verborum Christi. Exemplum: sacerdos dicit super panem & vinũ ante consecrationem, nempe, hęc dona, hęc munera, hęc sancta sacrificia illibata &cæt. sed talia nondùm sunt, at mox post consecrationẽ talia erunt: nõ igitur sic hęc verba dicit sacerdos super panẽ & vinum ante consecrationem, vt ex eo impetret remissionem peccatorum, vt prosit viuis & defunctis, sed vt id faciat virtus passionis Christi, qui in cruce hæc meruit, quæ virtus post consecrationem erit realiter sub istis speciebus. Intentio igitur sacerdotis non respicit ad naturalem panem & vinum, sed in hoc quod hęc duo mox futura sunt, id est, corpus & sanguis Christi, quod corpus traditum est & sanguis fusus. Hoc enim est donum Dei sanctum, illibatum sacrificium. Hoc Deo Patri sistimus & offerimus, vt propter illud nobis propitietur, & parcat negligentijs nostris. Hoc dum offertur, pro tota Ecclesia & omnibus fidelibus & circunstantibus offertur, & fit petitio, vt Deus omnium nostrûm misereatur propter effusum sanguinem. Nemo vnquàm sacerdotum fuit tam indoctus, qui dixerit quòd naturalis panis & vinum ante consecrationem nobis conferrent remissionẽ peccatorũ, & essent illibatum sacrificium &c. quod pro omnibus offertur. Sed intentio semp in hoc dirigitur, quod fiet in futuro, non quod est vinum & panis, idq; post ꝓlationem verborum Christi. Sic eodem modo loquendi vsus est Deus ad Rebeccam, quę habuit duos gemellos in vtero, qui se collidebãt, Genes. 25. Duo populi sunt in vtero tuo, & maior seruiet minori. Hic Deus nominat duos populos, qui tunc non erant in vtero Rebeccæ, sed postquàm gemelli nati sunt, ex illis posteà creuerũt duo populi. Sic hîc nominatur vinum & panis sacrificium illibatũ, nõ quod iam sit, sed quod mox futurum post consecrationẽ verborum. Sic Abraham pater multarum gentium dicitur, nõ quòd iam esset, sed quòd futurus erat, Genes. 17.

DE TRIPLICI SACRIFICIO, VNO IVDAEORVM, ALTERO Christi in cruce, tertio missę. Cap. 41.

ADuertendũ igitur primò, quòd ab initio mundi fuit semper religio quædã & cultus Diuinus: insitũ enim est naturę humanę, Deum conditorem esse colendum, esse timendũ, & ei seruiẽdum. Hinc factum est, quòd licèt sæpè erratũ sit inter gentes de vero Deo, vt loco veri Dei idola extruerent, & ea putantes Deum esse, sathanam coluerunt, & eos quidẽ honorârunt varijs cæremonijs, inter quas cęremonias gentes semper pro pręcipuis habuerunt cæremoniam sacrificij, & sic varias oblationes animalium, & etiam homines sæpè ex sathanę instinctu sacrificârũt, quatenùs deos suos sibi reconciliare possent. Ex quo autẽ Deus sathanã confudit per verbũ suum, quod sancti Prophetæ & Patres ab initio docuerunt, quòd eiusmodi cultus sathanæ esset falsus, & sacrificia gẽtilium essent abominatio, & dij gentium dæmonia Psal. 113. & quòd verus Deus nõ coleretur nec placaretur huiusmodi sacrificijs gentiũ, nec Deus propter hæc sacrificia aliquid daret, vel remissionẽ peccatorum, vel prosperitatẽ, vel salutem, vt ipsi putabant, sed hunc cultum esse ex toto falsum; ideò cessauit iste modus gentium & religio vnà cum sacrificijs. Nam & Prophetę diligenter laborârunt per suos sermones, vt tolleretur ille cultus. Deindè ex quo homines sic offerre consueti ab initio mundi, sicut patet de sacrificio Abel & Cain, Gene. 4. vt meliùs

ac saniùs docerentur & informarentur ad veram Dei sui cognitionē & verum intellectum, ordinauit Deus per Mosen in lege veteri varia sacrificia animalium, vaccarū, vitulorum, hircorum, turturū &c. vt patet Leuit. 1. 2. 3. 4. non vt illis Mosaicis sacrificijs coram Deo homines reconciliarentur, vel remissionē peccatorū & salutem impetrare possent: nā iuxta Apostolū Hebr. 10. Sinè fide impossibile est placere Deo &c. sed erāt figuræ vnius sacrificij Christi, cuius sanguis effusus, esset toti mundo allaturus salutem, remissionē peccatorū, reconciliationem &c. Et sic agnus, id est, Christus occisus est ab initio, Apocal. 13. & sic illa occisio & effusio sanguinis & oblatio animaliū apud Iudæos erant figuræ & signa, quòd vnus deberet occidi, offerri & sanguinē fundere pro salute totius mundi, sicut Iohan. Baptista digito monstrauit
Iohan. 1. Christū, dicens: Ecce agnus qui offertur, & qui solus tollit peccata mundi suijpsius immolatione, non agnus aut vitulus Iudæorum. 1. Iohan. 2. Ipse est ꝓpitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autē tantùm, sed etiam pro totius mundi. 2. Corinth. 5. dicit Apostolus, Deus verè sibi mundū in Christo reconciliauit. Sed hóc vocabulum mundus, non accipiendum est pro vnius tēporis, sed pro omnium temporum hominibus, ità vt quotquot homines omni tempore & ab initio mundi saluati vnquàm sunt, non nisi per vnicum illum Christum aut futurum aut præsentem saluati sint, iuxta illud omniū salus ex virtute illius sacrificij crucis pendet, Christus heri & hodiè &c. Hebræ. 13. Vt igitur per hęc externa sacrificia Iudæorum siue legis esset iugis memoria futuri sacrificij, in quo Deus omibus ꝓmisit salutē, quatenùs homines illius præsentiā magìs appeterent & desiderarent, magisq; in fide illustrarētur omi die, & maximè in sabbatho, facta sunt eiusmodi sacrificia ad excitandā fidem in futurū sacrificiū siue hostiā Christi: ideò & circa hęc sacrificia habebāt laudes & gratiarum actióes ꝓ varijs beneficijs Dei &c. Et sic Iudęi magìs illuminati erant in fide, quàm Gentes: quia Iudęi sciebāt, animalia oblata sibi non conferre salutē, sed esse figurā & signū futuri agni immolādi. Gentes aūt nihil de fide curantes, putabant sacrificia sua ex opere operato sibi conferre salutē, prosperitatem &c. Nam Iudęi habebant Scripturā Psal. 49. vbi Dominus dicit, quandò esurio, non dicam tibi: nam omnis terra est mea, & omnis plenitudo eius. An putas me de bobus carnes manducaturum, & de sanguine hircorum bibiturum? At si quæras, an frustrà & sinè fructu Iudæi illa sacrificia vitulorum, vaccarum, agnorum &c fecerint, & an nil meruerint? Respon. Hęc sacrificia tantùm signa erant, quibus figurabatur & significabatur fides in futurum Christum, & hęc fides cōmunicabat etiam fructus illius salutaris futuri sacrificij Christi, id est, remissionem peccatorum, gratiā Spiritussancti, & promissionem salutis: attamen quoniam in tali fide huiusmodi preciosa sacrificia obtulerunt boues pingues, vitulos &c. Deus illa remuneraunt varijs beneficijs & donis temporalibus, sicut Lex varias habet promissiones, Exod. 20. Leuit. 26. Deut. 28. Porrò adueniente nunc tempore gratiæ, misit Deus filium suum in mundum, vt esset verus agnus qui offerri deberet pro peccatis totius mūdi. Iohan. 1. Ecce agnus Dei &c. & super illo posuit omniū peccata, q sunt in toto mundo, Esai. 53. in hoc statuit Deus sibi reconciliari omnia, & quę in cælis & quę in terris essent, Coloss. 1. Ideò nunc venit verum illud sacrificium, super quo fides Patrum veteris Testamenti quieuit & collocata fuit, quidnā animalia occisa & oblata in Lege significārunt: atq; sic quicquid Scripturę de futuro illo sacrificio perhibuerunt, impletum est. Ex quo nunc sequitur primò, quòd solum est vnum meritorium sacrificium, quod habet efficaciam delendi & tollendi peccata hominum, id est, quod solum meruit omnibus hominibus remissionem peccatorum & salutem, & hoc sacrificium CHRISTI homines qui à Deo separati & iræ Diuinæ ac condemnationis rei erant, reconciliauit Patri, & toti generi humano salutem meruit, nempe hoc salutare CHRISTI sacrificium, per quod ipse cùm se in victimam crucis pro peccatis omnium vltrò offerret in æternum, sanctificatos fideles perfectos reddidit. Nullum ergò aliud opus propiciatorium aut sacrificium est in mundo, quod remissionem & salutem mereatur, sed hoc reseruatur huic vnico sacrificio. Insupèr ex quo hoc meritum CHRISTI aliundè non augetur, quia est perfectum, nec etiam potest euacuari, quia est æternum: ideò alia opera, merita & sacrificia nihil apponunt vel adijciunt huic sacrificio, nec per seipsa quicquam mereri possunt, id est, siue remissionem, siue salutē: sed solùm sunt appropriatiua per fidem huius fructuum sacrificij, & re-

& retentiua eius vnici sacrificij ac memoriæ in cordibus hominum, & effectiua. Nam per opera mala amittitur iterùm fructus & efficacia huius sacrificij,& fides etiam roboratur, & gratiæ aguntur Deo pro collatis beneficijs. Manet igitur hoc Christi sacrificium semper in sua virtute, sicut fuit ab initio, & nunc & semper vsque in diem nouissimum, quod solum præstat remissionem & salutem, quia hac vnica oblatione, qua intrauit sancta Sanctorum, id est, crucem, æternam repperit redemptionem, Hebr. 9. Sic semel obtulit seipsum cruento & mortali modo in cruce, & sic ampliùs non offertur, nec offerri potest. Roman. 6. Ampliùs non moritur, nec mors illi vltrà dominabitur,& cætera. Sic nullus homo potest offerre ipsum Deo Patri, sed ipse solus semetipsum obtulit Patri semel in cruce cruento & mortali modo. Galat. 1. qui dedit semetipsum. Ephes. 5. Qui obtulit semetipsum hostiam in odorem suauissimum Deo. Non igitur hodiè sic offerimus DEO Christum, nec vnquàm factum est hoc ab homine sano, sed hoc solus CHRISTVS est & fuit &c.

Prætereà sicut ante CHRISTI aduentum Deus in lege aliqua sacrificia dedit, per quæ Iudæi memoriam magni illius sacrificij, quod ipsi futurum expectabant, in cordibus suis excitabant, fidem confirmarent, atque sic fructum eius sibi applicarent, recolerent, & grati essent beneficiorum Dei, sic Deus Christus Ecclesiæ suæ illibatũ & salutare sacrificium corporis & sanguinis sui sub specieb⁹ panis & vini pręcepit, per quod nos fideles iugiter memoriam corporis & sanguinis sui, qui pro nobis & peccatis nostris effusus est, Matth. 26. in cordibus nostris excitaremus ac renouaremus,& fructum & efficaciam cruenti illius semel facti sacrificij nobis applicaremus per fidem. Fides enim appræhendit sacrificij huius virtutem, & hæc fides exercetur per externam cæremoniam Missæ. Hoc quoquè iussit Christus facere in commemorationem passionis suæ, id est, vt gratitudine cordis nostri recoleremus mortem ipsius, & per illam commemorationem & merita passionis Deum patrem oraremus, vt nobis propitius esse velit, sicut etiam in omni Missa dicuntur hęc verba, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Iohã. 1. & in singulis Collectis oramus misericordiã & gratiam per Dominum nostrum Iesum Christum, id est, propter eius effusum sanguinem: hoc etiam iubet Christus Iohan. 16. Rogate Patrem in nomine meo &c. Ex quo iam patet, quomodò Missa non est cruentum sacrificium, quo Christus obijt in cruce, sed solùm commemoratio istius sacrificij, sed & alio modo sacrificium orationis ad Deum Patrem Missa est. Ideò Missa non meretur remissionem peccatorum & salutem, sed est orationis sacrificium, cùm fide nostra & oratiõe Christum Patri sistimus & offerimus, & petimus vt propter ipsum velit nostrî misereri, & distribuere fructũ & efficaciã cruenti sacrificij in cruce. Non igitur de nouo occidimus aut crucifigim⁹ Christum, nec etiã de nouo meremur per Missam remissionem & salutem, sed quatenùs promeritam per Christum remissionem peccatorum & redemptionem, per fidem & cordis deuotionem nobis applicemus & appropriemus, & quatenùs Deo gratias agamus pro salute, quam Christus meruit nobis in cruce: ideò rectè dicitur sacrificium laudis & gratiarũ actionis. Insupèr ex quo idẽ corpus & sanguis, quod in cruce oblatũ est, vbì Christus seipsum obtulit Patri cruento & pœnali modo, nunc incruento & clarificato modo post resurrectionem est in sacramento sub speciebus panis & vini veraciter: ideò eadẽ & vna oblatio est, nõ aliud vel nouum sacrificium distinctum à sacrificio crucis. Ideò propter præsentiam veram corporis & sanguinis CHRISTI, dicitur sacrificium spirituale: Non tamen sic est sacrificium, vt est sacrificium labiorum, orationis aut contriti cordis, Psalm. 50. vbì solùm propter nomẽ Christi petimus misericordiam, non autẽ collocamus Deo Patri corpus & sanguinem Christi, sicut hîc facimus in Missa, vbì cum fide & oratione etiam ipsum corpus pro nobis traditum & sanguinem fusum Patri offerimus, sicut filium regis regi, vndè magis ipse rex mouetur. Ideò omnes Catholici Patres & Sancti nominant & tenent Missam pro sacrificio vero, & tamen laudis, quo nobis omnia communicantur, est sacrificium. Voluit igitur Christus frequentem esse in Ecclesia memoriam suæ passionis, & ideò iussit etiam corpus & sanguinem celebrari & consecrari,& esse pręsens propter maiorem deuotionem & fidem, sicut ait Luc. 22. Hoc facite, quod scilicet ego iam in cœna feci; & sic ego adero, sicut iam verè adsum, & me do Apostolis manducandum & bibendum,

vt sic renouetur in vobis mea dilectio, qua vobis seruiui, meipsum in mortem offerendo: ecce corpus meum quod pro vobis tradetur, &cæ. Vt igitur patres veteris testamenti fidem testabantur futuri sacrificij suis oblationibus, ità nos iam sacrificio missæ fidem, quòd redempti sumus: & gratias agimus, & petimus nobis communicari fructum & efficaciam: quomodò ergò res mala est Missa, vt impiè calumniantur hæretici? Est igitur corpus & sanguis Christi, sacrificiũ pro peccatis totius mundi: vbicunquè ergò fuerit idem corpus & sanguis, hic quoquè est sacrificium: non propterea perdit nomen sacrificij caro & sanguis Christi in sacramẽto Eucharistiæ: ergò quo ad suam personã, Christus semper est & manet sacrificium, vbi realiter fuerit, sicut in Sacramento: apud nos tamẽ est sacrificium laudis, id est, memoria istius vnici sacrificij crucis &cæ. Cæremonia igitur Missę non est ipsum sacrificium, sed sub his caro & sanguis Christi offertur Deo patri, & ipse oratur, vt hoc opus quod filius eius perfecit, respicere dignetur, & ità nostri misereatur. Non igitur propter opus nostrum vel cæremoniam petimus exaudiri, sed propter opus quod Christus fecit in cruce, sicut aquæ & cæremonię baptismi non sunt ipsa remissio peccatorũ, nec salutem vllam conferunt, sed tamen fides sub hac cæremonia appræhẽdit promissionem & haurit &c. Prætereà quia ministerium vel Sacerdotiũ in Ecclesia non solùm concernit doctrinæ seu docendi officium & Sacramenta dispensandi, sed etiam vt orent pro populo, sicut priuata persona loco omniũ orat collectas, id est, generales orationes, & Iacobus iubet vocari sacerdotes, vt orent super infirmos &cæ. ideò sacerdos non virtute ipsius cæremoniæ Missalis alijs fidelibus applicat sinè propria fide fructum passionis, sed orat in Missa Deum, vt donet homini fidem, qua possit quoquè appræhendere & communicare hoc beneficium: & licèt neque oratio aut cæremoniæ Missæ applicet alteri fructum, non tamen est frustrà, quia Deum pulsat vt ipse conferat efficaciam &c. Nihil ergò operi ipsius ministri tribuitur, tanquàm virtus & efficacia sanguinis Christi, ex dignitate illius tribuitur alteri: omnia enim fiunt rogatiuè, vt Deus propter hoc ipsum opus, quod Christus fecit, velit conferre fructum atque distribuere. Non igitur consistit applicatio salutiferi fructûs in opere sacerdotis sinè fide propria illius vel illorum qui appræhendunt, sed fides exigitur necessariò in appræhendentibus, & vt illa conseratur efficaciùs, & vt fiat appræhensio, prodest plurimùm oratio & suffragiũ Sacerdotis in Missa &c.

DE HVMANIS MERITIS. Cap. 42.

ATiquies: Si Christus solus promeruit salutem, & opera nostra non possunt illam de nouo mereri, sed fides nostra solùm appræhendit & reperit in Sacramentis tanquàm in vasibus quæ continent gratiam redemptionis, & opera nostra & obedientia legis solùm retinent promeritam illam salutem & redemptionem, ergò nullum relinquitur meritum operibus nostris: & si hoc verũ, cur scriptura tot in locis promittit mercedem & præmia pro operibus? Matt. 5. Merces vestra &cæ. & cap. 10. Qui dederit calicem aquæ frigidæ &c. & cap. 6. qui orat, ieiunat, dat eleemosynam, habebit mercedem? Respondeo: Primò notandum est, quòd sunt duplicia dona Dei, aliqua sunt suprema & potiora, scilicet remissio peccatorum, gratia Spiritûs sancti, & vita æterna: & hæc, quia solùm per Christum sunt promerita suo sanguine, ideò & solùm propter Christum nobis distribuitur per fidem in Sacramentis gratis sinè omni merito nostro & ante om̃ia opera. Sic Rom. 6. Vita æterna donum Dei ex gratia, id est, misericordia propter Dominum nostrum Iesum Christum, & 1. Ioan. 2. Ipse est ꝓpitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantùm, sed etiã pro peccatis totius mũdi &c. Multò magis gratia Dei & donum in gratia, i. Spiritussanctus in plures abundauit propter Iesum Christum. Ergò hæc tria Dona sinè omni merito nostro, sed tantùm propter Christum gratis credẽti conferũtur. Iacob. 1. Omne donum optimum, id est, remissio, & omne datum perfectum, id est, gloria æterna, desupèr est à patre luminum. & Psal. 83. Gratiam (id est, remissionem peccatorum, Spiritum sanctum) & gloriam (id est, salutem) dabit Dominus, & hoc propter Christum: hæc ergò tria dona sunt sic priuilegiata, ꝙ non possunt mereri, quia sunt ipsa gratia, id est, immerita misericordia, aut fructus & effectus gratię, quę gratia non cadit sub merito nostro. Rom. 11. Si ex operibus gratia, iam gratia non est gratia. Fide igitur tantùm viua appræhendimus hæc gratis pro-

propter Christum ante omnia opera. Deindè sunt alia varia dona Dei corporalia & spiritualia, quæ homo in hac & post hãc vitam accipit etiam à Deo. Nam quid habes quod non accepisti, 1. Corint. 3? & illa dona possunt mereri per pia opera nostra. Nam fide iam placemus Deo propter Christum, & sumus iustificati: ob id opera quæ nunc iustificati facimus, ex gratia merentur sua præmia & dona, licèt non perfecta sint opera nostra propter internam immunditiem, attamen Deus acceptat hanc infirmam nostram obedientiam, & remunerat illam ac coronat varijs donis & gratijs corporalibus & spiritualibus, & de illis præmijs etiã loquitur scriptura & consolatur, quòd opera nostra sunt meritoria donorum Dei inferiorum, sed non potiorum, de quibus paulò suprà diximus. nam remissio & Spiritussanctus ac salus, sunt suprema ac potiora dona Dei: alia autẽ sunt his inferiora. Sed inqs: Quæ sunt illa opera nostra, quæ merentur hæc dona Dei? Respon. Est primò obedientia legis Dei, & obseruantia præceptorum: hæc enim merentur varia Dona Dei, sicut patet Leuit. 26. Deuter. 28. Exod. 20. vbi Deus inquit, Si obseruaueris præcepta mea, & custodieris cæremonias meas, venient sup te vniuersæ istę benedictiões, id est, hæc dona Dei. & quanuis nobis nihil debet Deus, etiamsi oĩa fecerimus, attamẽ quia iubet petere Ioh. 16. pcipit obseruare pręcepta Mat. 19. exo. 20. &c. igitur nostra obedientia etsi sit imperfecta, attamen Deus illam acceptat, & promittit dona & præmia orantibus & obedientibus. Non igitur nostram dignitatem vel indignitatem pensamus, sed Dei præceptum & iussum. & vt primò incipiamus cum donis corporalibus, nunquid non magnum donũ Dei est longa vita, & sanitas corporis & mentis? Sed quomodò merear hoc donum?
Exo. 20. Honora parentes, vt sis longæuus super terram. hoc promittit, & donat Deus, item vt custodiat corpus à pestilentia, vlceribus & varijs infirmitatibus, hoc meremur obseruantia præceptorum Deuter. 28. Item donum Dei est panis quotidianus, benedictio in agro, cellario, vinea, arboribus, animalibus, tempestate, &cæ. Sed quomodò hæc merentur? obedientia præceptorũ Dei, item pax ab inimicis & bello, liberatio & saluatio rerum, donorum, filiorum &cæ. sed vndè hæc merentur? obedientia præceptorũ oei. Item benedictionẽ Dei in millia, & punitionem in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. Vndè hoc, nisi ex obseruantia & transgressione præceptorum Dei &cæt? Summa, omnia bona temporalia merentur operibus nostris ex gratia &c. Præterea dona spiritualia etiam acquiruntur operibus nostris. vndè enim sapientia, & interpretationis donum Danieli contigit, nisi quia ieiunauit, & noluit se cibis gentium coinquinari? Vndè victoria Hester, Iudith, &c. nisi ex humilitate & oratione? Vndè erant pleuæ lagenæ oleo, & hydriæ farinæ Sareptanę, 3. Reg. 17? quia dedit hospitium prophetæ, & pauit eum. item vndè diuisiones gratiarum, 1. Cor. 12. alij datur sermo sapientiæ, scientiæ, gratia sanitatum, genera linguarum, prophetia, &c. & alia huius modi dona spiritũs, id est, spiritualia, nisi quia accepimus verbum & gratiam suam, vndè ei placemus, & quia sic vult conseruare Ecclesiam suam? neque enim his donis meremur promeritam per Christum salutem, sed retinemus, & neum ideò glorificamus & laudamus, & communionem fidelium, id est, Ecclesiam conseruamus. Contrà, propter mala opera graues cõminationes scriptura profert Deut. 28. Exod. 20. Leuit. 26. ergò & obedientia conseruat primò gratiam, i. promeritam salutem & redemptionẽ: deindè meretur obedientia legis specialia præmia & dona, sicut 1. Cor. 3. Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundũm suum laborem, id est, gradus laboris. In eum igitur finem ad promerendũ hæc dona Dei inferiora, exiguntur nostra opera, & sese extendũt: habet enim lex suas quoquè pmissiones: ideò opera nostra merentur hæc dona. & Augustinus dicit: dilectio meretur augeri dilectione. & parabola de talẽtis, expressè notat augmenta præmiorum, iuxta diligentiam laborum & exercitiorum nostrorum pietatis. Est igitur aliquod meritum bonorum operum, nempè inferiorũ donorum, & eorum quæ maximè in hac vita necessaria sunt: sed alia potiora dona, id est, remissio, salus, Spiritũs sancti gratia non cadunt sub humano merito, sed solùm propter Christum donantur & appræhenduntur. Cauendum igitur est, nè confundamus aut misceamus dona Dei duplicia, id est, quæ gratis finè merito humano conferũtur hominibus, & quę propter nostra opera, obedientiam & pietatẽ. Insupèr opera nostra merentur etiam in futura vita præmia & dona accidentalia seu supererogata præmia, vltra & super essentiale præmium, quod est salus ipsa, remis-

remissio peccatorũ. Sic pietas, misericordia, humilitas &cęt. accipiunt dona à Deo hîc & in futura vita: Beati humiles, beati misericordes, &c. Matth. 5. & Luc. 6. Date, & dabitur vobis, id est, benefacite proximo, remittite, date, &cæt. & bona vobis dabuntur in futuro, quæ nec auris audiuit, nec oculus vidit, 1. Corint. 2. Et multæ sunt mansiones in cælo, Iohan. 14. & 1. Corinth. 15. Sicut stella differt à stella in claritate & magnitudine, sic erit resurrectio iustorum, id est, diuersitas erit donorum in patria, licèt in domo essentiali oẽs pares sint propter Christum. Et in eum finem dicitur Hebr. 6. Non iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri in charitate suscepti. Nemo igitur vilipendat opera nostra, quæ sunt fructus fidei, & sacrificia nostra, quibus permouetur Deus, Hebr. 9. ad præstandum ea dona promissa nobis ex gratia. Hanc igitur doctrinam simplicem, scilicet quòd CHRISTVS promeruit salutem, deindè quo pacto illa à nobis appræhendatur, tertiò quomodò retineatur, & postremò differentia quæ sit donorum DEI, quæ partìm propter Euangelium in Christum promittuntur & donantur, partìm propter pia opera nostra merentur & accipiuntur ex promissione & gratia: nam non solùm Euangelium, sed & Lex habet suas promissiones &c. Qui has non intelligit, amplectitur & docet, ille nihil nouit in Theologia, sed fœdè errat, & alios errare facit: derogat Christo suum honorem, & obedientiæ pręceptorũ & mandatis euangelicis renunciat. Discant igitur, qui nesciunt, hanc veterum Doctorum Ecclesiæ doctrinam, & eam populo rectè explicẽt. Sed dices, Vbì manebit tunc, quod hactenùs omnes Doctores scholastici & concionatores in Ecclesia docuerunt, quòd Deus ex gratia vult pro operibus nostris dare vitam æternam? ergò opera nostra ex gratia merentur vitam æternam: item Deus dignificat opera nostra, vt sint meritoria vitæ æternæ, & ità acceptat tanquàm meritoria vitę æternæ: item ipse promittit illis vitam æternam, ergò promissio diuina habet pondus, Matthæi 19. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Iohannis 5. Qui bona fecerunt, &cæt. Et Matthæi 25. Esuriui, & dedistis mihi manducare &c. Simpliciter ergò dixerunt veteres, quia opera nostra ex gratia mererentur vitam æternam: quòd si hoc verum est, ergò Christus non solus est qui promeruit vitam æternam siue salutem &c. Respondeo primò, si hæc doctrina vera esset, non fuisset opùs Christum in carnem venisse, & mortem passum: potuisset enim DEVS sinè morte Christi ex gratia donare vitam æternam, item dignificare opera, acceptare, & pro illis promittere vitam sinè sanguine Christi: & si Deus ità voluisset acceptare opera nostra, nullo indiguissemus redemptore: at noluit Deus delectari operibus & sacrificijs nostris, sicut dicit Propheta Psalm. 50. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtiquè. Sed illa dignificare & acceptare ad vitam promerendam noluisti, &cęt. Sed noluit primò habere placatorem & propitiatorem, qui foret victima pro peccatis totius mundi, qui purgaret mundum suo sanguine, &cęt. & posteà propter illum, id est, propter hanc victimam crucis, promittere & dare salutem, &c. Si nunc Deus propter opera nostra ex gratia deberet exhibere salutem, & commoueri ad misericordiam, & non solùm propter CHRISTVM gratìs illa distribueret: derogaret honori & gloriæ CHRIRSTI, & Paulus falsò dixisset Ephes. 1. quòd nos Deus Pater elegisset ante constitutionẽ mundi in Christo, &c. vt laudetur gloria gratiæ suæ. Ob id benè admittendum est, quòd alia præmia & dona præter remissionem & salutem, nempe corporalia & spiritualia, ex gratia donet, non autem illa potiora. Cæterùm qui dicunt, quòd Deus ex gratia vult dare vitam æternam pro operibus, aut quòd opera mereantur ex gratia vitam æternam, non intelligunt terminos gratiæ & meriti, & ignorant quòd gratia est immerita misericordia, quę credenti propter Christum exhibetur, & in se includit remissionem & salutem. Roman. 11. Si gratia ex operibus, tunc gratia non est gratia, &cæt. Meritum autem est quod debetur operi, sicut stipendium mercenario, quod promeritum est ab illo. At pugnant illa duo, dare ex merita misericordia propter Christum vitam æternam, & propter nostra opera: gratia nanque excludit meritum, id est, opera in re salutis. Ideò ex immerita misericordia (id est, propter Christum ex gratia) dare vitã æternã, & opera nostra mereri ex gratia vitã æternam, differunt: meritum enim nõ imputaẽ secundùm gratiã, sed secundùm debitũ, Rom. 4. Sola ergò gratia sinè additamento meriti,

con-

confert salutem. Roman. 6. Gratia Dei vita æterna. Ideò licèt dicantur opera mereri ex gratia vitam æternam, non tamen scripturis solidis & sacris probatur. Prætereà opinio meriti ex hoc venit, quia putamus impleri legem nostris operibus, & illi satisfieri intùs & foris, & per hoc nobis Deum debere vitam æternam, sicut paterfamiliàs mercenario &c. sed cùm nemo legi satisfacit, Actor. 15. & Ioan. 7. deindè conscientia non potest certificari de salute, lex semper accusat, & opera quia minùs quàm debemus, fecimus, igitur hæc opinio est falsa: ob id vt certa sit conscientia, dicimus fide appræhendere promissionem gratiæ, Roman. 4. vt conscientia sit firma. nec intelligi potest quomodò actus vel opus personæ sit dignum vita æterna, quãdò persona non anteà est digna ipsius vitæ æternæ: oportet ergò personam priùs esse iustam & dignam acceptione vitæ, id quod cõtingit per solam fidem ante om̃ia opera: ergò opera sequentia non merentur hæc, quæ iam fides tenet & appræhendit, id est, Christum cum omnibus suis diuitijs. Excusantur igitur patres, quia per terminum meriti, largo modo loquendi, volebant intelligi retentionem salutis & vitæ: quasi dicerent, Si vis ad vitam (scilicet promeritam per Christum) ingredi, serua mandata, & sic retinebis & in effectu appræhendes tandèm vitam, Matth. 19. Ioann. 5. Qui bona feeerunt, id est, per bona opera retinuerunt gratiam per me acquisitam. & Matth. 19. centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis, id est, Vos qui me secuti estis, & retinuistis gratiam & fidem, omniaq; deseruistis, matrem, patrem &c. propter me, vt retineretis meam gratiam, possidebitis &c. Igitur quia non minor virtus est, parta tueri, quàm quęrere: ob id retentio thesauri, largè quoquè dicitur mereri: at propter hoc non est meritum salutis. manet igitur solidum, quòd Christus solus promeruit nostram salutem &c. tametsi patres sępè loquantur, quòd opera nostra merentur salutem, per hoc tamen sic voluerunt intelligi ipsam distributionem salutis, quam Christus solus meruit: & hanc appręhendit fides, quę est primum & potissimum opus hominis. Ioann. 6. Hoc est opus Dei &c. illa fides Christi diuitias appręhendit, deindè obedientia legis & dilectio retinent: & sic Deus fidem remunerat salute & vita ęterna, & omnibus alijs præmijs &c. at vita æterna est donum Dei, quòd Deus dat propter Christum, attamen per hæc media, id est, fidẽ, sacramenta, opera bona: & licèt non propter media, nõ tamen oportet reijcere fidẽ, sacramenta & opera, Sic quòd propter solum Christum sinè omnibus medijs donet vitam æternã, sed per media illa dat, & non propter media, sed propter Christum &c.

DE RELIGIONE MONASTICA.
Cap. 43.

PRIMO notandum, quòd oportet vt sit vna & conformis fides in Deum in omnibus hominibus & sanctis, qui cupiunt salutem, sicut est etiam vnum Baptisma, vnus Christus &c. Ephes. quarto, non possunt esse duo Baptismata, duo Christi &c. Sic non potest esse alia aut diuersa fides, quà saluatur rex, laicus, sacerdos, rusticus, monachus, eremita, mulier aut virgo, paruulus aut senex &c. Sed est vna & eadem fides in Deum in omnibus, sicut dicit Apostolus Galat. 3. Omnes vos vnum estis per fidem. vnum dicitur in singulari, eõ quòd omnium est vna fides, vnum Baptisma, vnus Christus, siue sit vir aut mulier, &c. Est autem fides vna & eadem omnium hominum, quicunque volunt salui esse, credere quòd propter filium Dei placeamus, i. accipiamus remissionem peccatorum, gratiam Spiritûs sancti, & vitam ęternam, & non propter nostra bona opera, sicut putant ignari Euangelij, aut propter obedientiam legis, sicut putant Iudæi, qui propriam statuũt iustitiam: ob id non participant iustitiam Christi, id est, meritum sanguinis sui, Rom. 10 Sic est vna fides in omnibus, & fuit similis in omnibus ab initio mundi in omnibus credentibus & sanctis, quicunq; saluati sunt, & si in quibusdam sanctis hominibus fuit amplior fides, illa non tamen alia fuit: ex æquo igitur oẽs fidem vnam habentes, appræhendunt beneficia Christi, & in Baptismo ex æquo remissionem peccatorum & Spiritumsanctum, atque gratiam: ex ęquo absoluitur laicus sicut rex, ancilla sicut domina, & ex sacramentis ex æquo omnes appręhendũt Dei gratiã &c. In hoc ergò sumus omnes pares, cuiuscunque etiam statûs aut ordinis aut conditionis simus; ità vt non vnus plùs aut minùs accipiat de Baptismo, absolutione, Eucharistia, promissione verbi Dei, Euangelio, quàm alter. Sed accepta

illa

illa gratia vnus plùs & vtiliùs vtitur quàm alius:hic enim negociatur & lucratur cum talentis,alius perdit aut abſcondit conceſſam gratiam, ſicut teſtatur Chriſtus in parabola Matt.25. de talentis Patrisfamiliâs. Sinè hac ergò vna & eadem fide in Chriſtum,nemo quantumcunquè ſanctus, placebit Deo. hæc enim eſt initium ſalutis, Heb.11. & Ioan.3. Qui non credit, condemnabitur &c. Deindè hæc vna & eadem fides præcedit omnem vocationem, id eſt, antequàm Carolus factus eſt imperator, & hoc officium & eum ſtatum cùm ſuſciperet,fuit baptizatus in fide illa Chriſti,& appræhendit per illam fidem(id eſt, accepit)remiſſionem, gratiam Spiritûs ſancti, promiſſionem ſalutis ex virtute ſanguinis Chriſti: habet enim Chriſtum cum omnibus bonis ſuis.Sic ſentiendum eſt de cæteris diuerſis ſtatibus fidelium, de Magiſtratu,monachatu,ſacerdotio,laicatu, mechanica &c.in Eccleſia. illi ſtatuſ & officia diuerſa non faciunt quenquam Chriſtianum: nam & Gentes & Turcæ habêt eiuſmodi officia & ſtatus, nec ideò ſunt Chriſtiani: ideò fides præcedens vocationem, ſanctificat,& facit Chriſtianum & ſaluum. Deindè Deus vult eſſe varias vocationes in Eccleſia, omnes tamen ſub vna fide in Chriſtum redemptorem.Sic dat quoſdam Apoſtolos,Prophetas,Miniſtros, Doctores &c.Non enim omnes Doctores, miniſtri &c. Epheſ.4.1.Cor.12. Sic dat Magiſtratum & gladium,Roman.13. vt ſint cuſtodes legis,nè ſcindatur aut turbeť Chriſti corpus,id eſt,Eccleſia:alium vocat Deus ad artem mechanicam, vt laboret manibus,aut terram colat, &c. & ſic Apoſtolus iubet quenque manere in ſua vocatione,1. Corint.7.& 1.Pet.4. Si quis loquitur tanquàm ſermones Dei, ſi quis miniſtrat,tanquàm ex virtute faciat quæ Deus adminiſtrat,&c. Non ergò vult Deus vt omnium ſit vna vocatio & eadem, id eſt, vt ſint omnes reges,ſacerdotes,laici, coloni,monachi, Doctores &c. Sed vult, vt ſit vna & eadem omnium fides in Chriſtum & religio. Vocatio ergò quæ licita eſt,illa reſeruãda eſt,quæ ſcilicet ſinè peccato habetur,vt ſunt vocationes miniſtrorũ Eccleſię,magiſtratuum,politiæ,coniugij,virginitatis ſeu cœlibatûs, quibus Dominus dedit gratiam continentiæ. Matt. 19.Sunt qui ſe caſtrant propter regnum Dei. Sic Paulus virginitatis ſtatum commendat 1. Corint.7.Cæteri autem vitioſi ſtatus peccata ſunt: nam non poteſt vſurarius nec ocioſus nec iners nec ſcortũ dicere, Deus vocauit me ad talem ſtatum. Sic Monaſticus ſtatus pertinet ad vocationem verbi, vt vel doceat verbo doctrinæ, aut exemplo vitæ.Eſt enim miniſter eccleſiæ,vt doceat,miniſtret, oret dies nocteſq;, pſallat, Deum laudet,inuigilet, mundum vitet,& pro tota Eccleſia auxilium & miſericordiam Dei imploret,& id maximè fit in celebratione Miſſarum &c. Talem igitur vocationem exequentes, ſunt in vocatione Dei,verè omnes pij Monachi cum cæteris miniſtris Eccleſiæ, quorum cooperatores ſunt:ſi qui autem horum ignaui ſunt, illi non pertinent ad hanc vocationem Dei, ſed in abuſu ſunt, & in iudicio extremo illis retribuetur ſecundùm opera ſua,Mat. 16.Ex illo igitur,quod iam dixi,conſequitur,quòd nullus ordo vel ſtatus eſt inſtitutus ad promerendam vitam, cælum,ac remiſſionem peccatorum ac gratiam Spiritûs ſancti:hæc enim omnia ſunt ſemel & ſimul promerita per Chriſtum vnico actu & opere propitiatorio: ideò non poſſunt de nouo per vllum ſtatum, cæremonias aut vota mereri.Si enim ex lege eſſet iuſtitia, Chriſtus gratis veniſſet, Galat. 2. Falſum prætereà eſt, quod obijcitur à ſectarijs, quod Monaſtica religio velit mereri iuſtificationem, quaſi Chriſtus non eſſet mortuus, aut velit de nouo mereri vel ſupplere,vbi Chriſtus defeciſſet,aut velle proprijs operibus ſaluari & ſalutem mereri, & non ex ſanguine Chriſti, & ſic derogari merito ipſius &c. hoc impudens eſt mendacium, quo hæretici grauant & accuſant monaſticum ſtatum contra veritatem. Non enim hic eſt finis Monaſtici ordinis, ſed longè alium habet,nempè retentionem promeritæ ſalutis per Chriſtum:negari enim nõ poteſt, quòd ſemel appræhenſa iuſtificatio per fidem in Baptiſmo, ſępè amitti poteſt per peccata &c.ob id & pœnitẽtia ſem per cum fide prædicatur. Nam vbi viuitur peccatis mundi, hic non retinetur appræhenſa & promerita ſalus per Chriſtum. Deindè etſi certum eſt, nos operibus bonis non mereri iuſtificationẽ & ſalutem, nam hoc ſoli Chriſto tribuimus: attamen malis operibus amittimus eam,& incurrimus damnationem: ideò Apoſtolus dicit 1.Corint.6.Eph.5.Galat.5. quòd qui opera carnis ſectantur, regnum Dei non poſſidebunt. Vt igitur quis eo commodiùs retineat ſuam iuſtificationem, & non iterùm per peccata amittat, valet vita monaſtica, non vt mereatur iuſtificationem.

Por-

Porrò nec negari potest, quod Apostolus dicit 1. Corint. 15. quòd differt stella à stella in claritate &c. & Ioan. 14. Christus ipse dicit, quòd in domo patris sint multę mansiones: ideò licèt sit vnũ & essentiale præmium omnium credentium, attamen differentia erit accidentalium præmiorum cum illis, qui diligenti & mundo corde & purgato à vitijs huius spinosi mundi inseruiérunt à iuuentute sua Domino die noctuque. Vndè ipse dicit, Vacate, (id est, abstinete à secularibus curis ac vitijs) & videte quoniam ego Deus sum, Psal. 45. cum illis, inquam, qui corpora sua in seruitutem disciplinæ Euangelicæ redegerunt, 1. Cor. 9. qui ieiunàrunt, omnia dereliquerunt, laboràrunt scriptis & verbo, hi omnes specialia sua habebunt pręmia in cælo, in cælo inquam, sicut dicit Saluator ipse Matt. 5. Merces vestra copiosa est in cælo. & promisit his centuplum, qui reliquerunt omnia, &c. Matth. 19. Cùm igitur monastici homines talem exequantur vocationem euangelicam, quarè vita ipsorum non potiùs sancta, beata & meritoria retentionis salutis, quàm impia aut superstitiosa dicenda est, vt impij calumniantur hæretici? Scimus quidem opera nostra ex fide facta, speciales suas habere promissiones: illa non pertinent ad meritum Christi. meritũ enim Christi valet ad remissionem & salutẽ: at opera nostra ad accidentale pręmiũ referunt, quæ etiã ex gratia & misericordia Dei propter Christum promittuntur, & sic gratia est ex gratia. Non ergò sunt labores vani vitæ monasticæ: nõ enim iniustus est Dominus, vt obliuiscatur operis in charitate Dei suscepti, Hebr. 6. Mũdus igitur & carnales homines & apostatæ, nã ipsa veritas Ecclesiastica, damnat hunc statum. Habet enim nostra corrupta natura odium quoddam naturale in illos, qui nobis dissimiles sunt tam in vita quàm in vestitu, & inter dispares mores non manet firma amicitia. Vndè apostatæ maximè oderũt sui ordinis homines, & mundus odit humilia, & ridet abiecta, quæ Christi sunt & eius habent exemplũ. Præterea multò minùs religio monastica dicenda est secta aut discessio ab alijs Christianis. nam omnes omnium ordinum monachi, cum interna iustitia fidei concordãt cum omnibus Christianis & fidelibus in fundamento, & vna ex æquo omnium est confessio, quia sanguine Domini nostri Iesu Christi saluamur, & quòd nõ sit aliud nomen sub cælo in quo saluemur &c. cùm igitur hic sit vnitas fidei & religionis Catholicæ, non est secta, quæ facit scissuram in fide &c. At externa illa & corporalis iustitia, qua quisque secundum suam vocationem rectè ac piè viuit, in hoc licèt non omnes simus pares, sicut nec in vocatione omnes pares sumus, sicut in vestitu, officio, disciplina, labore &c. id enim Deus nõ exigit, vt in his omnes ex æquo pares simus, sed potiùs vult, vt omnes & singuli in sua vocatione exerceant fidem suam. Neq; enĩ Christus omnib⁹ Christianis ex ęquo præcepit, quod adolescentĩ Mat. 19. Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. neque omnibus præcepit castitatem, sed dixit, Sunt quidam qui se castrarunt propter regnum Dei &c. alios ergò non reijcit. Paupertas igitur derelictio bonorum, castitas, obedientia, disciplina, seruitus corporis, habitus durus externa sunt & corporalia, ad domandam carnem & resistendum peccatis instituta, & ad faciliorem obseruantiã præceptorum Christi, & retentionem vitę æternæ. Et Christus vixit in communi cum discipulis suis: nam nullus illorum proprium aliquid habebat, vixit in castitate, obedientia, vili habitu, in sobrietate, oratione, vigilia, &cæt. Quid igitur inconueniens, si quis Christianorum hoc genus viuẽdi, quod Christus ipse vixit & præcepit, imitetur? considerãs quàm spinosus sit hic mundus, id est, peccatis & concupiscentijs carnis plenus, & quàm caduca & misera vita. Sed sathanas, princeps huius mundi, mallet omnes esse sequaces mundi, quàm religioses monachos. Testatur Cassianus coll. 18. omnes Christianos in primitiua Ecclesia sic vixisse Hierosolymis, sicut iam Monastici homines viuunt. Actor. 4. dicitur, Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, dicebat suum, sed erant eis omnia communia: nec quisquam egens erat inter illos. & talis erat perfectio multitudinis Christianorum, qualis vix hodiè reperitur in cœnobitis. At postquàm cœpit tepescere hæc perfectio, tunc aliqui congregãrũt se, habitantes seorsìm in domibus & suburbijs, & quidam fugientes idola, confugiebãt ad illos perfectioni eidem studentes, habentes vestimenta humilia & contemptibilia contra superbiã mundanã &c.

D. CONRADI CLINGII DE SECVRITATE CONSCIENTIAE LIBER SECVNDVS.

DE FALSA FIDVTIA SECTARIORVM IN SOLO MERITO CHRISTI, ET SINE POENITENTIA ET OBEdientia Pręceptorum Dei.

Cap. I.

SVNT hoc tempore duæ opiniões quorundam hominũ, de fide aut fidutia in Christum glorianti um. Quidam enim finè medijs, id eſt, ſinè pœnitentia aut ceſſatione à peccatis & ſinè obſeruantia præceptorum, ponunt fidutiam in ſolam miſericordiam Dei, & putant ſic ſe ſaluari, & ſecuros eſſe de ſalute, dicentes, quid opera? Credo in Chriſtum, & in Dei miſericordiá propter ipſum promiſſam: hoc ſatis eſt. Quid enim fecit Latro in cruce? an nó ſaluatus eſt? ſi ſum prędeſtinatus, non potero damnari: Sin autem, nihil ſunt opęra mea &c. Et hi quidẽ minimè ponderant, quòd Chriſtus duo coniungit, pœnitentiam & fidem, Marc. 1. & obſeruantiam præceptorum, licèt nec hæc media per ſe mereantur vitam æternam. Deindè ſunt quidam, qui poſtquàm pœnituerint, ſeſeque in mandatis Dei exercuerint, & bona opera fecerint, adhuc tamen in timore Dei permanent, putantq; minimum eſſe quod fecerunt, iuxta illud, Neſciat ſiniſtra quid faciat dextra, Mat. 6. Sed & ipſi in ſolam Dei miſericordiã propter Chriſtum promiſſam, ponunt fidutiã ſuam ſalutis, non in factis ſuis: & illi quidem veram habent fidem & fidutiam: hoc enim docuit Chriſtus Luc. 17. dicens, Cùm omnia feceritis, dicite quoniam ſerui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus: dicit, cùm omnia feceritis, non ſolùm iubet locare fidutiam in Dei miſericordiã ſinè obſeruantia præceptorum & pœnitentia. Falſa igitur eſt illa fidutia in ſolum Chriſtum ſinè obſeruantia præceptorum. Sic Ioan. docet de fidutia 1. Ioann. 3. Chariſſimi, ſi cor noſtrum non repræhenderit nos, id eſt, ſi peccare ceſſauerimus apertè contra præcepta Dei Exod. 20. tunc fidutiam habemus ad Deum, & cùm eius mandata cuſtodimus, & quę illi ſunt placita fecerimus, tunc quicquid petierimus cum fidutia accedentes, obtinebimus miſericordiam Dei propter Chriſtum promiſſam. Sed quandò adhuc pergimus in peccatis ſinè pœnitentia, & viuimus in illis, nec Dei præcepta cuſtodíerìmus, tunc fruſtrà erit gloriatio. Et Luc. 1. canit B. Virgo, miſericordia eius à progenie in progeniem, ſcilicet timentibus eum. Qui ergò pœnitent, & obediunt mandatis, illi habent veram fidutiam. At inquiunt: Si exigitur pœnitentia & obedientia, quomodò erit nuda gratia, & nudum meritum ſanguinis Chriſti? Reſpon. Pœnitentia & obediẽtia ſunt media, quibus appræhenditur nuda miſericordia Dei & nudum meritum paſſionis & ſalutis: nam & Latro in cruce pœnituit, & confeſſus eſt peccatum publicè, dicens: Nos dignè pro malè factis noſtris patimur, Luc. 23. hic autem nihil mali fecit: eccè confitetur peccatum ſuum, & confitetur Chriſtum innocentem victimam pro peccatis totius mundi, & petit participationem huius victimæ, dicens: Domine, memento mei cùm veneris in regnum patris tui. Inſupèr ſi ſuperuixiſſet, haud dubiè diligentiſſimè obſeruâſſet præcepta, & pœnituiſſet. Ideò ſectarij & mundani homines non poſſunt ſe purgare cum hoc latronis exemplo de nuda fidutia in Chriſtũ, præter hoc quòd exemplum illud ſemel tantùm factum eſt. Nemo igitur ſit nimìs ſecurus, nemo quoquè deſperet. Quòd verò dicunt de prædeſtinatione ſua, quòd tota res ſalutis ſuæ pendeat à diuina voluntate, certè ſunt contemptores ordinationis Chriſti, qui in toto mundo iubet prædicare Euangelium ſuum, & dicit, & vocat & vult omnes ſaluos fieri: ſed ad quid ordinâſſet prædicationem Euangelij, Sacramenta, & obſeruantiam præceptorum, ſi ſolùm res ſalutis à prædeſtinatione dependet? Ergò qui audis Euangelium, fac ſecundùm illud, & eris in numero ſaluandorũ: ſi Deus te non velles

vellet saluare, non tibi ordinâsset media, i.prædicationẽ, sacramenta, præcepta,&c. Est igitur promissio salutis vniuersalis, Matth.11.Venite ad me omnes&c. Igitur nemo hinc facere debet particularẽ promissionem, & dubitare an sit de numero electorum & prædestinatorum. Quicunque ergò fide verbo Dei adhæserit,de numero est saluandorum: ideò falsa est illa argumentatio aut fiducia in Christum sinè medijs,vt dictum est.at etiam cùm iam media fecerimus, adhuc ex misericordia speramus & fiduciam habemus propter Christum hęc consequi.Deindè illa fides, quæ est fiducia consequendæ misericordiæ promissæ propter Christum, nisi habuerit illas duas conditiones, id est, pœnitentiam & obedientiam præceptorum, non erit vera: nam nuda & sinè pœnitentia non appræhendit gratiam Christi, nec retinet appræhensam gratiam Christi. De primo inquit Christus:Pœnitemini,& credite Euangelio, Marc.1.De altero dicitur Matt.septimo,Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine,introibit in regnum cęlorum.& Gal.5. Fides quæ per dilectionẽ operatur,&c.Si non habuerit has conditiones fides,non est viua fides,nec vera fiducia.Illa autem fides,quæ has annexas conditiones habuerit,hæc facit nos filios Dei, Ioh.1.& hæredes bonorum Christi,id est, eorum quæ ipse suo sanguine nobis meruit, nempe remissionem & vitam æternam,& cohæredes æternæ felicitatis cum Christo, Rom.8. illa facit vt nobis Christus totus cum omnibus suis diuitijs donetur.Roman.8.qui dedit filium, &c. illa fides facit quatenùs simus Deo grati,accepti,&c.Roman.3. Iustificati gratia ipsius, non placemus Deo propter nostra opera, sed ꝑpter Christum sumus iusti & placemus Deo patri. Ideò semper hoc oportet meminisse, quoniam etsi fecerimus bona opera,quòd tamen propter illa non sumus accepti & grati Deo,sed ꝑpter filiũ Christum,& ꝙ opera nostra grata sunt Deo,nõ propter propriam dignitatẽ, sed propter Christũ: omnia eñ sibi recõciliari complacuit propter filium, Coloss.1. Semper igitur in Christum respicere debemus,vt sciamus nos propter illum patri placere, reputari iustos &c. non propter opera nostra, non tamen cessare debemus ab operibus bonis. Sola enim causa,quòd placemus patri,in Christum trãsfertur,& operibus nostris adimitur,opus tamẽ non abrogatur. Sic Paulus tribuit iustificationem fidei in Christum,& tamen dicit,non destruimus legem per fidem,Rom.3.Videant ergò securi illi, qui hoc tempore tantoperè de fide & fiducia gloriantẽ, an habeant has conditiones,pœnitẽtiam & cessationem à peccatis, & obseruantiam pręceptorum Dei: alioquì frustrà erit hęc gloriatio &c.Prætereà sathan docuit mundum huiusmodi distinctionẽ,qua dicunt,hic fidem & fiduciam prædicando exaggerat, ille opera & merita exaggerat &c.& laudant eos qui fidem extollunt, & solùm dulcia & placẽtia dicunt,ꝙ Christus pro nobis natus,passus & resuscitatus fuerit,vt nos sinè opere nostro saluet,solùm vt in illum fiduciam ponamus: & hic cumulant authoritates scripturę,Ioh.3. Omnis qui credit in illũ,&c. Rom.4.Mortuus est pro peccatis nostris. 1.Ioh.2.Ipse est propitiatio ꝓ peccatis nostris.1.Tim.2. Vnus est mediator. vna victima, Esa.53.Vnicũ opus propitiatoriũ. Itẽ sumus dilecti & accepti propter Christum & iusti,Rom.3.iustificati gratìs gratia ipsius &c,Omnia peccata sunt in Christo absorpta, ad nihil igitur faciunt nostra opera. Deindè operum doctores ligant suam salutem ad opera,cibum,potum,vestitũ,cæremonias, vota, sanctos &cæt.& nil præter opera docent.Respon. Esse doctorẽ integri Euangelij exigit Deus,non solùm solius fidei,nec solorum operum, sed vtorunque simul in suo loco & tempore,i. cum fide pœnitentiam,& cùm iam fide sunt iustificati, tunc obseruantiam pręceptorũ, quatenùs retineatur iustificatio. Videãt ergò qui partem tantùm alteram Euangelij, & non totum,populo proponunt, & sic dimidios Christianos ex vna parte,ex altera verò semipaganos faciant &c.

QVOD NON SOLVM GRATIA, SED TOTVM EVANGElium debet prædicari in Catholica Ecclesia. Cap. 2.

EST verò Euangelium doctrina, docens quid credam & quid faciam ad consequendam salutem & vitam æternam, sicut inquit Christus Marc. vltim. Qui crediderit &c. & Matth. vlt.docentes eos seruare omnia quæcunque præcepi vobis. Ità Euangeliũ est non solùm sermo de Christo nato & passo,sed etiam quomodò appræhendam & retineam virtutem victimæ & sanguinis Christi per fidem & sacramenta,& per fidem & obseruantiam pręceptorum,per

K pri-

primum apprӕhendendo, per alterum retinendo gratiam Christi: non sunt ibi merita, sed media retentionis & apprӕhensionis. Est ergò Euangelium primò bonum nuncium ad nos, qui damnati & filij irӕ eramus ob peccatum primorum parentū, in quo omnes peccauimus, Rom. quinto, vt iterùm Deus nos velit recipere in gratiam, si crediderimus in filium suum, & in signum & pignus certum dedit filium in victimam pro peccatis omnium nostrûm, quòd per illum velit misereri & saluare, & filius obediuit patri vsque ad mortem, & peccata nostra portauit in ligno, & secundùm misericordiam suam saluos nos fecit, donans sanguinem suum pro peccatis nostris, Roman. quarto, & sic facta est redemptio per Christi sanguinem atque reconciliatio, & omnia persoluta sunt: & parata quӕ ad cœnam pertinent, Luc. 14. & sic semel promerita est salus & iustificatio per Christum sufficienter &c. Porrò iubet Christus, & mittit discipulos suos in mundum, vt prӕdicét Euangelium, id est, non partem Euangelij, sed totum & integrum Euangeliū cum conditionibus suis. Continet enim Euangelium duo potissimùm, nempe fidem & opera dilectionis & Pœnitentiam, & hӕc vult integraliter prędicari Deus: ideò semper illa coniungit, primò, si quis vult participare virtutem victimӕ Christi. Inquit enim Christus, pœnitemini & credite Euangelio, Marc. 1. id est, Cessate à peccatis & vitijs & carnis operibus contra legem Dei perpetratis, Gal. quinto. hoc cùm fecerimus, tum credenda est efficacia victimӕ Christi. Nam viuenti in peccato, sinè pœnitentia nulla distribuetur efficacia Christi passionis. Ponitur ergò primo loco pœnitentia, deindè fides scilicet acquirendę remissionis, Marc. primo. Qui ergò nunc docet remissionem peccatorum, credere, ꝑpter Christum, & tamen negligit docere pœnitentiam, id est, cessationem à peccatis, & exercitium virtutum, ille non prӕdicat totum Euangelium. nam Spiritussanctus arguit mundum de peccato, Ioann. 16. antequàm inculcat remissionem propter Christum. Vana est ergò illa fiducia consequédӕ misericordiӕ Dei sinè medio pœnitentiӕ. Credas quātum velis, quia Christus vult remittere peccata propter suum sanguinē, aut Deus propter Christum: nisi etiam cessaueris peccare, & reconciliatus fueris fratri, ac dignos fructus pœnitētiӕ non feceris, non consequeris remissionem peccatorum: cor enim contritum & humiliatū Deus non despiciet, Psal. 50. Prӕdicare ergò pœnitentiam sinè fide, aut fidem sinè pœnitentia, non est integrum Euangelium Christi prӕdicare. Et hic est error, quem Lutherani ipsi agnoscūt, quòd carnales docuerunt fidem qua iustificamur sinè pœnitentia: ex illo venit, vt nemo curet confessionem, satisfactionem & cessationem à peccatis, nemo adulterium, furtum, vsuram timet &c. nemo curat obseruantiam prӕceptorum Dei: sed solùm docent, credendum esse in Christum, & sic fore omnia plana. At altera pars Euangelij docet, quòd qui carnis opera sinè pœnitentia fecerit, illum sua fides non saluabit, sed damnabitur, 1. Corinth. 6. Nolite errare, neque fornicatores, neque adulteri, neq; molles &c. regnum Dei possidebunt. Sic Ephes. 5. Hoc scitote, quòd nullus fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorū seruitus, habebit hӕreditatem in regno Christi & Dei. Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis, &cӕ. qui talia agunt, regnū Dei non possidebunt &c. At quidnam proderit docere, quoniā ꝑpter Christum per fidem impetramus remissionem peccatorū, si non cessauerimus à vitijs, sed omnes volunt & putant se credere, audire Euangelium, habere verbum Dei, nemo tamen cessat à peccatis? Ideò solùm docere, credendum esse quòd propter solam fidem iustus & saluus sis, & non etiam docere pœnitentiam & contritionem, hoc est dimidiam partem Euangelij proferre ad populū, & truncare aut mutilare verbū Dei: fructus verò quales hӕc doctrina pepererit, totus iam mundus docet, quàm ethnicè & securè viuant homines. Fides omni hora sperat & cupit remissionem peccatorum propter sanguinem Christi: sed si non cessat peccare, sed viuit sinè pœnitentia in illis, quomodò apprӕhendet remissionem? Ergò prima pars Euangelij docens fidem in Christum, i. quòd propter ipsum consequamur gratiam & reconciliationem, non sufficit: nam Spiritus sanctus non solùm clarificat Christum, sed etiam arguit mundum de peccato, Ioann. 16. Est igitur pœnitentia siue cessatio à vitijs, medium quo fides apprӕhendit remissionem peccatorū propter Christum: non est autem meritum: ità fides per Baptismum, qui est medium, Christum induit, Roman. 6. ità fidei per confirmationem accipit donum confessionis liberӕ Christi, ità fides per verbum apprӕ-

appræhendit quòd docet Christi gratiã, ità fides per sumptionem Eucharistiæ confortat hominem, vt iterùm intret in communionem Christi & sanctorum. ità fides in matrimonio excusat peccatum libidinis, ità fides in vnctione per medium orationis impetrat remissionem. Omnia hæc Sacramenta sunt media, & non merita, per quæ Deus distribuit gratiam Christi, & sinè illis non vult distribuere, quia omnia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, &cæt. Sic docet Euangelium, quòd credere debeamus, quoniam Deus propter Christum vult omnia donare: sed quoquè docet, vt Deum exoremus. Ioann. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, &cæt. & docuit nos orare omnia necessaria, Matth. 6. Dicite, Pater noster &c. non vult tibi donare absque petitione, nec tuas preces & cultum habere, nisi priùs reconcilieris fratri tuo, Matth. quinto. non curat eleemosynas aut ieiunia propter homines, sicut
Luc. 18. ille Pharisæus dicebat: Ieiuno bis in hebdomade &c. Quarè pœnitentiæ nomine includuntur omnia media, quæ ad appræhensionem promeritæ gratiæ & salutis pertinẽt, sinè quibus non sequitur nec efficax est promissio Christi. Igitur necessariò pertinet ad docendum & prædicandum totum Euangelium ipsa pœnitentia & obseruantia præceptorum Dei: alioquì non sequeř iustificatio. Nam & ipse Chri-
Mat. 4. stus cùm inciperet prædicare, pœnitentiã docuit, & Ioannes Baptista prædicationem Euangelij à pœnitentia exorsus est.
Mat. 3. non incepit sic prædicare, Credite solùm in CHRISTVM: sed dixit, Pœnitentiam agite. Sed hoc hæretico errore, cum fide in Christum sinè pœnitentia, totum ferè mundum illi infecerunt & seduxerunt, sicut Adamum & Euam serpens decepit persuasione falsa, vt comederent de arbore prohibita, & nihil fore eis periculi &c. Postquàm igitur per fidem & pœnitentiam iam appræhendimus Christum & omnia cum Christo, quatenùs nunc & regnum æternum consequamur in futuro, sicut in præsenti accepimus remissionem in Baptismo: iterùm dedit Deus media, nempe obseruantiam præceptorum, quatenùs his retineamus appræhensam Christi gratiam & salutem: non meremur salutem, quæ iam promerita est semel, sed retinemus illam, ideò sunt necessaria hæc media: nam quotiès vel vnum frangimus, tunc amittimus acceptam gratiam & efficaciam sanguinis Christi, & posteà salutẽ, quæ ex illa gratia fluit, id est, vulneribus Christi: nam qui peccat, ex diabolo est, 1. Ioann. tertiò, & ideò dicitur Matt. septimo: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum cælorum: sed qui fecerit voluntatẽ patris mei, id est, præcepta seruauerit, quib⁹ retinebit iustitiam, hic ingredietur. Ergò sunt necessaria bona opera in illum finem, quatenùs retineatur distributa salus. nam si secundùm carnem vixerimus, moriemur, Rom. octauo. At hoc notandum, quòd obseruantia præceptorũ & bona opera exiguntur & docentur post fidem, quatenùs iustificationem & salutem iam promissam retineant: est enim salus solùm promissa, & secundùm spem salui sumus, ad Titum 3. Ideò nè frustremur hàc spe, necessaria est obedientia legis. Non enim docemus vel exigimus obedientiam præceptorum & bona opera ante fidem ad promerendam salutem: hoc enim Iudęi faciunt, qui volunt sic mercari salutem sinè fide Christi, Roman. 10. Volentes suam iustitiam statuere, &c. Sed post fidem & acceptam gratiam, nè iterùm amittamus, sed tandèm promissionem gloriæ propter Christum accipiamus. Sic Paulus ad Roman. tertiò docet primò iustificationem per fidem, & deindè statuit legem, Galat. 5. Fides quæ per dilectionem operatur. Atque in summa, ad hoc requiruntur opera bona in iustificatis, quatenùs retineatur, non promereatur, iustificatio. Deindè, quoniam hoc graue est naturę nostræ peccato oppressæ, ideò Deus in eodem momento, quo peccatum remittit per fidem, per eandem fidem etiam donat Spiritumsanctum cum fructibus suis, quatenùs sit tutor & custos appræhensæ iustitiæ, qui mortificet facta carnis, Roman. octauo, & suos operetur fructus, non ad merendam salutem, sed ad retinendam. ideò infundit Spiritumsanctum in Baptismo, ad Tit. tertio, quẽ effudit in nos abundè. Rom. 5. Charitas Dei diffusa est &c. propter hoc donum in gratia concessum. quoniam autem amisimus & repulimus Spiritumsanctum per peccatum, ideò vult nos Deus punire de transgressione & contemptu suorum præceptorum: non enim hoc natura nostra nuda postulat, nec tentat nos Deus vltra hoc quod possumus, 1. Corint. 10. Ex illis iam iterùm agnoscitur error, quoniam docetur salus æterna propter solam fidem in Christum sinè medio, id est, obseruantia præceptorum, cùm tamen aliter Christus

& Euangeliū doceant: suaue est hoc Euangelium valdè, quod sinè pœnitentia & labore, sinè obseruatione legis Dei propter solum credere in Christum, sibi promittit salutē. Quod si Deus approbaret, tunc essemus liberi. Sed obstat altera pars Euangelij, quæ quia non docetur à nouis Euangelistis, ideò solum dimidium Euangeliū docent: tacent enim de ijs quæ carni sunt ingrata, nempè pœnitentia & obseruantia legis Dei, & tantùm placētia & suauia docent, ipsos per solam fidē saluos fore, atq; contra parabolæ Euangelicæ exemplum
Luc. 10. faciunt, cùm Samaritanus (id est, Christus) vulnerato homini non solùm oleum lene & suaue, id est, gratiam, sed & vinum mordacitate ingratum, id est, legis obseruantiam infudit. Sed aliud nihil faciunt, nisi quod simplicium hominū corda per dulces sermones seducant, & sathanæ mancipia faciant. Sed sanguis subditorum requiretur ab illis, Ezechiel. 30. At inquiunt: Docemus & nos opera & pœnitentiam, sed ità quidem docent, sicut tyrannus quidam fecit, cùm vellet ꝓhibere ebrietatem, omēs eradicauit vites. Sic illi fiduciam operum volentes tollere, opera ipsa tollunt, cùm dicunt opera nullius esse meriti, & Deum non requirere, & esse contraria sanguini Christi. Deus non exigit merita à nobis aut opera, quatenùs mereamur salutem: hoc commisit CHRISTO filio suo, & hîc stat sanguis eius: sed hoc commisit nobis & exigit, & in eum finem donat Spiritumsanctum, quatenùs distributam gratiam, per obedientiam legis suæ custodiamus: non opùs est vt salus iterùm & de nouo promereatur. Sufficiēs est hîc Christus. at quatenùs custodiamus appręhensam & promissam in Baptismo, in eum finem exigitur obedientia præceptorum: qui ergò solùm vult credere & non obedire, ille amittit promissum futuræ gloriæ regnum. Sic Deus dedit mandatum primis parentibus Gen. 2. nè vescerentur de fructibus prohibitis: nō dedit vt illo mandato obseruando mererentur paradisum, quem iam eis ex gratia dederat possidendum, sed vt eum retinerēt, custodirentq́; Ità dixit Moses filijs Israel ex præcepto Dei, qui etiam iam acceperant præcepta
Deut. 9. in tabulis lapideis: Scito quòd non propter iustitias tuas Dominus dederit tibi terram hanc optimam in possessionē &c. sed vt compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus nostris, Abraham, Isaac, & Iacob. Memento ergò nè obliuiscaris, quomodò ad iracundiam Deum prouocaueris &cæ. Ideò vt possiderent & retinerent terram promissam, dedit illis legem obseruandā in duabus tabulis, vt facerent voluntatem Dei: & custodirent ac retinerent terram promissam, non vt mererentur. Sed quoniam peccauerunt, & legem transgressi sunt, ideò nullus illorum ingressus est terram illam, præter Iosue & Caleph, Numer. 14. Sic promisit Deus nobis salutem propter Christum, & Christus iam victima factus, semel meruit terram sanctam, id est, gloriam æternam: at nunc Deus dat præceptum, & renouat in Euangelio, & exigit obedientiam legis, non vt per illam mereamur salutem, quæ iam antè parta & promissa est propter CHRISTVM, sed quatenùs custodiamus illam promissionem salutis, & retineamus per hæc media. Sed si non obediērimus illis præceptis Dei, fiet nobis sicut filijs Israel, qui licèt erant in ipsa via, & habebant terræ sanctæ promissionem, tamen quia legem Dei aspernabantur, mortui sunt, & minimè terram illam attigerunt, exceptis duobus, &cæt. Numer. 14. Porrò vltra hoc, quòd promissionem salutis consequimur per obedientiam præceptorum, promittit etiam Deus præmia varia in hac & post hanc vitam, spiritualia & corporalia, sicut patet in promissionibus legis Exod. 20. Deuter. 28. Leuitic. 26. & calicem aquæ frigidæ Deus vult remunerare, Matth. decimo, orationem & eleemosynam & ieionium, Matth. sexto. illa omnia vult recompensare varijs præmijs & gloria æterna ex gratia propter Christum, id est, ipse vult sic recompensare nostrum laborem & opera. sic enim promittit, licèt opera nostra non mereantur per se. Quotiès ergò de merito operum fit mentio, ibi adimitur illis meritum salutis, & transfertur in CHRISTVM solum & eius vulnera: & quotiès fit mentio de recompensatione operum, ibi iterùm nuda DEI misericordia & promissio locum habet primum, qua DEVS sic recompensat nostram obedientiam legis, vt sic sola laudetur gloria gratiæ suæ. Non enim derogamus Christo, aut fiduciam in operibus locamus: sed facimus omnia quæ facere debemus, & adhuc pendemus à nuda DEI misericordia, quæ nobis propter CHRISTVM promissa est, &cæt. Sic docere, est totum Euangelium docere. Ex quo nota-

notatur, quàm mendaces sint sectarij, qui apud populum suum ità nos traducunt, dicentes: Papistæ confidunt in suis operibus, Missis, ieiunijs, cæremonijs &c. & ibi ligant salutis suæ fiduciam &c. cùm tamen nos multo aliter illa faciamus, nempè ad laudem Dei omnia, & sinè opinione iustitiæ. Sed hæretici similes sunt tonitruo, quod fruges auborum deijcit, & procellę, quæ naues onustas mercibus submergũt, vt inquit Cyprianus Serm. 5. de lapsis.

QVOMODO HOMO ACQVIRERE VALEAT IVSTIFICATIONEM. Cap. 3.

PRIMO ò, generalem notat Paulus regulam, quòd omnes peccauerunt, Roman. 3. & quòd non est distinctio: omnes igitur damnati sunt, & in Adam omnes peccauerunt. Roman. 5. omnes indigent gloria, id est, misericordia Dei at iustificamur, id est, peccatum nobis remittitur gratis per gratiam ipsius, id est, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, hoc est, per sanguinem eius effusum: quem Christum Deus constituit causam remissionis peccati & salutis, & non nostram iustitiam, quæ mortis efficacia appræhenditur per fidem in sanguine eius: fecit quoquè eum mori ad ostensionem iustitiæ suæ, quæ voluit victimam pro peccato. Esai. 53. Posuit in eo iniquitatem omnium nostrûm. & iterùm, Percussi eum propter scelus populi mei. ergò ipse Christus est iustus, & Deus iustificat eum, qui est ex fide IESV Christi. Et sic causa peccati est Adam, causa remissionis & iustificationis est mors Christi. Qui hanc vult iustificationem appræhendere, ei necesse est vt habeat fidem Christi. Deindè quamuis Deus non iustificat hominem per meritum propriorum nostrorum operum, quæ nos facimus, sed ex misericordia gratis sinè nostro merito, vt gloriatio nó sit nostra, sed Christi, 1. Cor. 1. Hiere. 9. per cuius meritum solius liberamur à peccatis, redimimur & iustificamur, attamen misericors Deus non operatur vel ità agit cum homine, tanquàm cum trunco, sed trahit eum sic, vt & ipsius voluntas pariter cooperetur, si est in perfecta ætate. Sed quomodò trahitur, ex quo etiam Christus dicit Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum? Respon. Deus sua gratia prę-uia mouet cor & voluntatem hominis, vt iram Dei perhorreat & tremat, dum illi in mentem veniunt peccata commissa, & sic incipit tædere de peccato, & contritionem sentit, & vellet se non fecisse peccatũ, Esai. 55. ex quo peccatum facit inimicitias inter Deum & hominem, sicut Esai. dicit, Sicut cæli exaltãtur à terra: ideò terretur homo ob peccatum & iram Dei, & hoc efficit Dei gratia præueniens, Psal. 58. & 22. Misericordia eius (id est, gratia eius) præueniet me, & subsequetur me. et sic oritur displicentia & contritio de peccato, & sinè hac contritione nemo potest venire ad thronum gratiæ & misericordiæ Dei, nisi primùm à peccatis declinet. Ideò Ioannes Baptista, qui præparauit Domino viam, incepit prædicationem suam à graui & valdè serio exordio agendæ pœnitẽtiæ, cùm diceret: Pœnitentiam agite, appropinquat Mat. 3. enim regnum cælorum. Et sic Spiritussan- Ioh. 16. ctus arguit mundum per legem de peccato, hoc est, illuminat omnes, & radio suo verberat in consciẽtia, quòd omnes essent peccatores & dãnati. Sic inquit Esai. Omis caro fœnum &c. Parate viam Domino, & Esai. 40. reuelabitur gloria eius. Ideò oportet præcedere contritionem & conuersionem, & tremorem iudicij & iræ Dei. Et quandiù manet securitas in peccatis perseuerans, tandiù ibi nulla erit remissio: nam homo non appræhendit beneficia Christi, vbi non per præuenientem gratiam voluntas eius trahit. Esa. 66. dicit, In quo vult habitare Deus, nisi in illo qui habet cor contritum, id est, quod tremat iram Dei? Quòd autem Deus grauiter irascatur & horribiliter minetur omnibus peccatis, hoc vel solum probat, quòd hanc iram & iudicium, statim post perpetratum peccatum Adæ, verbo suo cum pœnis fecit denunciari: immò & ante casum Deus ipse dixit Adæ, In quacũque die comederis ex eo, morte morieris, Genes. 2. prædixit illi pœnam peccati. Roman. 6. Stipendium peccati mors. In hunc finem etiam dedit legẽ tanquàm testimonium certum, in qua docet quòd mors, infirmitates & variæ calamitates ideò accidunt, vt cognoscamus iram Dei erga peccatum. Sic patet Exod. 20. quòd transgressio præceptorum Dei vindicabitur in tertiam & quartam generationem. Et Leuit. 26. variæ describuntur calamitates, quibus Deus punit, & iram suam declarat aduersùs peccatum. Ideò calamitates huiusmodi sunt admonitiones ad pœnitentiam: & ideò Deus etiam vult, quòd in Ecclesia sua vsque ad finalem redem-

ptionem, peccatum per verbum Dei & spiritumsanctum arguatur, sicut scribitur Ioann. 16. Spiritussanctus arguet mundum de peccato &c. Haec omnia (id est, terrorem ob peccata) excitat praeueniens gratia Dei, qua mouetur cor & voluntas ad displicentiam peccati, conuersionem & contritionem: Sic lex semper terret conscientiam, & accusat de peccato, & illud manifestat, Roman. 3. Praetereà Deus non solùm manifestauit iram suam per verbū & legis poenas, sed etiam gratiosam promissionem manifestauit de filio suo Iesu Christo, & est ipsius aeterna & immutabilis voluntas, iuramento suo & sanguine filij sui, & illius resurrectione & multis miraculis confirmata, quòd certo certiùs velit peccata condonare, deindè donare Spiritumsanctum suum, acceptare, innouare & adoptare nos aeternae beatitudini propter filium suum, non propter nostram dignitatem & meritum. Quandò igitur in hoc terrore & contritione nos verè credimus ac confidimus, quòd nobis propter illum mediatorem Christum certò peccata remittantur: nam Deus mentiri non potest, nec tot testimonia de CHRISTO fallunt. Vndè qui dubitat, Deum mendacem facit: qui ergò certò sic credit verbo promissionis Dei, illi statìm contingit remissio, & fides eius apprehendit remissionem peccatorum: Deindè eodem momento iam iustificato homini donatur quoquè donum Spiritûs sancti, qui statìm incipit operari fructus suos in homine, sed cui iam sunt remissa peccata. Gal quinto, Fructus spiritûs sunt, charitas, timor, pax, &c omnes has virtutes operatur in homine iustificato, & cui iam sunt condonata peccata sua. Idem Spiritussanctus iam incipit renouare hominem, & expurgare vetus fermentum, id est, peccatum, quo natura nostra infecta & corrupta est à prima natiuitate. Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus concepit me mater mea &c. Sic per castitatem expellit vitium & opus carnis, id est, vagam libidinem, adulterium & immunditiam: per charitatem expellit inimicitiam, rixam, discordiam, contentionem, &c. Sic dixit propheta Samuel ad Saul, quandò eum vnxit in Regem Israel: Insiliet in te Spiritus nomini, & immutaberis in virum alium, hoc est, Spiritussanctus longè aliud operabitur in te, quàm tu à natura habes. Vndè Apostolus 1. Corinth. secundo, animalis homo non percipit ea quae sunt spiritûs, id est, homo cui non est donatus Spiritussanctus, nescit illa quae operatur Spiritussanctus, & solùm secundùm carnem viuit & operatur: non habet neque intelligit quae sunt Spiritûs sancti. Vt igitur homo cui iam in primo gradu sunt condonata peccata, renouetur: datur iam in secundo gradu Spiritussanctus, vt renouet & nouum faciat hominem. Idem Spiritussanctus per illam suam operationem in homine iustificato, scilicet per suam dilectionem, patientiam, timorem & suos fructus &c. non meretur remissionem & iustificationem, quae iam antè in primo gradu est apprehensa gratis sinè omni addito merito & dignitate operum nostrorū. Sed solùm retinet, nè iterùm amittatur per vitia & opera carnis, apprehensa remissio & acceptatio: nam vitia & peccata expellunt gratiam & Spiritumsanctū. Roman. octauo, Si secundùm carnem vixeritis &c. Ephes. quinto, 1. Corinth. 6. Quatenùs igitur retineatur gratia, cooperatur Spiritussanctus, non vt mereatur suis fructibus. ideò dicit Apostolus: si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Roman. octauo. Et hoc signanter notare oportet, quòd non est idem remissio peccatorum & acceptatio Spiritûs sancti. Sed remissio peccatorum praecedit, quae ex mera gratia fit propter effusum sanguinem CHRISTI, deindè donatur Spiritussanctus iustificato, vt accendat nos dilectione & alijs fructibus suis. Sic distinctìm ponit illa duo Apostolus ad Titum tertio, Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri, non propter opera iustitiae quae fecimus nos, scilicet quòd incarnatus est, sed secundùm misericordiam natus est & saluos nos fecit, id est, per effusionem sanguinis sui per lauacrum regenerationis, in quo condonantur omnia peccata, & nouus homo Deo nascitur, & sic praecedit primò remissio peccatorum: deindè ait Paulus, & renouationis Spiritûs sancti, quem effudit in nos abundè, & donat tanquàm speciale donū propter Iesum Christum Saluatorē nostrum. Si roges, quarè? ideò, vt qui iam sumus iustificati gratia ipsius Christi, i. qui accepimus remissionē peccatorū, & acceptati sumus ad vitā ęternam, nunc Spiritussanctus suo adiutorio & operatione suorum fructuum nos conseruet in spe vitae aeternae consequendae. Non ergò vna res est remissio peccatorum, & donum Spiritussancti, non pertinent ad opus remittendi peccata aut iustificationis,

nis, sed retentionis appręhensę semel propter CHRISTVM remissionis. Licèt ergò Fides eodem momento appræhendat hæc duo, id est, effectum & opus promissionis, hoc est, credens iam verbo Dei, quo promittit gratiam credenti, Iohan. 3. statìm in opere accipit id quod promittitur: nam Diuina promissio Fide sola appræhenditur, & eodem momento Fides etiam appræhendit Spiritumsanctum: nō sunt tamen vna res, nec idem opus faciunt, quia fides credēs promissioni, accipit remissionem peccatorum, Spiritus autem sanctus retinet acceptam. Porrò iste modus acquirendi iustificationem, id est, per gratiam præuenientem, quę verbo & lege nos terret à peccatis, & deindè promissio remissionis ꝓpter Christum, ab ipso Christo est prædicatus, & à Iohanne Baptista, & omnibus Prophetis & Apostolis Marci 1. Pœnitemini, & credite Euangelio. Et Luc. vltim. Prędicare in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Matth. 3. Iohannes Baptista ait, Pœnitentiam agite, quia appropinquat regnum cęlorum &c. Summa autem rei non in vna re cōsistit, id est, appræhensiōe sola per fidem, sed etiam in retentione. Hìc labor & dolor. Fides non est charitas: ergò vnum accipit, alterū retinet iustificationem. Modum igitur & formam iustificationis cernim⁹ in Dauide. Ille primò peccauit adulterio & homicidio, 2. Reg. 11. At venit Nathan terrens eum parabola, & concludens illum esse filium mortis & damnationis æternæ. Sic Lex arguit conscientiam, iram Dei proponens. Dolet Dauid, inquiens: Peccaui Domino. Deindè inquit Propheta, Transtulit Dominus peccatum tuum: hoc est Euangelium. At Dauid posteà ambulat in pœnitentia, scilicet adulterij & occisionis, obseruat legem Dei, timet Deum, diligit proximum &c. Sed nunquìd istis operibus meruit iustificationem aut salutem? absit. Nam inquit Psal. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine &c. Non sentit ergò se iustificari suis operibus. At fuerūnt ne frustranea opera ipsius, & obedientia? absit. Nam pax multa diligentibus Deum, Psalm. 118. Habet obedientia legis sua promissa præmia, & Euangelium sua gratis propter Christum.

DE FIDE ET CHARITATE, AN SINT IDEM & vna res. Cap. 4.

Primò Fides est certa erectio terrefactæ conscientię ad impetrandam rursus gratiam & misericordiam ꝓmissa propter Christum. Hoc autem ità fit: Lex secundùm Apostolum ad Roman. 4. iram operatur, id est, mouet iram, terret & angit conscientiam, quia proponit iram Dei, & pœnam in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. Et maledictionem perpetuam, Deut. 27. Et de tali angustia sæpè loquūtur Prophetæ. cùm Dauid Psalm. 6. & 37. talem angustiam sentiret, dixit: Domine, nè in furore tuo arguas me &c. Et Ezechias, Omnia ossa mea confracta sunt sicut à Leone. Qui ergò non nouit aliquem consolationem in recordatione & angustia peccatorum suorum, ille in ira moritur & perpetuò damnabitur: & tales sunt Iudæi, Gentes, & omnes infideles. Est ergò erectio conscientiæ in Deum cum fiducia impetrandi gratiā & misericordiam promissam ꝓpter Christū pœnitēti, Acto. 10. Dum ergò homo in tali angustia cogitat passionem Christi, & quòd propter hanc mortem & victimam sit promissa remissio peccatorū, & gratia credenti & pœnitenti, tunc statìm incidit ipsi & cogitat, En vis acceptare & credere ꝓmissioni, & sic erigit animum deiectum, credens & cupiens accipiensq; affectum promissionis. Et hoc dicit Apostolus Hebr. 11. Accedentem ad Deū oportet credere, scilicet promissioni; quæ propter Christum & mortem eius facta est. Et sic homo credens Deū esse veracem in suis promissis, iterùm erigit se, & petit gratiam illā propter Christum promissam sibi exhiberi. Item Fides est fortitudo nostra, qua vincim⁹ in terrore & accusatione peccatorum & legis, angustiam & tentationem in pugna: quoniam Christus vicit mundum, & maior est quàm omne peccatum, propter quem stat promissio gratiæ. Ideò dicit 1. Iohā. 5. Hæc est victoria, q̄ vincit mundū, fides nostra. Sic etiā dicit Psal. 41. Ad qd cōturbaris anima mea, & inqetas me? spera in Deo, & videbis salutare &c. Fides ergò iterùm erigit conscientiā turbatā, quādò credimus ꝓmissioni de Christo factæ. Est aūt differētia inter fidē, quæ sola historię est cognitio de Christo, quòd nat⁹ & passus sit, & resurrexit, id quod etiā dęmōes credūt, Iaco. 2. & inter fidē q̄ credit ꝓmissiōi, & cupit & acceptat: hęc est integra & pfecta fides, nēpe credere Christū mihi natū, mihi passum, qua fide accepto & credo promissioni. Esai. 38.

Et de hac fide loquitur Apostolus Roman. 4. quæ promissionem acceptat, sicut Abraham dedit gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promiserat ei Deus, ea potens esset facere: acceptauit igitur promissionem de hærede, & credidit, & reputata est illi hæc fides ad iustitiam: Ergò hæc fides quæ sola est cognitio historiæ, sicut in dæmonibus, non est vera nec tota fides. Illa autem fides integra credit remissionem peccatorum, & acceptat promissionem, & in corde est vera fiducia in Filium Dei, quę fides consolationem affert, & inuocationem vnà cum alijs virtutibus, & de illa fide loquitur Esai. & Paulus Roman. 10. Qui confidit aut credit in eum, non confundetur. Sic est verissimũ quòd nulla alia via est ad Deum veniendi, & remissionem impetrandi peccatorum, nisi per solum Filium, sicut scriptum est Iohan. 14. Nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Est igitur fides erectio & consolatio turbatæ cõscientiæ, quę iterùm appræhendit misericordiã & gratiam. Fides igitur tenet se ad ꝓmissionis verbum, & hoc acceptat, & in illo viuit & quiescit, & sic appræhendit Christum cum om̃ibus suis beneficijs. Nam qui dat Filium, etiam omnia dat cum Filio, Roman. 8. Deindè quandò iam appræhendit Christum, id est, efficaciam sanguinis sui, quo ad remissionem & iustificationem, tunc eadem fides confortatur & cõseruatur per donum, quod Deus homini iustificato donat, id est, Spiritum sanctum: & tunc eadem fides operatione & adiutorio Spiritussancti incipit operari per dilectionem. Vndè ait Gala. 5. Fides quę per dilectionem operatur, & dicitur viua fides: ante verò acceptionem Spiritussancti fides non operatur. Nam dilectio est fructus Spiritussancti, Galat. 5. Ergò fides ante donationem Spiritussancti solummodò appræhendit iustificationem: sed accepto iam Spiritusancto, qui dilectionem & obseruantiam legis DEI accendit in corde: tunc sequitur operatio fructuum Spiritussancti. Oportet ergò fidem primũ esse, antequàm operatur, quia ipsa est artifex & magister omnium bonarum actionum per virtutem Spiritussancti. Sed sinè Spiritusancto fides est sinè dilectione & operatione: & tunc vera fides non est, quia non operatur: nam vbì dilectio nõ est, ibì neque Spiritussanctus: quia vbì est Spiritussanctus, ibì & fructus eius: at inter omnes fructus primus est dilectio, Galat. 5. Ergò vbì dilectio non est, ibì neque fides neque Spiritussanctus est. Ob id Apostolus 1. Timoth. 1. iungit hæc duo, fidem & bonam conscientiam: nam vbì hæc duo non sunt coniuncta, ibì nec fides nec Spiritussanctus retinetur. Operatio igitur virtutum & bonorũ operum, quę Spiritussanctùs per fidem operatur, non sunt causa iustificationis, nec in eum finem fiunt, quia iam fides in primo gradu accipit remissionem, & mox in secundo accipit Spiritúsanctum, qui nunc post iustificationem incipit operari: ergò dilectio & alij fructus Spiritussancti ac bona opera, non merentur iustificationem, sed retinent. Fides igitur & dilectio seu opera, non sunt idem, sed diuersę res, & diuersas habent operationes: nam fides appræhendit, dilectio autem retinet. Vbì ergò non est dilectio, quæ sequatur fidem, ibì nec iustificatio retinetur: sed si non retineatur, nihil proderit accepisse, sed æterna mors & damnatio sequitur. Sed hæc omnia in adultis hominibus intelligenda sunt. Ideò 1. Iohan. 3. dicitur: Qui non diligit, manet in morte. Et idem: Hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrùm, sicut dedit mandatum nobis. Iohan. 15. Hoc est præceptum meum, &cęt. Qui seruat hæc mandata, manet in illo, id est, Deo, & ipse in eo. Et Iohan. 14. Qui diligit me, sermonem meum seruabit. Ergò dilectio retinet iustificationẽ. Ex quo sequitur quòd fides & dilectio simul coniuncta, non merentur iustificationem: nec quælibet harum separata & sola, sed solus Christus est causa, & meruit suo sanguine nostram iustificationem, & illam fides appræhendit, & dilectio retinet, quæ obedit legi Dei: hæc doctrina dat Christo suam gloriam, & quietat conscientiam, & Scriptura vbiquè hæc duo inculcat ad salutem necessaria, nempe fidem & dilectionem, licèt in alium finem: quia fides appræhendit, & dilectio retinet, & id diuerso modo. Tertiò, sicut sub nomine fidei compręhenditur & includitur appræhẽsio, acceptatio bonorũ omnium Christi: ità sub nomine dilectionis includunt omnia bona opera & virtutes, pœnitentia & obedientia legis Dei, oratio, ieiunium &c. quæ omnia fiunt in finem retentionis gratiæ acceptæ propter Christum: sed hanc distinctiõem firmiter tenere oportet, quòd fides solummodò appræhendit, & dilectio solùm retinet, nè fiat mixtura, scilicet quòd dilectio appręhẽdit simul cum fide,

aut

aut quòd fides retineret sinè dilectiõe, vel
sola retineret & apprehenderet &c. Vt er-
gò sunt distinctę virtutes, fides & dilectio,
ità distinctas habent operationes: sunt ta-
men ambæ necessarię ad salutem, licèt alio
& diuerso modo, vt dictum est. Et tam-
etsi fides est plurimùm extollenda & ma-
gnifacienda, tanquàm nobilissima & su-
prema aliarum virtutũ in eum finem, quia
appræhendit Christum & eius beneficia
simul, id quod nõ facit vel dilectio, vel ti-
mor, vel castitas, vel patientia &cæt. nulla
huiusmodi virtutum appræhendit primò
beneficia Christi, nec habent vllam effica-
ciam ante fidem: tamen dilectio ipsa cum
cæteris virtutibus & operibus præcepto-
rum, non est minùs extollenda & magni-
pendenda, quia illa retinet appræhensam
per fidem Christi gratiam: immò nobis-
cum intrat & permanet in cælo, sicut dicit
1. Corinth. 13. dilectio nunquàm excidit.
Non minùs ergò est faciendum, retinere
thesaurum, quàm acquirere & appræhen-
dere thesaurum: laboriosius igitur est, re-
tinere iustificationẽ quàm apprehendere.
Multi eñ sunt iustificati in Baptismo: sed
quia nõ custodierũt illam, ideò nihil pro-
fuit eis. Ob id diligẽter Scriptura inculcat
vbiquè locorũ, vt custodiamus oblatã no-
bis gratiã Christi, nè in vacuũ eã accepta-
uerimus, 2. Cor. 6. vt iustitiæ viuam⁹ nũc,
qui liuore Christi sanati sumus, 1. Pet. 2. vt
expurgemus fermentũ, & simus dulces pa-
nes, quoniã pascha nostrũ immolatus est
Christus, 1. Cor. 5. Sanguis Christi emun-
dauit nos ab operib⁹ mortuis, i. peccatis ad
seruiendum Deo: & in hunc finem Patres
adeò diligẽter hęc duo coniuncta docue-
runt, nempe fidem & opera bona charita-
tis, obseruantiam præceptorum, ieiunio-
rum, vigiliarum, orationum, eleemosyna-
rum, peregrinationum, votorum, ordi-
num &cæt. scilicet nè iterùm amitteretur
appræhensa per fidem iustificatio, non vt
illam mererẽtur opera: in illum finem in-
culcàrunt pòpulo bona opera, nempe post
fidem, sicut Paulus facit, cùm ait ad Ro-
man. 3. Destruimus legẽ per fidem? absit,
immò legem statuimus, i. lex nunc obser-
uari debet, sed ad quid, nisi ad retentionẽ
iustificationis, quam Deus per fidem effe-
cit? Sic ad Rom. 6. dicit, Peccabimus, quo-
niam non sumus sub lege, sed sub gratia?
id est, quia Legi est adempta iustificatio,
quòd non iustificat, quia gratia Iesu Chri-
sti effectiuè per fidem iustificat, & iustifi-
catio per fidem, non autem per legem im-
petratur: ergò nunc peccabimus, quia Lex
nihil proderit ad iustificatiõem? absit. Li-
berati nunc à peccato, serui facti estis iu-
stitiæ: ideò Apostolus etiam opera nobis
inculcat, sed post fidem, quatenùs gratia
& iustificatio retineatur. Ideò opera in-
culcare contingit duplici modo: aut, vt
mereantur iustificationem, hoc falsum &
Iudaicum est. Roman. 10. Volentes suam
iustitiam statuere &c. Alio modo, vt reti-
neant iustificationẽ per fidem appræhen-
sam: hoc est verum & Christianũ. Sic Pau-
lus quoquè statuit legẽ Rom. 3. Quoniam
ergò fides & charitas nõ sunt idẽ nec vna
res, sicut nec remissio peccatorum & acce-
ptio Spiritussancti, ambæ tamen necessa-
riæ sunt ad salutem consequendam: aliter
esse non potest, vt perspicuè res intelliga-
tur, quàm quòd fides appræhendit iustifi-
cationem, quia credit & acceptat promis-
sionem: at charitas retinet, nè iterùm
amittatur iustificatio, & sic vtrunque,
id est, fides & dilectio, est docendum se-
cundùm præceptum CHRISTI, 1. Io-
hannis 3. Hoc est mandatum eius, vt cre-
datis, & diligatis inuicèm. etcæt. Atta-
men alio modo fides, alio dilectio neces-
saria est ad salutem. Vnum enim appræ-
hendit, alterum retinet. Item fides fa-
cit, vt promeritam salutem appræhenda-
mus, & nobis applicemus: dilectio autem,
vt eandem retineamus & participemus.
Si enim non retineamus, quid prodesset
appræhendisse, quandò eam non partici-
pamus? Est igitur dilectio aliud nihil,
quàm demonstratio aut contestatio veræ
fidei nostræ, Galat. 5. Fides illa scilicet ve-
ra est, quæ per dilectionem operatur. Io-
han. 13. In hoc cognoscent omnes quia di-
scipuli mei estis, si dilectionem habueritis
adinuicèm. Fides non est remissio pecca-
torum, sed solùm appræhendit distributi-
onem remissionis per sanguinem Christi:
Similiter dilectio non est remissio pecca-
torũ, sicut nec Spiritussanctus, sed appræ-
hensam remissionẽ retinet, nè amittatur.
Sic oẽs alij fructus spiritussancti nõ sunt
remissio peccatorũ, nec merent̃, sed apprę-
hẽsam & conquisitã à sanguine Christi re-
tinẽt. Pater donat victimã, i. Christũ. Chri-
stus per fidẽ distribuit suũ meritũ, & tollit
peccatũ, ꝑmittit salutẽ: Spiritussanctus re-
tinet, nè iterùm amittat̃ &c. Videant ergò
qui ignorãt hãc doctrinã, aut scire nolũt,
statuẽtes solã sterilẽ fidem. Sic Anabapti-
stæ solùm dicunt, Pater pater donat, vult,
&c. Luterani volũt solũ Christũ, Christus

Chri-

Christus fecit. nihil de Spiritussancti opere, id est, de retentione iustificationis & illius fructibus curantes. At Ecclesia Catholica omnes tres personas Deitatis ex æquo colit: Patrem, qui dat victimã Christum: Filium autem, qui distribuit nobis virtutem suæ victimæ: Spiritumsanctum, qui retinet hæc, & nos ad ea dignos facit, etcætera.

AN IVSTIFICATIO INCLVDAT DILECTIONEM IN actu Iustificationis. Cap. 5.

NOTANDVM est primò, quòd duæ res sunt, remittere peccata, & remissionem peccatorum custodire & retinere. Primum solus Deus facit, alterum homo adiutorio Spiritussancti, qui in iustificatiõe post remissionem datur, facit, quandò sese à peccatis, sicut Christus dixit ad sanatum circa piscinam: Eccè iam sanus factus es, vade & noli ampliùs peccare, nè tibi deterius contingat. Sic 2. Corint. 6. Apostolus admonet, nè in vanum gratiam Dei recipiamus. Vocula igitur Iustificatio, propriè significat reum absoluere, id est, peccata remittere, & iterùm in gratiã recipere. Hoc autem facit nunc Deus purè propter Christum, & non propter aliquod opus aut dignitatem hominis, sed solus Christus causa est, sicut dicit Apostolus Roma. 3. Gratìs iustificamur gratia ipsius, id est, Christi, quia omnes peccauimus, & indigemus gloriã Dei. Ideò iustificare, solùm est per se opus D E I, sinè omni nostra dilectione & meritis, atq; additamento operum nostrorum, vt sic soli DEO omnia relinquamus, qui hæc facit propter Christum. Iustificare ergò non præexigit nostram dilectionem aut humanam conditionem, sed opus est quod solus Deus gratìs facit nobis: licèt non gratìs hæc ipsa gratia iustificationis sit impetrata, sed precioso sanguine IESV Christi promerita, nobis tamen gratìs distribuitur, & fides gratìs appræhendit, id est, sinè nostro merito, ità quòd tota causa iustificationis transfertur in ipsum Christũ solùm, & prorsus nihil nostris meritis tribuit. Ideò iustificatio tantùm consistit in fide mediatoris, sicut etiã dicit Augustinus Episto. 19. ad Hieronymum de Petro repræhenso à Paulo, quòd credentes sciunt se sola gratia iustificari & saluari. Si sola gratia, ergò nostra dilectio & opera non possunt esse causa, precium, meritum salutis & iustificationis. quandò ergò vocula Iustificatio, etiam debet referri ad vitam promerendam, quasi quòd hoc sit iustificare impium, & quòd nõ solùm illi peccata remittũtur, sed etiã quòd Spiritussanctus illi condonabitur, per quẽ in corda nostra dilectio infundatur, & per quam dilectionẽ homo cupiat bonum & operetur, & sic per talem vitam bonam iustus & acceptus fiat, & promereatur iustificationem: hoc non potest stare in veritate. Ideò oportet vt concedatur, hanc particulam Iustificatio, solùm referri debere ad remissionem peccatorũ gratìs propter Christum, quam fides appræhendit. Sic Rom. 3. dicit Apostolus: Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus legis, id est, sola fide sinè addito dilectionis & operum nostrorum: Hæc est fides Christiana: sed Iudaica est, velle iustificari fide & operibus, vt patet Rom. 10. Deindè hoc quoquè verum est, quòd eadem fides quę appræhendit gratìs iustificationẽ primò, etiam appræhẽdit Spiritumsanctum in iustificatione, sicut patet ad Titum 3. Secundùm misericordiam saluos nos fecit, id est, remisit peccata in lauacro regenerationis, deindè & renouationis Spiritussancti, quẽ in nos effudit abundè, & cæt. Hic donatus Spiritussanctus augmẽtat & operatur fortiorem in nobis fidem Christi. Assistit enim spiritui nostro, & testimonium perhibet, quoniam filij Dei sumus, id est, per fidem, Rom. 8. & Iohan. 1. Dedit potestatam filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Hic idẽ Spiritussanctus nouos motus in nobis excitat, & reddit nos meliores & perfectiores per fructus suos, Galat. 5. Nam natura nostra oppressa peccato, nõ potest ex se efficere spirituales motus & virtutes, id est, dilectionem, timorẽ, pacem, continentiam, deuotiõem &c. hęc enim operatur in nobis Spiritussanctus. Nam animalis homo non percipit ea quæ spiritûs sunt, 1. Corinth. 2. id est, non intelligit aut capit, nec facit ea quæ sunt spiritûs Dei. Hic Spiritussanctus facit, quòd Deum verè & ex animo diligimus pro magna ipsius & ineffabili dilectione, qua ipse dilexit nos: facitque nos obedire præceptis eius, & bona operari, ieiunare, orare, Eleemosynam dare, pœnitentiam agere, & cessare à peccatis. Summa; omẽ bonum quodcunq; facimus aut cogitamus, ab illo Spiritusancto est: hic internã & externam iustitiam operatur, & facit nos de die in diem

diem meliores: immutat vitam malam in bonam, ficut eum Zachæo, Matthæo, Magdalena, & alijs peccatoribus fecit. Attamen hoc diligenter notandum est, quòd iam ante hanc vitæ immutationem & acceptationem in primo gradu per fidem appræhensa est iustificatio, id est, remissio peccatorum gratis propter sanguinē Christi: ideò talis melioratio vitæ, & inchoata obedientia, & probitas per operationem Spiritussancti, non potest mereri aut appræhendi, aut quòd Deus Pater deberet moueri propter illam, vt nos recipiat in gratiam, & iustificet. Sic enim gratis venisset Christus, Galat. 2. Quarè si hæc immutatio vitæ & dilectionis omninò & necessariò debent sequi, scilicet ad retentionem acceptæ iustificationis, non tamen possunt esse causa & meritum iustificationis, quia hoc totum & solum relinquitur victimæ Christi, Esai. 53. Roma. 4. Mortuus est propter peccata nostra &c. Quod verò talis noua vita, dilectio, obseruantia legis Dei &c. non possunt esse simul cum fide causa iustificatióis, primò patet: nam in hac noua vita consisteret remissio peccatorum, & hæc noua vita nunquàm erit perfecta & integra, nemo satis diligit, timet, pœnitet, orat &c. & Lex semper accusat conscientiam, quia homo minùs fecit, quàm debuit: tunc non essemus certi de salute nostra. Vt autem hæc dubitatio tolleretur, voluit Deus vt crederem' promissioni de Christo, id est, quia Pater promittit misericordiam propter Christum, & non propter operũ aut vitę nostrę cooditionem, & hanc rationem notat Paulus Roman. 4. Ideò ex promissione contingit promissio salutis, non propter nostra merita, vt Fides & promissio sit certa. Debemus enim certò credere remissionem peccatorum: sed hoc facere non possumus, nisi remissionem peccatorum expectemus propter effusum sanguinem Christi, ille est enim propitiatio pro peccatis totius mundi. Prætereà, si iustificatio etiam penderet à nostris operibus & inchoata obedientia, quæ tamen solùm sunt primitiæ Spiritussancti, Roman. 8. & Iaco. 2. tunc indè sequeretur, quòd licèt Christus pro peccatis satisfecisset, etiam propter suam pasionem peccata remitterêtur, tamen adhuc defectus est in vita, quo minùs iustificaremur, si nostra dignitas, meritum & causa esse deberet iustificationis: ideò hac ratione nũquàm iustificaremur, quia nemo satis perfectus erit in hac mortali vita. Quis enim gloriabitur se mundum habere cor? Psalm. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Ideò non oportet nouam vitam, obedientiam, dilectionem &c. eò referri, nempe ad effectum iustificationis, quem Deus ipse operatur sinè nobis propter Christum, sed ad alium potiùs finem referri debent, nempe ad retentionem iustificationis, vt gloria iustificationis non attribuatur nouæ & emendatæ vitæ, sed soli merito & passioni Christi: eò enim fides respicit, & sese consolatur. Deindè ex prædictis intelligitur quomodò Fides & Dilectio, ambæ coniunctæ, necessariæ sunt ad salutem: sed non vno eodemque modo, quia Fides est necessaria ratione apprehensionis diuitiarum Christi: Sed alio modo & ratione est necessaria Dilectio & noua vita, nempe ad retentionem: & quoniam plerique ignorant hanc differentiam, & volunt quòd vno eodemque modo simul Fides in passionem Christi, & opera nostra sint necessaria ad salutem, & illam mereantur, & sic incerta manet nostra salus, aut solùm sic intelligunt, quòd sola Fides sinè omni opere appræhendat & retineat iustificationem, & sic excludunt illi Spiritumsanctum, qui ideò donatur, vt per nouam vitam retineat iustificationem, quæ per Fidem operetur bona opera: ideò vtrunque eorum falsum est, & ipsa vera huius rei intelligentia consistit in recta allegatione, quarè Fides sit necessaria, & quarè Dilectio & opera sint necessaria ad salutem: nemo prohibet aut tollit bona opera, immò necessaria sunt suo quodam modo, & exiguntur. Sunt prætereà diuersi & duplices sermones, bona opera retinent acceptam iustificationem: et, Bona opera merentur salutem & cælum: sicut si dicerem, Cibus & potus retinent vitam, &, Cibus & potus inspirant vitam: Dilectio igitur est necessaria cum suis operibus, quia iustificatio & promissa salus non retinetur, & hoc modo & sine necessaria est, sicut etiam cibus & potus propter conseruationem vitæ: sed ad promerendam salutem & cælum, non dicitur necessaria, quia solus CHRISTVS semel illam promeruit, Hebr. 9. Sic cibus & potus non est necessarius ad acquirendum spiraculum vitæ naturalis, quam DEVS dedit semel per generatióem humanam ante cibum & potum, sed ad sustentandam & retinēdam vitam: sic

sic opera dilectionis nō merentur, sed retinent iustificationem & salutem: habent tamen alia præmia in hac & post hanc vitam, iuxta pmissiones legis veteris & euangelicæ, vt Exod. 20. Leuit. 26. Deut. 28. & 1. Corinth. 3. & 15. notatur. His igitur benè consideratis, liquet & constat, quàm fœdè errant illi, qui omninò volunt esse sinè omni opere bono, & solùm credere, & reputare quasi opera nostra omnia fœterent, nec quicquàm necessaria esse ad salutem, & Deum ea non curare, &c. Pauci igitur sunt homines apud tales Sectarios, qui retineant appræhensam iustificationem, eò quòd operibus carnis indulgeāt, & omnia pia opera pro peccato reputent. Si igitur illi videntur digni correctione, qui bonis operibus vim iustificatiōis tribuunt: multò magìs digni sunt correctione, qui totaliter repudiant obseruationem præceptorum, dilectionem, opera, & negant retentionem iustificationis. Quicunque verò in hac erronea sententia perseuerant & secundùm carnem viuunt, quantuncunquè anteà fuerint iustificati, regnū Dei non possidebunt. Fides igitur licèt superexaltetur operibus omnibus, quo ad iustitiam, tamen ad retentionem iustificationis sunt necessaria.

DE FVNDAMENTO Iustificationis. Cap. 6

HOC loco scire inprimìs oportet, quòd nihil est in nobis aut ex nobis, quod nos iustificet: sed id est extra nos, quod nos iustificat: nempe nihil est in nobis vel fides, vel charitas, vel timor Domini, vel castitas, vel patientia, pœnitentia, misericordia, oratio, ieiunium, vigiliæ, &c. & nulla virtutum aliarū internarum, & nullus fructuum Spiritussancti, neque Sacramenta, Baptismus, Pœnitentia, Communio, Votum, Vnctio, Confirmatio, & alia nos iustificant, sed idipsum est extra nos, nempe preciosissima mors & passio Domini nostri Iesu Christi: hæc victima sola causa & origo est iustificationis, & illam sola fides in Christum appræhendit primò: nam ea quæ credimus, sunt extra nos, vt omnipotentia Dei Patris, vt incarnatio Dei Filij, mors & ascensio, vita æterna, remissio peccatorum, carnis resurrectio & cæt. hæc omnia extra nos sunt, quæ fides nostra appræhendit, credens verbo DEI. At fides non est Christus, nec mors, nec remissio peccatorum, &c. ideò nō iustificat, inquātùm virtus est: sed quatenùs appræhendit id quod iustificat, id est, victimam mediatoris Christi. Ex quo sequit, quòd Christus solus est, propter quē acquirimus remissionem peccatorum & vitam æternā, quæ dicuntur iustificatio: & sic nulla res in rerum natura vel in nobis vel ex nobis hoc facit, sed propter solum Christum iustificamur per fidem. Et quoniam Christus est extra nos, id est, non est vel mea fides, vel dilectio, vel pœnitentia, &c. neq; ieiunium, neque oratio, sed ipsa victima Christi est satisfactio & iustificatio nostra: Ideò causa, origo & fundamentum iustificationis, hoc est, quòd nobis peccata remittuntur, & vita æterna donatur, & iustificati reputamur &c. extra nos est, & à re extrinseca pendet, nempe à morte & passionne Christi, & non à re nostræ actionis, ità quòd hanc gloriam iustitiæ nostræ solus Christus habet & retinet, & nulla virtus aut actio hominis, sed Deus est qui iustificat propter Christum. Vndè Paulus ait, Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo salus, vita & redemptio &c. Ideò hoc verbum, iustificare, propriè pertinet solùm ad remissionem peccatorum, quā fides sola credens verbo promissiōis de Christo, appræhendit ante nostram dilectionem. Paulus Roman. 3. Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus legis &c. Ideò quandò hoc verbum Iustificare, etiam trahitur ad dilectionem, & cæteros fructus & virtutes Spiritussancti, quasi illis etiam inclusis & exactis ad iustificationem, tunc sententia erronea est: sequi autem debent necessariò fidem, dilectio & alia pia opera & fructus Spiritussancti, sed non simul cum fide iustificant: nam fides præcedit omnia in Christum, at illa sequi debent: fides sola appræhendit, hæc autem retinet. Summa igitur doctrinæ Christianæ est, quòd propter solnm Christum, si in eum vera fide credimus, simus accepti Deo, reputemur iusti, accipiamus remissionem peccatorū, Spiritumsanctum, & vitam æternam, & propter nullā aliam rem, virtutem, opus, siue sit in nobis, siue è nobis: ipse solus est propitiatio pro peccatis nostris & totius mundi. Oportet ergò hic conscientiā quiescere super solum Christum, & in nulla alia re, quo ad iustificationem: hæc fides prælucere debet omibus virtutib⁹ & operibus nostris &c. Prętereà hoc verum est, quoni-

Gala. 6.

quoniam per fidem in iustificatione etiam datur Spiritussanctus, qui in nobis fidem ipsam operatur fortiorem & auctiorem,& nouos motus excitat ad bonum, ad diligendum Deum propter ineffabilem suam beneficentiam, & ad diligendum proximum nostrum:licèt hæc nos in iustitia vitæ & operum reddant iustiores & iustificatos: attamen hi fructus seu motus Spiritussancti,non sunt iustificatio nostra,quæ mereatur remissionem & salutem: idque ob hanc rationem, quia essemus incerti de salute nostra. Nunquàm enim satis & ità vt deberemus,diligimus, aut pœnitemus, aut præcepta obseruamus, & Lex semper nos accusat: ideoque iustificatio ex fide in victimam Christi,acquiritur,vt conscientia sit certa de salute,Roman. 4. Deindè, quia si salus nostra fundaretur super nostram dilectionem,nouam vitam,opera & fructus Spiritussancti, tunc nō soli merito Christi tribueretur salus nostra,sed etiam nostræ iustitiæ, quod est contra Apostolum,Roman.6.Gratia vel donum Dei vita æterna. Vt igitur gloria soli Christo purè maneat, tota iustificatio nostra,id est, remissio peccatorū & salus æterna, transfertur in Christū,vt iustificatio impij quiescit in sola fide mediatoris,& iustificatio cōsistit solùm in gratia, sicut docet Augustinus Epist.19.ad Hieronymum de Petro repræhensō à Paulo, quòd credentes, sola gratia Christi nôrint se iustificari,saluosq; fieri. Porrò nō sic docetur pura gratia vel sola,nè pia opera faciamus, aut quòd nulla in nobis debeat esse iustitia: nam ideò datur Spiritussanctus, vt operetur in nobis suos fructus,Galat. 5. Et Christus exigit pœnitentiam, Marci 1. & obedientiam præceptorum,Matth. 19. & Matth. 5. exigit iustitiam ab Apostolis: immò et hæc propositio est verissima,quòd nemo adultorum sinè dilectione, obedientia præceptorum & bonorum operum saluatur: atque ideò hæc necessariò debent sequi fidem,quę si non sequantur,signū est quòd hic contra cōscientiam perseuerat in peccatis,& necdùm ad Deum verè est cōuersus,nec verè cupit & credit Dei misericordiam propter Christum & remissionem peccatorum, & is adhuc est inimicus Dei, & ira Dei manet super eum, & damnabitur, secundùm illud Roman. 8. Si secundùm carnem vixeritis,moriemini.Gala. 5. 1. Corint. 6. Ephes. 5. Qui talia agunt,regnum Dei non possidebunt. Quicunque enim fuit in gratia Dei,& contra præcepta

Iohā. 3.

Dei scienter agit,is perturbat & pellit Spiritumsanctum,perdit gratiam & iustificationem, cadit in iram Dei: & si non conuertetur,damnabitur æternaliter: & cùm fides cadit, tum cætera omnia extinguuntur & sunt inefficacia &c. Ideò necessariæ sunt virtutes & bona opera ad salutē,attamen non iustificant, nec saluant nos dilectio& bona opera, sed iustificamur ex gratia propter Christum. Hunc enim constituit Deus propitiatorem in sanguine suo, Rom. 3. In eum posuit omnia peccata nostra, Esai. 53. Porrò nec sic est intelligenda gratia Christi, quasi nullum sit meritum operum nostrorū: nam opera nostra ex eo quòd iam persona est iustificata,placent Deo, & merentur remunerationē in hac & post hanc vitam spiritualiter & corporaliter. Nam promissiōes leges sunt expressæ Leuit. 26. Exod.20. Deut. 28. & 1. Corinth. 3. Vnusquisque secundùm gradus laboris accipiet mercedē &c. & 1. Corinth. 19. Differt stella à stella etc. Sed oportet omnibus his anteferre fidem in mediatorem,& hoc ponderare, quòd Deus Pater statuit & ordinauit se velle nostri misereri propter mediatorem Christum, qui oblatus est ꝓ peccatis nostris & mortuus, & resurrexit propter nostram Iustificatiōem. Non enim fundata est salus nostra super opera, sed super Christum: ideò non debemus nos efferre cum operum iactantia, nec mala opera nos in desperationem trahere debēt: est enim Christus nostra salus & pax: in ipso quietatur conscientia nostra. Iohan. 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Nihil est ergò in nobis quod nos iustificet, nec fit à nobis: sed solus Deus propter victimam Christi, vt causam, iustificat, sicut docet Apostolus ad Rom. 3. Deus est qui iustificat gentes fide, & circuncisionē per fidem: non ipsa fides aut charitas nostra, aut aliqua virtus interna &c. neque opus externum quantumcunque,sed Deus est qui iustificat, Rom. 3. propter Christum. Hæc autē causa est extra nos, non dependet à nostris virtutibus & operibus: ergò hæc sententia clara est,quòd Deus non iustificat propter nostra opera & virtutes, sed propter Christum, id est, qui credit Christum mortuum esse pro peccatis nostris,& se obediēter dedisse Patri in victimam & in preciū pro peccatis totius mundi, & resurrexisse à mortuis, i. ideò vicisse mortem,peccatum & sathanā propter nostram iustificationem,i. remissionē pecca-

 torum,

torum, Roma. 4. Hæc fides nostra facit, vt Deus pater nobis communicet efficaciam victimæ, ità tamen, quòd virtus victimæ sit causa iustificationis: & fides nostra sola appræhendit illam efficaciam. Et ità fit, quòd neque fides, aut dilectio, aut obedientia legis nos iustificat, sed solus DEVS propter Christum: & hanc iustificatióem apprehendit fides, dilectio & obedientia legis retinet: ideò fides non abolet legem, sed statuit, id est, quatenùs retineatur beneficium Christi, Rom. 3. & Lex quanuis non iustificet, nulla virtus interna vel opus bonum externum, attamen habet sua ingentia præmia in hac & post hanc vitam, scilicet vt patet in promissióibus, addita legi. Inutiles sunt ergò disputatióes, An sola fides iustificet, An fides vnà cum dilectione iustificet, An bona opera possint iustificare &c. Deus est, inquit Paulus, qui iustificat, Rom. 8. Huius ergò iustificatiõis causa nulla est in nobis, sed extra nos, id est, Christus qui fudit sanguinẽ suum, vt nostra esset propitiatio, 1. Iohã. 2. Est igitur, vt sæpè diximus, iustificationis causa vera & propria extra nos, vt detur gloria soli Deo. Porrò hæc duo semper volunt esse coniuncta, fides & conscientia bona, 1. Timoth. 1. Habens fidem & conscientiam bonam. Non enim est fides vera, si conscientia grauatur aliquo peccato enormi & manifesto contra legem Dei & eius præcepta: nam qui non diligit, manet in morte, 1. Iohan. 3. Item, fides apprehendit solum Christi meritum quod iustificat, id est, tollit & remittit peccatum, & sua sola virtute & dignitate confert salutem æternam: Fides non iustificat per se ant sua virtute, sed ipse Deus: Deus, inquã, iustificat, & author est: & causa, propter quã Deus nos iustificat, est victima Christi, Esai. 53. medium autem, quo nobis distribuitur virtus victimæ, id est, remissio peccatorum & salus æterna, aut quo nos appræhẽdimus meritum Christi. Non ergò Fides nos iustificat, id est, remittit & tollit peccata, sed Christi meritum: propter hoc Deus nos iustificat, sed fides solum apprehendit illam. Et ità fides primò appræhendens à DEO patre iustificationem, id est, remissionem & promissionem salutis, deindè eadem Fides appræhendit eodem actu iustificationis Spiritumsanctum, qui per suos fructus, id est, dilectionem, timorem, castitatem, patientiam &c. hoc efficit, vt retineatur iustificatio illa, iam ante donationem ipsius Spiritussancti concessa. Non ergò ipse iustificat cum suis fructibus, sed distributam & appræhẽsam custodit ac retinet, donec quis contra conscientiam & legem Dei scienter, contumaciter & finè pœnitentia peccat: tunc enim amittitur Spiritussanctus, contristatur, & recedit. Ephes. 4. Nolite contristare Spiritumsanctum, &c.

DE VIRTVTE HOMINIS ANTE ET POST GRAtiam Spiritussancti.

Cap. 7.

PRincipiò Apostolus 1. Cor. 2. inquit, Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs Dei, id est, aliam cõditionem habet homo in suis naturalibus donis, licèt vitio originalis peccati oppressus, sine assistentia & operatione Spiritussancti. Sic enim solùm est animalis, id est, naturalis homo, & aliam conditionem & vires habet, iam Spiritussanctus ei infusus & donat' in Baptismo, ad Titum 3. Lauacro regenerationis Spiritussancti, quẽ effudit in nos abundè. Primum hominem generat Adam, id est, carnalẽ: quia quod ex carne nascitur, caro est: quod aũt ex spiritu, spirit' est, Iohan. 3. Carnalis igit homo nihil nisi carnalia sapit, agit & meditat, & in his viuit, sicut Apostolus describit, Opera carnis manifesta, Gala. 5. & vbiquè caro inimica est Dei, Rom. 8. & facit q̃ pugnãt cõtra legem Dei: Ideò si debet saluari, oportet illũ renasci Spiritusancto & aqua, id est, oportet quòd illi infundatur Spiritussanctus, quĩ efficit in homine alios motus, & nouam vitam, meditationem, atq; desiderium aliarum rerum, quàm habet naturalis homo, nempe fidei, dilectionis, timoris Dei, pacis, continentiæ &c. Galat. 5. & à solo illo donantur & efficiuntur in homine: natura enim homi[n]is illa non habet ex se vel in se. ideò dicit Apostolus, Animalis homo non percipit ea q̃ sunt spiritûs Dei, 1. Corinth. 2. Alia igit sunt opera & motus animalis hominis, & alia spiritualis, id est, quĩ perfusus est Spiritusancto: quotiès ergò cogitas vel facis peccata contra legẽ Dei, totiès committis opera carnis: & quotiès cogitas & facis virtutes, quæ consentiunt & exiguntur à lege Dei, totiès facis opera & motus Spiritussancti & hominis spiritualis. Omnes igitur motus mali & vitiosi atq; opera carnis, à Paulo enumerantur Galat. 5. Omnes bonos & virtuosos

motus

motus compræhendit idem sub fructibus Spiritussancti, quarè quisque facilè scire potest, cuius motus sequatur, vtrùm carnis, an Spiritussancti. Præterea ex his sequitur primò, quoniam caro iam vitiata peccato, non potest alios à natura sua habere motus, nec alios fruct' efficere, quàm à natura sua vitiata solet: non enim ex sese efficere potest dilectionem, timorem Dei, patientiam, castitatem etcæt, & alios huiusmodi motus similes: nam hos solus Spiritussanctus efficit in nobis, & sunt fructus eius, Galat. 5. Ideò oportet vt homo de nouo regeneretur per Spiritũsanctum, & sic patet, quàm nihil possit homo ex naturalibus suis viribus ante gratiam Spiritussancti, ità quòd non sit sufficiens, aliquid ex se boni cogitare, & multo minùs facere, sed om̃is sufficientia nostra ex Deo est, 2. Corinth. 3. Et 1. Corinth. 4. Quid habes, scilicet boni, quod non accepisti? quòd si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Roma. 3. Omnes peccauimus, & egemus gratia Dei. Cùm ergò sic extenuetur natura nostra vitiata in posse suo, solùm ad illos internos motus respicitur, non ad externa facta, quæ voluntati sunt naturaliter congenita, vt sedere, dormire, ire etcęt. sed ad illos motus quos Deus requirit, id est, verum timorem, tolerantiam &cæt. illos enim voluntas sinè Spiritusancto nó potest efficere: nam sunt Spirituales affectus & motus. Non tamen sic intelligendum est, quòd voluntas renouata Spiritusancto, in pijs actionibus sit penitùs ociosa aut sine actione, quasi nihil intersit inter statuam & voluntatem: sed adiuuatur voluntas à Deo Spiritusancto, vt fiat libera. Roman. 8. Ipse spiritus adiuuat infirmitatẽ nostram. Igitur Apostolus 2. Corinth. 6. admonet, nè in vanum gratiam Dei recipiamus. Adiuuatur ergò voluntas à Spiritusancto, & agere aliquid potest in cauendis externis lapsibus, & pijs actionibus faciendis, sed renouata primò Spiritusancto: non enim Spiritussanctus datur aut promittitur ociosis: amplificari igitur debet auxilium Spiritussancti, id quod acuit curã & diligentiam nostræ volũtatis. Porrò docet Apostolus modum, quomodò regeneremur & donemur spiritu, qui nos nouos & alios faciat hoĩes, & excitet nouos motus cordis, eosque diuersos ab illis, quos habet natura nostra vitiata peccato, scilicet vt credamus in Iesum Christum: hac fide homo primò iustificatur, id est, remittitur illi peccatum propter Christum, Actor. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent &c. Deindè sanctificatur & lauatur sanguine Iesu Christi. 1. Corinth. 6. Fuistis aliquãdò fornicatores, adulteri &c. sed nunc abluti & sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi & in spiritu Dei nostri. Iohan. 17. Pater, sanctifica eos. Sermo enim tuus veritas est. Tertiò, per hanc fidem uobis donatur Spiritussanctus, Gala. 3. Donantur quoquè eodem actu iustificationis fructus spiritûs. Tria igitur Deus eodem momento, quo iustificat, homini iustificato tribuit, peccatum remittendo, donãdo Spiritum sanctum, & personam ad vitam æternam acceptando, Iohan. 3. Præterea persona sic iustificata gratis propter Christum, propter quem hæc tria & ꝓmittuntur & conferuntur: tunc sequuntur actiones, motus pij, opera bona, obedientia legis Dei hominis iustificati: & hanc obedientiam suæ legis Deus acceptat, promittitq; præmia Leuit. 26. Exod. 20. Deut. 28. in hac & post hãc vitam secundùm gradus laboris, 1. Corinth. 3. & 15. Sed oportet primò personam esse ante omnia opera iustificatam fide: & quanuis salus æterna propter Christum promittitur, id est, non propter dignitatem nostrorum operum, sed propter Christum confertur: attamen hæc Christi gratia distributa & appræhensa, non retinetur sinè obedientia legis & piorum operum. Roman. 6. Si secundùm carnẽ vixeritis, moriemini. Sunt ergò necessaria bona opera, obedientia legis, dilectio &c. eó quòd sinè illis non retinetur gratia Christi: non tamen sunt ipsa Christi gratia aut persona Christi, quæ sola causa & origo est iustificationis & salutis. Sola enim Christi mors, & vnicũ illud opus propitiatorium, semper retinet eam gloriam, quòd credentem iustificet & saluet: attamen fides & obedientia legis necessariò exiguntur, quia fides appræhendit: sed ipsa sola existente, nó retinet sinè dilectionis operibus id quod appræhendit: atq; hac ratione opera retinẽt, & sic per fidem statuit legem Apostolus, & nó abolet Roman. 3. Fides igitur sinè pœnitentia, id est, cessatione peccatorum, non appræhendit Christi gratiã & diuitias: & fides non operans per dilectionem, Galat. 5. non retinet Christi appręhensam gratiam, sed per peccata iterùm amittitur, perturbatur, & expellit Spiritussanctus. Summa, quicquid ergò boni potest & facit homo, hoc non

naturæ viribus, quæ vitiata & oppressa est vitio originis, tribuendū est, sed Spiritui-sancto: & causa iustificationis atq; salutis, nō in nobis aut à nobis est, sed à re extrinseca, id est, ab vnica passione Christi. Natura nostra vitio originis infecta, perdidit veritatem, iustitiam, dilectionem, timorē Dei: & sic planè est deprauata, vt nihil boni vel cogitare possit, 2. Cor. 3. 1. Cor. 12. Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritusancto etc&t. Oportet igitur per Spiritumsanctum iterùm renouari naturam nostrã, & creare alios motus, qui sunt fructus illius, Gala. 5. cap. Ideò petit Propheta Dauid Psal. 50. Cor mundum crea in me Deus. & deindè petit, vt spiritum rectum innouet in visceribus eius &c. Semper enim priùs peccata remittit Deus, deindè donū dat, nempe Spiritumsanctum: & hęc omnia Fides, credens verbo promissionis, appræhendit &c.

QVOD IN IVSTIFICATIONE TRIA GRATIS DONANTUR. Cap. 8.

HIC primò notandum, quòd iustificatio est remissio peccatorū, donatio Spiritussancti, & acceptio personæ apud Deum ad vitam æternam: hęc omnia & singula distinctim oportet notare. Nam plurimùm inter se differunt, licèt eodem momento & actu iustificationis conferantur & contingant peccatori. Nam nō propter nostram dignitatem & iustitiam operum, sed propter Christum ex misericordia Patris contingunt: in illis autem tribus gradib⁹ perficitur iustificatio: Primus enim gradus Diuinæ misericordiæ, quæ nobis propter Christum donat, si crediderim⁹ in ipsum, est remissio peccatorum, deletio in spiritu & corpore, ità vt non imputentur, quod licèt peccatum adhuc hæreat in spiritu & carne, post Baptismum tamen Deus propter effusum sanguinem Christi non vult imputare, sed tegere & delere, nō punire, sicut deberent æternaliter, sed propter fidem in Christum, pro iusto homine reputare. Ideò dicit Dauid, Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum. Hic in illo gradu nullum accedit humanū meritum, sed tota causa remissionis peccatorū sunt vulnera Christi: ideò contra Iudæorum opinionē loquitur Apostolus Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus legis: per fidē igitur gratìs iustificamur, & nō propter nostra opera, vt salus & remissio peccatorū sit certa, Rom. 4. Si enī péderet à nostris operibus, essemus incerti, quandò nunquàm satìs operamur. Est igitur hic primus gradus Diuinæ misericordiæ, non imputare nobis peccata, sed condonare: quibus cōdonatis, peccator fit iustus imputatiuè, idq; solùm ꝑpter effusum sanguinē Christi. Ipse solus preciū est & victima pro peccatis totius mundi: nec est alius quisquā in rerum natura, qui meruisset aut posset mereri regnū cælorum, præter solum Christum propitiatorem & redemptorem, Ephe. 1. Et ità dicit Articulus fidei, Credo remissiōem peccatorum: non dicimus, merεor vel operor remissionem operib⁹ meis bonis. Nam à nobis miseris peccatoribus non potuit nec potest mereri salus, alioquì nō opùs habuissemus redemptore Christo. Nihil igitur facimus ad meritū remissionis peccatorum, sed solùm credimus & appræhendimus per fidē nostram: & ideò totum meritū & causam salutis & remissionis, in solum sanguinem Christi transferimus, & hæc nobis distribuunť gratìs per fidē. Deindè per eandem fidem etiam donatur Spiritussanctus cum suis fructibus eodē momento quo peccatum tollit, & hic est secundus gradus Diuinæ misericordię ꝑpter Christum. De hoc dicitur ad Titū 3. Secundùm misericordiā suā saluos nos fecit, i. donauit peccata, & Spiritumsanctum abundè in nos effudit, Rom. 5. Hoc igitur est secundum, quod in iustificatione donatur, i. Spiritussanctus cum fructibus suis, Gala. 5. id est, cum dilectione, pace, gaudio, continentia, fide, mansuetudine &c. Et hoc est donū in gratia, id est, post acceptam remissionem, quæ ex gratia ꝑpter Christum est donata, etiā superadditur donum gratiæ, id est, Spiritussancti. Sed cùm iam gratia Dei virtute passionis tulit peccata, ad quid est opùs Spiritusancto post remissionem peccatorum? Respondeo primò, ad renouationē naturę & extirpationem reliquiarum peccati in carne: nam licèt peccata remittantur omnia in Baptismo imputatiuè propter Christum, sic quòd Lex propterea nō potest accusare conscientiam, attamen in carne sunt reliquiæ peccatorum, & illorum facta oportet mortificari per Spiritumsanctum, nè concupiscentijs obediamus: alioquì si obedierimus, tunc amittimus iterùm remissionem peccatorum, & Spiritumsanctum: hæc autem mortificatio durat per totam vitam.

Præ-

Præterea opus est Spiritusancto ad efficiendum nouos & bonos motus, id est, dilectionem, pœnitentiam, timorem, pacem, patientiam, & quicquid est virtutũ & bonarum actionum ac cogitationum. Gal. 5. ait Apostolus, fructus autem spiritus sunt, charitas, timor Dei, &c. Tertiò opus est Spiritusancto post remissionem peccatorum, vt illius adiutorio retineatur accepta remissio per obseruantiam præceptorum: nam per illum Spiritũsanctum altera pars Euangelij obseruatur, quoniã prima pars Euangelij docet Christum, quis sit, quid pro nobis fecerit, quòd satisfecerit, quid impetrauerit, sicut etiam fidei articuli hęc exprimunt: Altera autem pars Euangelij docet, quomodò & quibus medijs fiamus participes meriti & benefactorũ Christi, nempe per fidem in ipsum, & retineamus per media, nempe per pœnitẽtiam, & obedientiam præceptorum, perque alia sacramenta. At hanc constantem fidem & perfectam dilectionem natura oppressa peccato, ex se habere nõ potest: ideò ipse Spiritussanctus illam perficit & operatur in nobis, & efficit, vt postquàm credimus quoniam pascha nostrum immolatus est Christus, 1. Corinth. 5. nè epulemur in fermento veteri &c. ipse facit, vt quia credimus quòd peccata nostra portauerit super lignũ, 1. Pet. 2. vt nunc iustitiæ viuamus. ibi Spiritussanctus facit, vt qui credimus, quoniã sanguis eius emundauit conscientias nostras ab operibus malignis, vt nunc seruiamus Deo viuẽti: & in summa, oportet vt nouam vitam sequẽtem remissionem peccatorum, & bona omnia opera ipse Spiritussanctus in nobis efficiat: omia autem in eum finem, non vt mereantur salutem, quam iam semel Christi passio meruit, sed vt retineamus iam apprehensam gratis. Quo fit, vt opus Spiritussancti in nobis, non deroget operi Christi propitiatorio aut remissioni peccatorum, quandò hæc omnia fiunt in eum finem, vt aut apprehendatur remissio & iustificatio, aut retineatur: est tamen maximè necessarius Spiritussanctus post impetratam remissionem peccatorum ad salutem retinẽdam, sicut potus & cibus ad naturalem vitam conseruandam & retinendam: qui cibus si non accesserit, tunc homo moritur, & vitam amittit: Sic si non aderit Spiritussanctus renouans naturam, non retinetur iustificatio. Roman. 8. Si secundùm carnem vixeritis, &cæt. Vt igitur eo momento quo infunditur cibus, etiam cibus vitæ exigitur: Sic eo momento iustificationis & remissionis, quo ad nouam vitam creamur noui, etiam infunditur Spiritussanctus, tanquàm custos & protector acceptæ iustificationis & remissionis. Non satis igitur est accepisse remissionem, nisi & custodiatur, & sic datur & infunditur Spiritussanctus in eodem momento per fidem, quo peccatum remittitur, quatenùs & altera pars Euangelij custodiatur, sicut CHRISTVS dicit Luc. 11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Et Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, &cæt. Ex quibus omnibus facilè colligi potest, vndè iam tanta morum & vitę peruersitas & carnalitas inter homines orta sunt, cùm audiunt à suis concionatoribus tantùm vnam partem Euangelij: & sic carnali sua fiducia volunt esse iusti & salui, & non curare spiritualem seu nouam vitam, quam tamen exigit DEVS, & altera pars Euangelij, quam ipsi transeunt, inculcat. Tales igitur osores spiritualis vitæ & piorum operum, quid sunt nisi contemptores Spiritussancti et oblatę gratiæ? sed solùm gloriantur de verbo, quod vbiquè iactant se accepisse: at salubrius esset illis, si vnà cum verbo etiam pia opera coniungerent, nè dicat aliquandò Christus ad illos, Amèn dico vobis, nescio vos operatores iniquitatis, Matth. 7. Qui ergò hanc alteram partem Euangelij non habet, audit aut facit, hic non est verus, sed semichristianus. nam licèt credat remissionem peccatorum propter Christum, tamẽ non vult à vitijs carnalibus temperare, nec pœnitere: Vult quidem & credit regnum cælorum propter Christum: sed quia contemnit Spiritumsanctum & media, id est, obseruantiam præceptorum, opera dilectionis, fructus spiritus, sacramenta, orationem, &c. per quę promissio regni cælorum retinetur, nõ perueniet ad regnum cælorum. Est igitur donatio Spiritussancti secundus gradus iustificatiõis, sinè quo primus non retinetur. In tertio gradu per eandem in momento iustificatiõis homo acceptatur, id est, fit accepta persona apud Deum ad salutem æternam consequendam: ibique illi promittitur salus æterna propter Christum. At illa acceptatio personæ ad vitam, nondùm est possessio vitæ æternæ, sed sequetur. Promissio salutis non est ipsa salus, sicut manè diei non est vesper diei, sed sequitur vesper: Flores

arboris non sunt fructus, sed sequuntur fructus: acceptatur seruus, & promittitur præmium: sed illa promissio non est præmium, & sunt distincti Articuli fidei, remissio peccatorum, & vita æterna. Ex quo sequitur, quòd adhuc est distinctio inter acceptationem personæ ad vitam, & inter exhibitionem vitæ in re & effectu, sicut est inter flores & fructus. At potest fieri quòd antequàm flores maturescût in fructibus, quòd per fulmé aut ventum deijciantur & pereant. Sic se habet in acceptatione personæ apud Deum ad vitam æternam, & in exhibitione: possunt enim post Baptisma sic fieri peccata, vt impediant ingressum vitæ æternæ. Non igitur vna res est remissio peccatorum, & salus: multi enim accipiunt in Baptismo remissionem peccatorum & acceptationem personæ ad vitam, sed pauci illam retinent, sed amit-
Mat.20. tunt. Multi enim sunt vocati, pauci verò
&22. electi. Ad quid sunt querelæ in Euangelio Matth. 20. quòd multi sint vocati & pauci electi? Et Lucæ 17. quòd nouem leprosi postquàm mundati essent, ingrati fiant, & amiserint remissionem & acceptationem ad vitam, & quòd Iudas perdidit acceptationem talem &c? Non omnis igitur iustificatus saluatur, eò quòd non retinet iustificationem, etsi Apostolus dicit Roma. 8. Quos iustificauit, hos & glorificauit &c. Respondeo, Verum est, qui retinent iustificationem, hos etiam glorificabit: sed quia non omnes retinent, igitur pauci saluãtur. Ex quo sequitur, quàm crassa sit illa fiducia carnalium hominum, qua putant sibi sufficere, si credant solùm Christum pro peccatis suis passum & mortuum & resurrexisse, id est, omnes Articulos in Symbolo credant. Sed de noua vita nihil cogitant, & iam putant se appræhendisse salutem & saluos esse, nec opùs fore, vt ampliùs fiat aliquod bonum, quasi Spiritussancti donum nullius esset necessitatis, aut obedientia præceptorum in
Psal. 1. vanum esset præcepta: Non sic impij, non
Phil. 2. sic: sed cum timore & tremore operari salutem & viuere debemus, nè preciosam Christi gratiam, & promeritam Christi salutem nobis promissam amittamus. Hæc igitur tria iustificationem integrantia, simul se mutuò sequuntur: Fides apprehendit promissionem, hanc Spiritussancti donum dilectio retinet, spes expectat cum tremore & timore promissam gratiam, id est, non viuit carnaliter aut securè vel sinè pœnitentia: & talem iustificatum tandèm certò sequitur gloria æterna propter Christum. Sic Paulus 1. Corinth. 4. dicit, se non esse in hoc iustificatum coram Deo, licèt credidit remissionem propter Christum, & habuit Spiritumsanctum, attamen in humilitate ambulat, quia spes vera non est sinè timore. Hoc tamen signanter notandum, quòd eodem momento hæc tria fiunt in iustificatione, etsi in primo gradu fides præcedit, in altero tamen sequitur Spiritussanctus, id est, dilectio, timor &c. & hæc duo sic concurrunt per totam vitam, donec tandèm fiat plena appræhensio, id est, res ipsa atq; salus promissa: Nec sic est statuendum, quasi fides ante omnia opera appræhendit Christum & iustitiam Christi, ergò sic sufficit. Nam hæc apprehensio non retinetur, vt dictum est, sinè Spiritusancto & dilectione. Iustificatio non est solùm remissio peccatorum, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis. Ideò etiam eodem momento iustificationis datur Spiritussanctus. Iustificatio facit, nè solùm reputemur iusti, sed & verè simus: In iustificatione cũ remissione peccatorum infunditur fides, spes, charitas, id est, Spiritussanctus cum fructibus, Gala. 5. Fide iustificamur, id est, fides est initium iustificationis & salutis, licèt non tota iustificatio: nam & Spiritussanctus exigitur, qui renouat naturam, & perficit iustitiã. Falsa est fiducia sinè pœnitentia de Christi merito, & se esse iustum sola fide, & absolutum à peccatis, se certũ esse in gratia &c. Nam tametsi de illis, id est, Christi merito & efficacia sacramentorum, nemo dubitare debet, attamen propria etiam infirmitas est respicienda, & non temerè de illis fieri debet iactantia. Marc. 1. Pœnitemini & credite Euangelio &c. Iustificatio incrementum accipit à pijs operibus, sicut Iohan. dicit: Qui iustus est, iustificetur ad-
huc, id est, operibus bonis operam det, vt Apo. 22.
semper iustior fiat. Fructus iustificationis, nempe bona opera maximè necessaria sunt ad salutem, pro quibus ex gratia filijs Dei propter Christum distribuitur vita æterna, id est, ex remuneratione. Roman. 6. Gratia vel donum Dei vita æterna, eò quòd sic promisit Christus reddere coronã iustitiæ diligentibus se. Etsi Christus semel omnia meruit, tamen distributio ipsius meriti fit per obseruantiam præceptorum, vt medium, non vt meritũ propriè, sed ex promissione. Deus enim vult sua dona nostra esse merita, &c.

Quo

QVO FINE OPERA BONA NECESSARIO EXIGVNTVR ad salutem.
Cap. 9.

SCIENDVM primò, quòd ab vtraque parte conceditur, fidem appræhendere CHRISTI beneficium gratis in Baptismo. Rom. 3. Arbitramur fide iustificari hominem, id est, peccatorem per fidem appræhendere CHRISTI meritum, quod est causa iustificationis, & non propter legis opera, scilicet vt illa sint causa iustificationis. Alterum quoquè ab vtraque parte conceditur, nempe quòd eadem fides quæ appræhendit gratis in baptismo iustificationem, debet operari posteà per dilectionem: hęc operans fides, est vera fides: & certa est quòd appręhendit iustificationem: est viua, & non mortua fides, Iacob. 2. Quòd si non fuerit operata per dilectionem hæc ipsa fides, non appræhendit iustificationem. Pręterea licèt concordet vtraq; pars, quòd fides debeat operari per dilectionem bona opera, de fine tamen & loco, quarè fiant opera, est controuersia: quidam enim dum fidei tribuūt totum actum iustificationis, negligunt dilectionis opera: quidam, dum defendunt opera, derogant fidei. Sciendum est igitur, non hoc agi hic, quomodò gratiam, remissionem peccatorum, Spiritumsanctum, & salutem æternam promereamus, acquiramus & comparemus nobis, quia hęc omnia semel & simul sunt per vnum CHRISTVM promerita & impetrata: idque per suam amarissimam passionem & sanguinem effusum, aliàs homo hæc per se nunquàm potuisset acquirere vel impetrare. Nam si hoc potuisset homo, CHRISTVS gratis fuisset mortuus, Galat. 2. Ideò opera nostra non eo pertinent, vt hæc mereantur: non enim ipsa sunt CHRISTVS, nec ꝓpitiatio, sed solus Christus est, 1. Iohannis 2. qui hanc gloriam non dabit alteri. Nostra autem opera bona & obedientia legis eò respiciunt, & in eum finem fiunt, vt nos promeritam, acquisitam & donatam gratiam & fauorem Dei, remissionem peccatorum, donationem Spiritussancti, & promissam æternam salutem custodiamus & retineamus, nec per peccata & carnalia opera amittamus. Nam certum est, quòd per peccata gratia & misericordia & ꝓmissio salutis iterùm amittatur. Roma. 8. Si secundùm carnem vixeritis, id est, opera carnalia, moriemini, & promissam salutem non consequemini. & Ephes. 5. Hoc scitote quòd qui talia agunt, regnum Dei nō possidebunt: quid igitur illis proderit sua fides? Obedientia igitur legis & bona opera ideò docentur, quatenùs appræhensam iustificatiōem retineant & custodiant, nè amittatur. Hæc enim est omnium piorum Christianorum intentio, non vt per ea cælum sibi mereri velint, vt falsò & mendaciter illis à Sectarijs obijcitur. Hoc enim de Iudęis rectè dici potest, qui per externam iustitiam suam volunt mereri salutem, Roman. 10. Nos autem dicimus cum Euangelico præcepto: Cùm omnia fecerimus, serui inutiles sumus, Lucæ 17. Porrò oportet ergò hominem peccatorem primò antè omnia sua opera considerare, quis sit Christus, id est, Saluator, cur venerit, scilicet saluare peccatores, Matth. 9. At instant plerique & aiunt, illa opera quę Deus per nos facit, & Spiritussanct^s per dilectionē operatur, Galat. 5. merentur iustificationem & salutem, quoniam Deus sic illa acceptat, coronat & remunerat cum remissiōe peccatorum & vita æterna: Opera ergò ex fide facta & sequentia fidem, iustificant & saluant hominem. Vos, inquit Christus, Mat. 19.
qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis, Matth. 19. Respondeo, quærendum est hic de primo opere hominis, quod facit erga Deum, quodque Deo sit acceptum & gratiosum, & placatum sibi Deum reddat, an id sit relictio bonorum, oratio, ieiunium, vigiliæ, obedientia præceptorum, an verò id sit fides. Est igitur fides primum opus hominis, quod Deus exigit ab homine: & sic primò quærit sacerdos in Baptismo ab homine, an credat in IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, & consequenter alia in Symbolo contenta credat: & homo respondet, CREDO: Ergò fides est primum opus hominis, quod Deum sibi placat, & quo ipse acceptatur in fauorem DEI, & fit filius DEI. Iohan. 1. Dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Et Iohan. 6. Hoc est opus Dei &c. Deindè quęrendum est, quid pro hoc opere, i. fide ꝓmittit & donat? an nō remissionē peccatorū, Spiritūsanctū, & vitā æternam? an non hæ sunt promissiones Euangelij, Ioann. 3. Vt omnis qui credit in me, non pereat, sed habeat vitam æternam? Rom. 4. Mortuus est propter peccata nostra.

Actor.10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, &c. Fides ergò est nihil aliud, nisi fiducia huiusmodi promissiones & bona promissa propter Christum consequendi. Vndè fides cupiens & credens illa certò appræhendit propter Christum. At illa appræhensio fit in Baptismo ante omnia opera, ergò propter solam fidem ante omnia opera hæc nobis gratis, id est, sinè meritis aliorũ operum nostrorum, dantur & donantur. Si ergò nunc illa nobis ante omnia opera gratis in Baptismo dantur & donantur, quomodò igitur per bona opera nostra illa possunt adhuc semel & quasi secundariò mereri? Quòd si Deus propter opera nostra donat iustificationem & vitam, ergò non propter Christum donat: quid enim Deo, vt iram suam & peccata nostra remittat, & vitam æternam det, cum nostris operibus? opus Dei est fides, Ioann.6. & hæc fides fit in Christum, ergò propter hoc opus fidei & propter Christum illa donat: aliàs detraheretur honori Christi, & frustrà fuisset mortuus, Galat.2. & Deus non opùs habuisset victima Christi &c. Quarè illa opera nostra, quæ Spiritussanctus operatur per dilectionem in nobis iam iustificatis, non merentur iustificationem & salutem, quia sunt adhuc imperfecta in hac vita. Hoc consistit & manet in morte Christi & eius merito, idq; ppetuò ideò ,ppter hunc finẽ, quòd hæc opera retinent illam iustificationẽ, & alium finem habẽt, nempè remunerationem & præmia, sed alia præmia ab illis, quæ fides appræhendit gratis ex beneficio Christi &c. Oportet ergò fide primùm accedere ad Deum & Christum, quæ ipsa fides iustificat & facit, vt bona opera faciamus, vt vigilemus, oremus, & omnia nostra relinquamus &cæ. & sic fides appræhendit vitam æternam, non opera: sed ipsa bona opera alia habent præmia, sicut lex exprimit. Prætereà nullus sanctorum Patrum est, qui ità docuerit, quòd ità debeatur virtus, efficacia & meritum operibus nostris, quòd meruerint iustificationem & salutem: sed docuerunt quidem, quòd Deus remunerat ex misericordia propter Christum illa opera nostra salutis præmijs, ità vt virtus & causa primaria salutis non ad ipsa opera, sed in Christum transferatur, & quòd Deus recompensat ex gratia omnia opera nostra, sicut solet pater hæreditate recompensare labores & obedientiam filij, licèt hæreditas ipsi debeatur, propterea quòd filius est & hæres natus: sed sic recompensari opera, non est mereri. Tutiùs agitur, quandò soli Deo relinquitur gloria, nos misericordia DEI saluari. ad Titum 2. qui secundùm misericordiam saluos nos fecit. Est igitur Christus medicus Matt.9. Penset igitur homo quid meruerit nobis ille medicus humani generis per effusionem sanguinis sui preciosi. Rom.4. Mortuus est pro peccatis nostris, & posuit in eo pater omnem iniquitatem &c. ipse est propitiatio nostra &c.1. Ioann.2. Esai.53. Quòd si ipse meruit, & proptereà mortuus est, vt nobis hæc propter ipsum per fidem contingerent, quomodò adhuc nos volumus operibus de nouo mereri id quod iam meruit Christus, nempe remissionem peccatorum & vitam æternam? ille enim semel intrauit in sancta sanctorum, & repperit æternam redemptionem, Heb.9. Ideò non hic est sensus, quasi opera nostra deberent, & possent mereri id quod Christus promeruit semel precioso suo sanguine, & nobis communicauit in Baptismo per fidem, sicut sponsus diuitias suas sponsæ, sed vt id quod Christus nobis promeruit, nempe gratiam Dei & salutem æternam, custodiamus & retineamus, nec iterùm amittamus: nam per peccata iterum amittitur gratia Spiritûs sancti, & salutis promissio fit inefficax. Prætereà opera necessariò requiruntur à iustificatis, sicut Apostolus non destruit legem per fidem, sed statuit, Roman.3. non vt lex iustificet, sed vt retineat acceptam gratis iustificationem, sicut cibus & potus necessariò exiguntur ad vitam, non vt dent & efficiant vitam: iam enim homo habet vitam à Deo, sed quatenùs retineat & cũstodiat vitam: nam sicut vita sinè cibo, sic iustificatio non retinetur sinè obedientia præceptorum & bonis operibus, licèt nullum horum donet vitam per se. Porrò in hunc finem sunt instituta Sacramenta, nempè vt aut certò exhibeant cum fide effectum & virtutem mortis Christi, id est, remissionem, gratiam nei, & Spiritumsanctum, sicut Baptismus: aut vt retineant & confirment acceptam iustificationem, nè iterùm perdatur, vt Confirmatio, ordo, matrimonium: aut vt hanc gratiam amissam per peccata, iterùm acquirant, & ipsum effectum mortis & sanguinis Christi iterùm participent, vt est pœnitentia, qua peccator iterùm recipitur in gratiam amissam: vt Eucharistia, qua homo iterùm recipitur in communionem bonorum Christi & Ecclesiæ

clesiæ Christi. 1. Corinth. 10. Vnus panis multi sumus &c. Et vnctio extrema, qua tandem reconciliamur Deo, qui membris totius corporis contra Deum peccauimus & abusi sumus, & p hanc certificamur per verbum fidei & orationẽ sacerdotis & ecclesiæ, Iaco. 5. Et hi sunt præcipui & diuersi effectus sacramẽtorum. Ex his igitur patet, quia Sacramenta quæ solùm sunt elementa, sinè fide non iustificant: & quòd fides remissionem peccatorum & gratiam non à sacramentis, sed potiùs à sanguine Christi, id est, à fonte & primaria causa haurit & accipit: attamẽ quia Deus sic ordinauit, per sacramenta nobis distribui illa, & nos certificari de receptiõe, ideò nullo modo vilipendenda sunt Sacramenta, quãuis ad hæc neus nõ alligârit suã potentiam. Non igitur derogant sacramenta articulo iustificatiõis, quæ sola fide in Christum contingit, id est, fides credens verbis promissionis, appræhẽdit. Sed in alium finem vtimur sacramentis, vel quia exhibẽt & cõferunt, vel quia retinent, vel recuperant gratiam & misericordiam &c. Sic nostra oratio, ieiuniũ, eleemosyna, obedientia legis Dei non iustificant, id est, nõ sunt causa meriti, remissiõis & salutis: sed mors Christi preciosa, semper & perpetuò est & manet causa iustificationis. Sed illa alio fine fiunt, scilicet vt aut iustificatio retineatur per opera illa, aut amissa iterùm recuperetur, sicut dicit Propheta: Conuer-
Zach. 1. timini ad me, & ego conuertar ad vos. Et in eum finẽ fiunt illa. Sic sacramenta, traditiones humanæ, & cæremoniæ non sunt causa iustificationis. Si enim in hunc finem fierent, tunc frustrà coleretur Deus, sicut dicit ipse Saluator Matth. 15. Frustrà me colunt mandatis hominum, &c. sed in alium fiunt finem, nempe in laudem Dei, vt omnia fiant ordine & honestè, vt Apostolus ait 1. Corinth. 14. Cæterùm ratio humana cùm sit plurimùm occupata de merito bonorum operum, & sicut mercenarius cupit & sperat pro labore mercedem: oportet de præmio & merito sic notare, quòd in his rebus quæ nobis ex Christi beneficio gratis cõtingunt, quæ Euangelium pronunciat, id est, remissionẽ peccatorum, gratiam Dei, Spiritumsanctum, vitam æternam etc. nullum est meritum humanum. Hæc enim omnia creduntur nobis concedi propter CHRISTI sanguinem, sicut credo remissionem peccatorum & vitam æternam. Sed quarè sic credo? quia Christus passus, mortuus & sepultus est: ergò ille per hanc passionem, mortem & sepulturã meruit solus, & non possunt ab alio, nec à nostris operibus mereri. Gratis enim hæc omnia dantur propter fidem, Roman. 3. Gratis iustificati estis gratia ipsius. Deindè notare oportet quòd sunt alia adhuc opera, id est, legis DEI & Euangelij, quæ ego, ego inquam, facere debeo & teneor, non Christus, sicut est Decalogus Exod. 20. Ieiunium, oratio, eleemosyna, dilectio, & alia mandata Euangelica: hęc opera postquàm à me fuerint facta, licèt propter internam immunditiẽ sint imperfecta, quia semper adhuc aliquid in illis desiderať, & lex semper accusat conscientiã, attamen vult Deus illa acceptare, & nobis propter Christum imputare tanquàm bona opera, & p illis donare præmia, eaque varia in hac & post hanc vitam spiritualiter & corporaliter, sicut etiam sonant promissiones Legis Exod. 20. Leuit. 26. Deuter. 28. & 1. Corinh. 3. dicitur: Vnusquisque accipiet mercedem secundùm laborem suum: alia tamen sunt præmia ab ijs, quæ ex CHRISTI morte per fidem appræhendimus, id est, remissionem & salutem. Quod autem nobis aduersarij obijciunt, nos velle Missis nostris, vigilijs, inuocatiõibus Sanctorum & suffragijs pro defunctis, mereri iustificationem, & alios iustificare & saluare, hoc falsum est: vnus est enim Deus, qui nos iustificat, Roman. 3. Per fidem in Iesvm: illa vnica mors perpetuò stat & causa est iustificationis & salutis: Missa autem est memoria sacrificij cruenti cum pijs orationibus, quibus petimus nobis & alijs distribui promeritam iustificationem per CHRISTI sanguinem, non vt MISSA nos iustificet, & donet remissionem peccatorum. Vigiliæ autem sunt maiore ex parte verba Scripturæ & Prophetarum, quibus admonemur de morte & de futura vita, & gratias agimus Deo, quòd defunctus ille pro quo fiunt Vigiliæ, decesserit in fide Christi, & id nobis quoquè cõtingere rogamus, vt in fide remissionis & iustificatiõis moriamur. Sanctos autem inuocamus, vt pro nobis hoc idem Implorent, vt meritũ passionis Christi nos iustificet & saluet: & nos hîc in terris petimus, vt concedat hoc Deus defunctis: Virtus tamen non tribuitur Sanctis nec nostris precibus, sed semper transfertur in CHRISTI sanguinem. Ipse enim resurrexit propter nostram iustificationem, Roman. 4.

Vlti-

Vltimò, ex prædictis liquet, quomodò ab vtraque parte laborent quidam docti, quorum illi nos Catholicos grauant mendacio de merito iustificatiōis, hi verò veteres aliqui non satis intelligunt virtutem fidei, quæ ante omnia opera sola apprǣhendit iustificationem, quia primum est opus hominis, & præcipuè à DEO exigitur. Est enim vtraq; propositio vera, quòd sola fide saluamur & iustificamur ante opera nostra gratis, Roma. 3. Iohan. 3. Et quòd sinè operibus bonis, id est, obedientia legis DEI, & fructibus Spiritussancti non saluamur, quia sinè illis iustificatio & ꝓmissa salus non retinetur. Sed si amittitur per peccatum salus, quomodò saluabimur? retinemus autem illam bonis operibus, & non amittimus. In summa, salus æterna semel promerita est per Christi sanguinem, sinè nostro adminiculo & merito vllo: attamen vt hac nobis frui liceat, vtq; eam participare possimus, duo sunt necessaria, quæ oportet me facere. Primum oportet me eam in Baptismo per fidem in Christū primò & ante opera apprǣhendere, acquirere & potiri: Deindè retinere eam, custodire & seruare, nè iterùm amittatur per peccata. Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, &c. Ad hæc ergò duo, acquirere & retinere, tendunt nostra opera: Fides acquirit vel potitur salute, opera dilectionis & obedientia præceptorum & Sacramenta retinent ac custodiunt salutem: & ideò LEX statuitur per FIDEM. Sinè his duplicibus operib⁹ non proderit salus & vita ęterna, licèt per Christum sit semel promerita toti mundo, sed manemus sicut Iudæi & Turcæ. Non ergò meremur salutē, sed id Christo soli relinquimus: at promeritam per Christum salutem acquirimus & potimur per fidem in Baptismo, & sic acquisitam posteà custodimus & retinemus per obedientiam legis Dei. Alioquì si peccauerimus post Baptismum, eam iterùm amittemus. Quandò ergò exiguntur & docētur bona opera, non in eum finem solùm fit propter meritum aliquod acquirendum, sed potiùs propterea, quatenùs apprǣhensa gratia in Baptismo per fidem, non iterùm amittatur. Nam nō minor est virtus, quàm quærere, parta tueri: & miserum est, fuisse aliquandò beatum & felicē, & non esse: id est, amittere gratiam Dei, Spiritumsanctum, promissionē vitę æternæ per recidiuationem in vitia: Sic sathan expulsus, scilicet in Baptismo per gratiam & dona Spiritussancti, redijt posteà in domum pristinam cum septem spiritibus nequioribus se, & erunt nouissima hominis illius peiora prioribus, Luc. 11. Matth. 12. Iohan. 5. Vade, & noli ampliùs peccare, nè deterius aliquid tibi contingat. Et Matthæi 11. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida &c. Et 2. Petr. 2. Melius esset illis, non cognouisse veritatem, quàm post agnitam iterùm ad errorē redire, sicut canis ad vomitum, & sus ad volutabrum suum. Sed nemo ponderat hanc causam, quòd opera bona ideò exiguntur, quatenùs retineatur iustificatio: nemo de retentione cogitat, sed solùm vult mereri operibus, & ideò illa facit: at non sic docent Apostoli, sed inquiunt, quia eratis aliquandò fornicatores, adulteri, auari, superbi, maledici etcęt. nunc verò abluti & sanctificati estis in nomine Domini nostri IESV Christi, atque ideò nolite ampliùs esse tales: aliàs nemo vestrûm intrabit in regnū cælorum, 1. Corinth. 6. Ephes. 5. Galat. 5 Ideò quandò hæc peccata sequuntur post apprǣhensam iustificationē in Baptismo, statim illa amittitur: qua amissa, recidis in iram & odium Dei. Amisso enim fauore & gratia regis, odium & iram subsequi necesse est. Nè igitur amittatur, requiruntur necessariò bona opera. Insupèr docuerunt Apostoli circa doctrinam iustificationis, quatenùs illa gratis quidem contingat per fidem in sanguine Christi. Adiunxerunt autē semper, vt bonis operibus & virtutibus eam retineremus. 1. Corinth. 5. Pascha nostrū immolatus est Christus, id est, Christus ꝓ nobis tanquàm pascha vel victima immolatus est in cruce. Hoc igitur credentibus primùm: Deindè adiungit, epulemur ergò non in fermento veteri, id est, non secundùm carnem & veterem hominem viuamus. Sic quoquè 1. Petr. 2. Christus peccata nostra portauit super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus. Heb. 9. Sanguis eius emundauit conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Et Luc. 1. Zacharias Spiritusancto plenus, canit Domino: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ &c. vt in sanctitate & iustitia coram ipso ambulemus omnibus diebus nostris &c. Et Christus ipse ait: Estote sancti, quia & ego sanctus sum, &c. Hæc omnia eò tendunt, nè in vanum accipiamus gratiam Dei in Baptismo, 2. Corinth. 6. sed quatenùs acceptam retineamus. Sed hodiè, quomodò retineatur iustificatio, nemo curat aut cogitat:

gitat: & liberè ac securè viuitur. ne his autem populus frequenter doceri & informari deberet.

QVAENAM SIT EFFICIENS CAVSA IVSTIFICATIONIS, ET de medijs necessarijs ad illam, deq; eorundem præmijs. Cap. 10.

Notandum est primò, quòd est solùm vna causa efficiens iustificationis & salutis nostræ, & quòd nulla alia causa huic iungi potest: illa verò est mors Christi, qua ipse solus promeruit omnibus hominibus salutem, 1. Iohan. 2. Ipse est ꝓpitiatio pro peccatis nostris. Et Esai. 53. Posuit in eo iniquitatem omnium nostrûm, 1. Cor. 6. Empti estis precio magnu, & 1. Petr. 1. Nó corruptibilibus rebus, id est, auro & argento redempti estis, sed preciofo sanguine immaculati agni, id est, Christi. Est igitur solú vnum opus propitiatoriú, quod solum meruit nobis gratiam Dei, remissionem peccatorum, & donationem Spiritussancti & vitę æternæ: ad hoc opus nullum hominis opus potest addi. Est enim per se perfectum, & nullo indiget additamento: est quoquè perpetuum & æternú, id est, non euacuatur, Coloss. 1. Per ipsum complacuit Patri, sibi reconciliari omnia per sanguinem crucis eius, siue quæ sunt in cælis, siue quæ in terris. Solus Christus hunc titulum & honorem retinet, quia sua morte hoc vnico opere meruit toti mundo salutem. Roman. 4. Mortuus est pro peccatis nostris. Ex huius plenitudine oportet accipere omnes, Iohan. 1. Est autem sathan ille callidus circa hanc doctrinam plurimùm occupatus, vt eo nfundat & impediat verum sensum huius doctrinæ de Iustificatione in hominib⁹ tam doctis quàm indoctis. Aut enim ad sinistram trahit hoíes, suggerendo illis quòd etiam opera ipsorum, vigiliæ, peregrinationes, oratio, ieiuniú, habitus, cucullæ &c. sunt causa salutis & regni cælorum, & non solum Christi opus: sed illi meritò arguuntur ab Apostolo Gala. 2. Si ex operibus est iustitia, Christus gratis mortuus est. Sic enim sathan Iudæos quoquè tali falsa opinione excæcat, qui suam statuunt iustitiam. Alios autem ad dextram trahit, ità vt omninò velint esse sine operibus, & quòd homo in omni opere bono peccat &c. eò quòd Christus pro omnibus satisfecit, operatus est, ieiunauit, orauit, paupertatem sustinuit &c. & sic putant se per Christum liberatos ab obedientia legis, quòd non opùs sit amplius obedire legi. Sed illi quoquè fœdè errant, eò quòd destruant legem per fidem solam, contra sententiam Pauli Roma. 3. An destruimus legem per fidem? absit, sed statuimus legem: liberati sumus sic, nè iustificatióem à lege petamus, non autem ab obedientia Legis sumus liberati. Quarè valdè necessarium est, vt rectè intelligamus hanc Euangelicam doctrinam, & illam non ad nostram quisque intentionem trahamus, sed ad regulam Scripturæ sanctæ. Hæc enim nus vtrunque docet, nempe credere, & obedire Legis præceptis: vtrunque præcipitur: Si autem præcipitur, ergò vtrunque necessarium: sed vnumquodque in suo modo & fine, vt Legi quoquè præstemus obedientiam etiam iam iustificati: fides tamen certò teneat & credat CHRISTVM pro me passum, mortuum & resuscitatum, vt habeam remissionem peccatorum & salutem: hoc credo, ergò nullum opus fieri potest, vt iterùm mereatur salutem: hoc solum & simpliciter transfertur ad opus CHRISTI: solus ille omnibus meruit salutem, & est precium & satisfactio pro peccatis nostris, & causa quarè Deus pater nostri humani generis, quod iram eius commeruerat propter transgressionem Adæ, iterùm misereatur, donet remissionem peccatorum, & vitam æternam. Ipsa etiam ratio humana, licèt alioquì cæca sit in rebus fidei, tamé intelligit quòd oporteat salutem, cælum & remissionem peccatorum esse prius, quàm ego facio aliquod opus, sicut oportet esse paratú prandium, antequàm comedam, Luc. 14. & potum esse, antequàm bibam. Intelligit quoquè ratio, oportere esse aliquem, qui præparauerit prandium, cibum & potum, antequàm vocat hospites. Mercator scit vbi sint preciosæ gemmæ & aliæ merces, antequàm vadat & acquirat eas in hac ciuitate vel vltra mare. Sic brabium suspenditur, antequàm cursu certetur, 1. Cor. 9. Conijcit quoquè ratio, quòd neque cursor dederit aliquid de suo ad brabium, neque mercator ad merces, neque inuitatus hospes ad prandium. Sed quod alius expediuerit, alius autem acquirit, obtinet, & in vsum suum recipit: ità CHRISTVS oḿia præparauit sine nostro sumptu, idque solo sanguine suo persoluit, non curruptibilibus auro vel argento, quia

quia factus est victima pro nobis. Sic regnum cælorum ab initio est præparatum Matth. 25. propter Christum antequàm id possideamus &c. Hoc igitur est omne studium & labor noster referendus, quomodò hanc promeritam & quasi præparatam salutem & regnum cælorum acquiramus, apprehendamus, participemus & frui possimus. Ad quid valet domus, thesaurus, cibus, potus, pecunia, &c. si his non fruaris, & ijs non potiaris, si tibi auxilio & vsui esse non possunt? Ideò nisi nos illam promeritam salutem regni cælorum & thesaurum per solum Christum acquisitum, nostrum faciamus & apprehédamus, nulli vsui nobis erit, sicut neque Iudęis & gentibus ac Turcis proderit mors Christi. Non quòd meritum Christi sit insufficiens, nec omnes possit saluare: sed quoniā meritum ipsius Christi ab illis non acceptatur aut apprehenditur, vel retinetur per media à Deo ordinata, id est, fidem, pœnitentiam, baptismū &c. Igitur huc studium nostrum cóferre debemus, quomodò id quod Christus suo sanguine meruit, nostrum efficiatur & nobis communicetur, non quòd de nouo illud (id est, salutem) promereri velimus per fidem & baptismum: neq; enim baptizamur ideò, vt velimus iam primò mereri illam: sed ideò baptizamur, vt iam antè promerita illa salus per virtutem sanguinis Christi, nobis cómunicetur, & nostra fiat: aliàs enim, si his medijs fidei & Baptismi ad id non vtamur, non minùs ad nos non spectabit, quàm ad Turcas, Iudæos & Gentes. Sunt autem duo media à Deo ordinata, nempe fides & dilectio cū obedientia Legis. Per fidem in Christum, apprehendimus & nostram facimus promeritam Christi salutem. Nam quicunq; vult apprehendere promeritam remissionem peccatorum & redemptionem, illum oportet credere, & sic fides communicat nobis Christum, vt sit noster cum omnibus suis bonis, quæcunque ipse acquisiuit & effecit per mortē suam. Ideò iussit Christus Apostolis, vt irent in mundum vniuersum, id est, tam ad Iudæos, Gentes, Saracenos, Indos, & quoscunq; barbaros homines, & prędicarent & proclamarent, quid verò? quòd qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, id est, hic apprehendet Filium Dei Christum, & omnia cum ipso. Vides hic quòd etiam medium annectit Deus. Non enim dixit solùm, Ite in mundum vniuersum, & proclamate gentibus, Iudæis, Indis & alijs infidelibus, quòd Christus peccata totius mundi sup lignū portauerit, & Deum omnibus velle misereri propter ipsum, remittere iram suam, & pro filijs habiturum: sed addit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit: & è diuerso, Qui non crediderit, condénabitur. Fides ergò est primum medium à Deo ordinatum, quo omnes homines apprehendunt promeritam redemptionem, & hoc gratìs, id est, nō propter vlla facta, opera aut merita nostra: nam remissio peccatorum & salus æterna, sunt res spirituales: ideò operibus corporis, manuum, pedum &c. apprehendi non possunt, sed re spirituali, id est, fidei merito: & ob id Paulus dicit, Nos fide iustificari absque operibus legis, Roman. 3. & maximè contendit pro particula gratis, quòd fides gratìs apprehendat misericordiam propter Christum promissam, vt promissio sit firma, Roman. 3. & 4. Fides igitur ante omne opus apprehendit promeritā salutem, & omnia Christi bona nobis communia facit: maximè igitur exigitur fides, & alijs hominis operibus præfertur: qui hanc non habet, ille non participabit nec fruetur Christi merito & redemptione. Et quoniam iam antè salus est promerita, cœna parata, & regnum cælorum patefactum, hoc fides gratìs, id est, non propter suam propriam dignitatem apprehendit, sed propter Christum ex misericordia, quæ est promissa propter ipsum: ideò multò minùs propter opera nostra apprehenditur salus illa & meritum Christi, sed clarè & purè propter Christum: non huius ergò promissa est iustificatio & salus credentibus, Actor. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent. & Acto. 15. Legem neque nos aut Patres portare potuerūt: gratia igitur Domini nostri Iesu Christi saluati sumus. Iohannis 3. Vt omnis qui credit in illum, &c. Nolumus hic contendere de sola fide, eò quòd fides sola neque esse, neque manere potest. Stat ergò firma confessio, quoniam fides apprehendit promeritam salutē & remissionem peccatorum, & communicat nobis illā, & haurit eam ex sacramentis quę sunt vasa gratiæ. Gratìs autem, quia non quasi merces redditur post discussionem meritorum, sed donum donatur post delictorum veniam. Augustinus super Iohan. Sermone 61. Porrò alterum medium à Deo ordinatum est, quo retinetur & custoditur promerita & per fidem nostram apprehensa salus, nè iterùm perdatur, sed custodiatur: & hoc medium nunc est dilectio

ctio cum suis operibus & obedientia præ-
ceptorum Dei, ieiunare, orare, corpus ca-
stigare, & opera misericordiæ exercere,
fructu spiritus operari, & in summa in iu-
stitia & sanctitate Deo & proximo nostro
seruire omnibus diebus vitæ nostræ. His
& similibus Christianæ & Euãgelicæ per-
fectiõis operibus & exercitijs retinetur &
custoditur promerita salus & iustificatio.
Si enim his contraria fecerimus, negligen-
tes præcepta Dei & Euangelij, cõtemnen-
tes mandata Ecclesiæ Christi, viuentes in
securitate & voluptate carnis in impœni-
tentia, in mollitie, gula, crapula, luxuria,
adulterio, simultate, odio, iniustitia, frau-
de, auaritia, immisericordia, & in summa
secundùm veterem hominem & paganos
mores, tunc aufertur iterùm à nobis salus
& meritum Christi tanquàm ab indignis.
Dicit enim Apostolus Roma. 8. Si secun-
dùm carnem vixeritis, moriemini, scilicet
morte æterna, & vitam æternam amittetis:
nam neq; adulteri, nec fornicatores, neq;
ebriosi, maledici, auari, &c. regnũ Dei pos-
sidebunt. 1. Corint. 6. Galat. 5. Opera car-
nis &c. Ephes. 5. Hoc scitote, quòd nullus
auarus &c. partem habebit in regno Chri-
sti & Dei. Ex quo sequit, quòd opera no-
stra non fiunt in eum finẽ, vt iam primùm
vel de nouo mereantur promeritam salu-
tem & redemptionẽ per Christũ: sed qua-
tenùs iam acquisitam per Christum, & per
fidem nostram gratis à nobis appræhẽsam
retineamus, nè iterùm sicut Iudas per pec-
cata & mala opera perdamus: sunt enĩ bo-
na opera quasi cistæ aut crumenæ, quibus
custodimus thesaurum appræhensum, in-
quit Augustinus in Sermone de festo de-
dicationis Ecclesiæ etcet. Ideò Apostolus
hortatur nos 2. Corinth. 6. nè in vanum
gratiã Dei recipiamus. Protoplastus Adam
sinè omĩ suo merito gratis fuit iustus cre-
atus, & affectus beneficijs, locatus in Para-
diso, & cõstitutus super omĩa animalia &c.
sed cùm fregit mandatum, & fecit contra
inhibitionem Dei, in vanum eam gratiam
accepit, & perdidit omnia beneficia gra-
tuita, & in summã miseriam ægrum mor-
tale genus traxit, in quo omnes peccâsse
dicimur, Roman. 5. Sic quoquè filij Israel
singulari Dei beneficio affecti, liberantur
à seruitute Pharaonis, Exod. 14. transeunt
Mare rubrum, comedunt cæleste Manna,
& multa alia beneficia à Deo accipiunt: At
illi quoquè in vanum receperunt Dei gra-
tiam & misericordiam: cœperunt enim
posteà contra legem Dei idola adorare,
murmurare aduersùs Deum, cum alieni-
genis fornicari: & ideò diuinitùs prostra-
ti sunt in deserto, & demortui, vt nullus
ipsorum veniret in terram promissionis,
præter Iosue & Caleb, de illis qui exiêrunt
de Aegypto. Item Rex Saul 1. Reg. 10.
sinè proprio suo merito, sed sola Dei ele-
ctione & gratia vngitur à Propheta in Re-
gem filiorum Israel, seditque in summa
dignitate & honore ex gratia Dei. Sed
& ille in vanum recipiens gratiam & mi-
sericordiam gratuitam D E I, cùm non
obediret Deo suo, de regno depellitur,
& malo spiritu exagitatur, & audit vocem
Samuelis: Melior est obedientia quàm
victima. Sic Iudas gratuitò electus & vo- 1. Reg. 15.
catus inter duodecim Apostolos, prædi-
cauit de CHRISTO, & baptizauit, fu-
itque sicut vnus de cæteris vndecim. Sed
quia posteà peccauit auaritia, & accepta
pecunia CHRISTVM magistrum su-
um & Dominum prodidit & osculo tra-
didit, ac posteà semetipsum strangulauit,
& sic gratiam Dei, quam in vanum acce-
perat, sua culpa perdidit & damnatus est.
Sic Christus admonuit sanatum gratuitò
circa piscinam, qui 38. annis ægrotauerat,
& audit nè peccet ampliùs, nè sibi deteri-
us aliquid contingeret, Iohannis 5. Sic Io-
hannis 8. adultera, nè iterùm peccet. Huc
quoquè respicit, quod Christus dicit Lu-
cæ 11. de sathana expulso semel à peccato-
re per fidem Baptismi: sed cùm peccator
sanatus & iustificatus iterùm incipit pec-
care, tunc redit sathan cum septem nequi-
oribus spiritibus, & fiunt nouissima ho-
minis illius peiora prioribus. Et hæc ratio
est, quòd Christiani, si post Baptismum
& fidem incipiunt peccare, & deficere ad
hæresim aut Mahometismum, peiores ef-
ficiuntur quàm Iudei & Turcæ ipsi sunt:
perdiderunt enim CHRISTI gratiam
acceptam per fidem in Baptismo. de illis
dicit Petrus Epist. 2. capit. 2. & assimilat
eos cani, qui ad vomitum redit: & sui, quæ
redit ad volutabrum, & inquit: Melius
erat illis non cognouisse veritatem, quàm
post cognitam veritatem retrorsùm con-
uerti ab illo, quod illis traditũ est sancto
mandato. Luc. 9. inquit Christus: Nemo
mittens manũ ad aratrum, & respiciẽs re-
trò, sed q pergit, aptus erit regno Dei. Sic
Iudas Apostolus in sua Canon. maximè
suadet, nè peccemus, nè iterùm perdamus
acceptam gratiam CHRISTI, id est,
promeritam salutem, & duo exempla pro-
ponit: Primum de angelis in cælo, id est,

Lucifero cum suis, Esai. 14. qui dixit, Ascendam in cælum &c. & ob id peccatum superbiæ & elationis, de statu gratiæ deturbatus, & in æternam caliginē deiectus est, & perdidit gloriam cælestem, quam sanè gratuitè acceperat. Item exemplum Sodomorum & aliarum ciuitatum, quæ nefandissimè peccauerant, incurrerunt iram diuinam, & igne æterno puniti sunt, Genes. 19. Nolite ergò gratiam Christi transferre in lasciuiam, id est, viuere in carnalibus peccatis sinè pœnitentia, timore, & cessatione: aliàs enim iterùm filij gehennæ efficimur. Sic quoquè Paulus admonet Corinthios 1. Corinth. 10. quatenùs vigilent, nè perdant acceptam gratiam, sicuti Patres veteris Testamenti perdiderunt, in deserto murmurantes, fornicantes, idololatrantes &c. & dicit hæc in veteri Testamento scripta esse ad nostram admonitionem & correctionem, nè peccemus similiter post acceptam gratiam, facientes contra legem Dei, & nunquàm pœnitentes, nec cessantes. Nemo sinè interioribus peccatis viuere potest, sed benè sinè manifestis externis: sancti autem homines vtrisq; his resistunt, & spiritu sancta carnis mortificant, Roma. 8. Sed qui ex proposito peccant contra legem Dei, & nunquàm pœnitent, illi perdunt gratiam, fidem, & spiritumsanctum. Sicut igitur vita naturalis perditur ex defectu cibi & potûs, & retinetur per cibum & potum: sic bona opera retinent gratiam Dei, & mala opera seu peccata carnis perdunt. Miserrima igitur nunc est conditio hominum in hisce temporibus, cùm decepti & seducti falsa persuasione suorum prædicantium, solutissimè, securissimè, & impijssimè viuunt, ità vt non credam inter mille Sectarios vix vnum reperiri, qui in gratia Dei & iustificatione ad vitam æternam necessaria, ex hac vita carnali discedat. Dicunt quidem omnes, Christum nobis omnibus in se credentibus promeruisse cælum, & ipsos sperare & cupere salutem æternam: at, crede mihi, haud consequeris quod tu putas: nam ibi confunderis, eò quòd nō retinuisti, quam semel accepisti gratiam & iustificationem: nam de te & tui similibus dicit Christus ipse, Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, id est, ô Domine Christe, ego credo in te, & cupio promeritam per te salutem: Sed qui facit voluntatem, ait, Patris mei qui in cælis est, id est qui obedit præceptis & mādatis euangelicis, hic intrabit in regnū cælorum, eò quòd retinet acceptam gratiam & iustificationem. Ideò Christus ipse nobis proponit, multos esse vocatos, Matt. 20. id est, dicentes se credere: sed quoniam nō retinēt gratiam, addit paucos esse electos. Ità omnes quidem audiūt verbum Dei, & semen bonum proijcitur in omnes, Luc. 8. Sed solùm quarta pars fructificat, & Lu. 11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, id est, qui audiunt per auditum quid credere debeant: fides enim est per auditum: deindè qui custodiūt sermones Christi, & in mandatis eius ambulant, illi beati erunt. Sic quoquè Paulus ait 1. Corint. 5. Pascha nostrū immolatus est Christus. ecce promerita salus, itaq; epulemur nunc in azymis synceritatis &c. quarè autē hoc? nempè vt pascha illud retineamus, & 1. Petr. 2. eius liuore sanati sumus: ecce iterùm promerita salus, vt nunc iustitiæ viuamus, id est, nè iterùm perdamus eam, Hebr. 9. Emundauit conscientiam nostrā &c. ad seruiendū Deo viuenti. Eph. 2. Saluati estis per fidem gratis, attamen cōditi ad bona opera, quatenùs in illis ambulemus ad retinendam salutem & gratiam promeritam. Maledictum enim manet super eos, & væ væ dicitur ciuitatibus in Euāgelio Corozain & Bethsaidæ, eò quòd gratiam sibi oblatam & acceptam respuerunt & perdiderunt. Porrò tametsi multi sunt fines & causæ, cur faciamus bona opera, potissima tamen causa est, vt retineamus per ea datam in Baptismo iustificationem, gratiam & promeritam salutem: nam per peccatum amittitur gratia Dei, & qui peccat, scilicet mortaliter, est ex Diabolo, 1. Iohan. 3. Non igitur docemus quòd per bona opera de nouo mereamur salutem illam promeritam, & redemptionē à peccatis & ira Dei, sed vt retineamus & grās agamus Deo. Oīa enī quę nos facimus, ea facimus rogatiuè, scilicet vt vel nobis distribuatur & cōmunicetur promerita salus & gīa, vel vt Deus donet nobis Spiritumsanctū faciendi bona opera, quatenùs acceptam gratiā retineamus. Omia igitur opera nostra sunt petitiones, nō merita ad promerendā de nouo salutē: ideò credimus & per fidem petimus cōmunicationem, ieiunamus, oramus, Sacra celebramus, ordines intramus &c. quatenùs Deo securiùs viuamus, & donatū nobis in baptismo thesaurū custodiamus. In summa igitur oīa nostra, i. quæ à nobis fiunt, tàm fides q̄ opera, ad duos hosce fines referunt, nempè vt vel apphendamus,

vel

vel retineamus salutem ęternam, & euadamus iram Dei & ignẽ æternum, qui ab initio paratus est diabolo & angelis eius: etsi (Mat. 25.) enim non hominibus ille ignis sit paratus, sed Lucifero & socijs eius, tamẽ illis hominib⁹ quoquè paratus est, qui Christũ non receperunt, nec in noĩe eius crediderunt: Deindè qui Dei promissionem & Christi meritum, id est, salutem ac iustificatiõem in Baptismo acceptam, per dilectionis & legis Euangelicæ opera non retinuerunt, vndè illi audiunt à iudice Christo: Ite maledicti in ignem æternum &cæt. esuriui, & (Mat. 25.) nõ cibâstis me, &c. Non enim, inquit Augustinus in Serm. vigiliarum pentecostes, Christus litigabit nobiscum & quæret, vtrùm crediderimus, an non, id est, an fidem habuerimus, sed etiam quæ quisque in corpore suo fecerit, vt reddat vnicuiq; secundùm opera sua &c.

DE IIS QVAE PROPTER OBSERVANTIAM LEGIS ET Euangelij promittuntur. Cap. II.

HIC notandum est primò, quòd Euãgelium docet esse aliqua dona, quæ solùm ꝓpter personam Christi & eius passionem sunt promissa & donantur, quæ fides gratìs appræhendit: Deindè sunt aliqua dona & pręmia, quę ꝓpter obedientiam legis promittuntur & donantur à Deo homini iam iustificato per fidem. Habet itaque tam Lex quàm Euangelium suas promissiões. Fides appręhendit Euangelij dona & promissiones, obedientia autem Legis præceptorum & fructus iustificationis appræhendunt alia, id est, legis dona & præmia. Primò autem Euangelium promittit credenti gratìs omnia quę habet, & quę meruit Christus in sua sola persona sinè additamẽto alicuius operis humani: sed Euangelium declarat, quòd Christus sua morte & sanguine solus omnium hominum salutem promeruit: Deindè, quòd promiserit se daturum illam promeritã salutẽ omnibus in ipsum credentibus: & non solùm credentibus, sed & pœnitentibus, & cupientibus illam. Illud autem patet 1. Iohannis 2. vbi legitur: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris & totius mundi. Et Roman. 5. Reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius. Esai. 53. Liuore eius sanati sumus. 1. Corint. 6. Empti enim estis precio magno. Et 1. Pet. 1. Non corruptibilibus rebus auro & argento redempti estis, sed precioso sanguine immaculati agni, id est, Christi. Est ergò solum vnicum opus propitiatoriũ, quod omnibus hominibus semel meruit salutẽ, id est, sola vnica mors Christi, Coloss. 1. Per ipsum complacuit Patri reconciliari omnia, purificans oĩa per sanguinẽ eius, & pacificans quæ in cælis & quę in terris sunt. Solus ergò Christus vnico opere mortis suæ æternã omnibus reperit redemptionem, Hebr. 9. Deindè solus Christus donat & ꝓmittit promeritam illam salutẽ hominibus credentibus & pœnitentibus: nullus alius potest eam mereri, nec ei merito Christi tãquàm pfecto, integro & absoluto quicquam potest addi à nobis, nec potest diminui aut euacuari, quia æternum est. Nullum ergò opus, cuiuscunque etiam sit Sancti, Prophetæ, Martyris, Cõfessoris, Eremitæ &c. habet hanc efficaciam, quòd mereatur iustificationem & promeritã illam salutem: hæc reseruatur & trãsfertur solùm in vnicum opus Christi, de quo solo dicit: Mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificatiõem nostram, Rom. 4. Nullus sanctus, Martyr aut Propheta, passus est pro salute totius mundi: Quarè omnes nos oportet de plenitudine illius accipere, Iohan. 1. Constat igitur nunc, quòd Christus solus promeruit omnibus hominibus salutem, & eam dat solùm crędentibus & pœnitentibus. Ex quo sequitur, quòd qui in ea est opinione, vt æstimet suis operibus se dignum esse & sufficientem ad eam cõsequendam, nempe ieiunãdo, orando, dando Eleemosynas, seruando præcepta Dei &cęt. & velle mereri per hæc vitam æternam, remissionem peccatorum & salutem, hic errat, & illi Christus gratìs mortuus est, Galat. 5. & est in Iudaica opinione, qui volunt suam iustitiam statuere, Roman. 10. Matth. 9. Non est opùs medico valentibus &c. Hæc igitur dona sunt propria Euangelij, quę etiã Euangeliũ promittit gratìs credenti propter Christum, id est, non propter opera nostra. Primò enim promittit Euangelium fauorem, gratiam & reconciliationem Dei patris, iuxta illud Coloss. 1. Per ipsum complacuit Patri omnia sibi reconciliari, id est, redire in gratiã & fauorem. Iohannis 6. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Deindè promittit remissionem peccatorum, iuxta illud Actor. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere in nomine

eius, & Luc. vltimo, Prædicari in nomine eius pœnitétiam & remissionem peccatorum: Tertiò promittit Spiritumsanctum, Iohan. 14. quem mittet vobis Pater in nomine meo, id est, Spiritúsanctum propter nomen meum: Postremò promittit exhibitionem salutis & æternę vitæ. Actor. 4. Non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. Iohan. 3. Vt ois qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Iohan. 10. Ego do eis vitam æternam &c. Sunt igit hæ promissiones & dona Euangelij, quæ solùm propter Christum & eius personá ac mortem promittuntur credentibus, & exhibentur gratis per fidem, non ꝓpter alicuius opera: nam hæ promissiones & dona non possunt à nobis mereri: nos solùm illa beneficia accipimus gratis per fidem propter Christum: ideò huiusmodi cósolatio turbatæ conscientiæ, habetur ex Euangelio & eius promissionibus. Sed oportet hæc diligenter distinguere ab operibus legis, quæ nos post iustificationé facimus. Christus enim solùm hæc meruit omnibus, & distribuit gratis: Sed tamen necessarium est nobis, vt habeamus medium, per quod nos appræhendamus & participemus illa: si enim illa non appræhendamus & nobis applicemus, ad quid nobis vtilia erunt? Si thesaurus mihi promittatur, & ego eum non acquiram, quid prodest mihi? non enim in merito CHRISTI est defectus, sed in nobis, id est, in medijs ijs, quibus participamus salutem. Est autem hoc medium fides, quæ appræhendit illum promissum thesaurum, id est, promeritam salutem, & nobis confert diuitias CHRISTI. Ideò iussit CHRISTVS Apostolos exire in mundum, & prædicare Euangelicas hasce promissiones: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Marci vltim. Iohannis 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, &cæt. Id est, quia Pater propter Filij mortem & sanguinem vult distribuere salutem & vitam. Hæc sunt præcipua quę docet Euangelium, id est, CHRISTVM solum salutem meruisse, & eis distribui qui credunt & pœnitent, idque sinè nostro præcedente merito. Hæc est propria ꝓmissio Euangelij.

Porrò commemorat Scriptura etiam promissiones Legis, quæ Deus vult dare iustificatis pro obedientia præceptorum suorum & pro bonis operibus. Huiusmodi verò promissiones sunt de varijs donis & beneficijs nobis etiam necessarijs pręter illa supradicta, quæ ex Euangelio promittuntur: Notantur autem Exod. 20. Leuit. 26. Deutero. 28. illa quoquè dona exhibentur nobis propter opera nostra & obedientiam legis: non enim verum est, quòd opera nostra omninò nullum habeant præmium, quandò CHRISTVS dicit Matthęi 16. Reddet vnicuique secundùm opera sua. Et 1. Corinth. 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm laborem suum. Secundùm suum, inquit, laborem. Sunt autem hæc opera nostra plurimùm distincta à Christi operibus. & 1. Corinth. 15. dicitur, inter se quoquè distincta esse opera, & aliud alio pręclarius esse: sicut differt stella à stella in claritate, etcæt. Lex enim ꝓmittit longam vitam, Exod. 20. sanitatem corporis, & custodiam ab vlceribus & varijs infirmitatibus, benedictionem in agris, fertilitatem fructuum, pacem à bello conseruationem rerum temporalium, sapientem Magistratum. Sic Hester & Iudith prosternit hostes per orationem & humilitatem. Sic mulier Sareptana abundat oleo, quia dedit eleemosynam. Sic Daniel, quia ieiunauit & orauit, in magnum virum efficitur. Summa, obedientia Legis, in tertiam & quartam generationem recompensatur, & in mille gratia & dona promittuntur Exod. 20. Ex his igitur liquet, quomodò quædam dona propria sunt, quæ promittuntur propter Euangelium gratis, vt gratia & fauor Dei Patris, remissio peccati originalis & aliorú, donatio Spiritussancti & vitæ æternæ: hæc solùm propter CHRISTVM gratis exhibentur in Baptismo ante omne opus: At legis dona alia sunt à prioribus illis. Legis enim obedientia præterquàm quòd retinet iustificationem, id est, quòd homo perseueret in iustificatione & acceptis donis gratis propter CHRISTVM, illa omnia retinet, etiá sua propria habet præmia & dona, sicut Scriptura legis apertè promittit. Cauenda est igitur & vitanda hæc cófusio, nè nostris hoc tribuamus operibus, quod solùm CHRISTI debetur operi ac merito, id est, remissionem & salutem: Deindè, nè & nostra negligamus opera. Non enim sic iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis nostri, Hebr. 6.

3. Re. 17.

QVAE

QVAE SIT INTER LEGEM & Euangelium differentia. Cap. 12.

SCiendum est primò, magnam & arduã esse doctrinam, posse distinguere Legem & Euangelium, eò quòd vtrunq; Lex & Euangelium sunt verbum Dei. Dedit eñ Deus legem Moisi in duabus tabulis Exod. 20. Euangelium quoquè est verbũ Dei, quia Christus iussit Apostolos prædicare Euangeli-
Matt.3. um: & Deus dixit, vt audiamus Christum:
& 17. Hic est Filius meus dilectus, hunc audite. Licèt igitur ambo sint verbum Dei, tamen est inter vtrunq; magna differentia. Primò enim ità differt Lex ab Euãgelio, quia Lex iubet nos aliquid facere, expostulat, & vrget nostra opera, sicut patet in libris legalibus, & vbi Decem præcepta recensentur: Vnum crede Deum, non sis occisor, fur, mœchus, etcęt. Sub istis præceptis omnia compræhenduntur, quæ facere debemus ex mandato Dei, & quæ facere prohibemur. Omne igitur præceptum designat & exigit aliquid in communi, quod facere & non facere debemus erga Deum & proximum nostrum. Et sic Lex dicitur verbum Dei. Deindè Euangelium etiam est verbũ Dei, sed hoc non ità vrget & pręcipit nos hoc & illud facere, scilicet in eũ finem, vt promereamur iustificationẽ: sed iubet nos solùm credere, & respicere ad ea opera quæ Christus pro nobis fecit, & ibi accipere quæ sibi donantur. Dum enim Deus dicit tibi per Euangelium, en tibi do remissionem peccatorũ & vitam æternam propter Filium meum, qui factus est victima pro peccatis tuis, hæc crede & accipe, gratìs appręhende, licèt nihil ad hoc fecisti: ideò vt donum & munus gratuitum accepta. Exẽpli causa, Baptismus, Eucharistia, Absolutio &c. non est opus tuum, quod scilicet tu facis: sed Deus dicit, Veni & accipe, ego te lauo gratìs à peccatis tuis, gratìs tibi dono remissionẽ & gratiã &c. Hæc est ergò differentia inter Legem & Euãgelium: per Legem exigitur, quid nos facere debemus: ideò dicitur Lex siue pręceptum, vt hoc & illud faciamus corã Deo & hominibus: At in Euangelio vocamur ad distributionem & acceptatiõem, vt appræhendamus iustificationem & remissionem peccatorũ gratìs solùm propter effusum sanguinẽ Christi. Deindè diligenter notandum est, vt quodlibet horũ duorum, id est, Lex & Euangelium, suos habet limites, quantùm ad meritum operum attinet, non sicut humana ratio sentit, quę putat se per Legis & præceptorum opera & obseruantiam mereri iustificationem & cælum, sicut mercenarius suum præmium ac mercedem meretur. Sed Euangelium tibi gratìs offert Christi diuitias, meritũ, & iustitiam in Baptismo per fidem, & ante omnia opera Legis hæc appræhenduntur. Nam quandò Deus tibi dat Filium gratìs, etiam omnia cum Filio tibi donat, Rom.8. & sic fides appręhendit promissiones, quę Euãgelium propter Christum gratìs promittit, id est, fauorem & gratiam Patris, remissionem peccatorum, Spiritumsanctum & vitam æternam ante obedientiam legit. Hæc enim gratìs ꝓpter solam Christi personam distribuuntur per fidem: hæc igitur scire & credere, est singulare donum scientiæ. Præterea Lex quoquè suos habet limites, quæ præcipit & cõstituit multa facienda, & ꝓmittit circa ea diuersa dona & præmia, sicut patet Exod. 20. Leuit. 26. Deuter. 28. Sed nõ habet Lex inter suas promissiones hæc duo, nempe fauorem Dei patris, reconciliationem, remissionem peccatorum, Spiritũsanctum, vitam æternam &c. sed alia corporalia & spiritualia dona, vt patet in Textu: ideò oportet discerni ea dona, quæ propter Christi personam gratis appræhẽdimus, & inter ea quæ nobis lex promittit pro obedientia. Ex illo nunc colligitur, quomodò conscientia consolatur in accusatione legis & condemnatione: quandò enim lex exprobrat tibi, & dicit, Ecce iniustus es, non seruâsti legem quam pręcepit Deus, sed transgressus es illam: maledictio igitur super te manebit & ira Dei. Deutero. 17. Et cùm Lex sit verbum Dei, tu verbum Dei & mandata eius non seruâsti. Sic solet cõscientias tentare sathan in Articulo mortis: at tunc fides Euangelica se erigere debet & dicere, Habeo etiam aliud verbum Dei, quod dicitur Euangelium, id mihi gratiã & fauorem Dei, remissionem peccatorum, Spiritumsanctum & vitam æternã donat & certò promittit: id me absoluit, & pro me satisfecit debita mea: hoc enim effecit Christus. 1. Corinth. 1. Qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, & redemptio. Non ergò ꝓpter Legem cupio cælum, sed propter Euangelium: non propter mea opera, sed Christi. Est igitur hæc Regula semper retinenda, quotiès aliquid præcipitur tibi quod facere debes, aut quod ad opera nostra, cogitationes, & verba attinet, id est, M 3 omnia

omnia illa quæ homo facere debet, hæc omnia pertinent ad legem. Et hic est limes aut terminus legis, in quo includuntur solùm opera, verba, cogitationes, & alia quæ homo facere & præstare tenetur & potest: Deus enim non iubet impossibilia,& vult legem suam non solùm foris, sed etiam intùs impleri & obseruari. Roman. 7. Lex spiritualis est: sed quoniam omnia nostra opera, cogitationes, verba & aliæ virtutes sunt imperfectæ: ideò non possumus intra hunc limitem seu terminum legis inuenire remissionem peccatorum & vitam æternam. Nam hæc est generalis sententia, quòd Lex non iustificat, Roman. 3. Galat. 3. Indè est, quòd si volumus inuenire remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, salutarem Dei gratiam & fauorem, quòd illa oportet quærere & inuenire in limite Euangelij: ibi hæc gratis propter personam Christi, & non nostra opera promittuntur: quotiès ergò aliquid recipimus & petimus à Deo, omnia illa speramus consequi propter Christum, & ea maximè, quæ remissionem & salutem concernunt. Omnia ergò illa ad limitem Euangelij pertinent, in quo fides illa apprehendit & inuenit. Et indè est, quòd in Baptismo fides apprehendit illa ante omne opus aliquod legis, sicut patet in baptismo, vbi infantes intrant communionem Christi & omnium bonorum ac diuitiarum eius. Ideò discernenda sunt Lex & Euangelium, sicut hyems & æstas: & ex hoc intelligitur clarè, quid sit Christus, & cur in mundum venerit, quid nobis meruerit, & quę sit virtus passionis eius, &c. Insupèr non proptereà existimandum est, quòd obedientia & impletio Legis omninò frustrà fiat, & sit sinè præmio: nam præclaras & magnas habet promissiones, sicut patet Exod. 20. Leuit. 26. Deute. 28. Et in Euangelio pro oratione, ieiunio, & eleemosyna promittuntur præmia, & merces ipsorum copiosa erit in cælo, & secundùm gradus laborum 1. Corinth. 3. & 15. Qui igitur non benè scit differentiam hanc legis & Euangelij, sed ea miscet, hic relinquet conscientiam semper inquietam & sinè consolatione, & confundit totam salutis causam &c.

QVOD LEX SINE CHRISTO NON saluat. Cap. 13.

LEX Dei seu Decalogus, est doctrina ostēdens quales esse debemus, id est, quòd Deū ex toto corde, tota anima, mente & virib^9 nostris diligere debeamus, & proximum sicut nosipsos, Deut. 6. & Matth. 22. Deindè est quoquè doctrina ostendens, quæ facere, & quæ nō facere oporteat, vt patet in decem præceptis Decalogi Exod. 20. & quodnā sit bonum, vel malū opus & contra legē Dei. Vndè Apostolus ait Rom. 3. Peccati cognitio per legē est. Prætereà lex ostendit, quòd Deus integrā & perfectam requirit obedientiam intus & foris, id est, vt motu spiritùs intùs impleat, nempe vera dilectione, timore, adoratione, fide &c. & quòd dānantur & maledicuntur ij, qui hanc non præstant obedientiam, sicut Lex minatur Deut. 27. Maledictus qui nō permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis huius. Exod. 20. Non concupisces &c. Cùm aūt iam vix in toto mundo talis homo inueniat, qualis secundùm perfectionem Legis esse deberet, id est, qui ex tota anima & ex totis virib^9 suis diligeret Deum, sicut Angelus in cælo: Deindè qui faceret omnia quæ iussit, & abstineret ab omnibus quæ prohibuit Deus, & qui intùs etiam verè in spiritu seruaret legē, licèt foris illā simulet facere. Nè igitur dānemur propter inobedientiā legis, & nostram insufficientiā & imperfectionem, necesse est vt aliud quæramus mediū, vndè nobis auxilium veniat, quo possimus iustificari, id est, peccatorū & transgressiōis remissionē impetrare, & salutē acquirere: at illud aliud nō est, nisi sanguis & mors Christi. Sinè Christo igitur Lex nullū saluat, neq; iustificat. Porrò inquit Apostolus Rom. 8. Ex eo quod erat impossibile, legē per infirmitatē carnis nostræ impleri, misit Deus Filium suū in carnem, & subiecit legi, Gala. 4. qui perfectè legē impleuit, Mat. 5. Non veni soluere legem, sed adimplere: & sic peccatū transgressionis, quo nos lex accusat, ipse Christus hostia pro eo factus, euacuauit per mortē, dānauit, vicit, amouit & nos liberauit: vt iustificatio legis, id est, impletio legis in nobis impleretur, id est, imputaretur propter Christum, quasi nos impleuissemus: sed tamē sic, nè secundùm carnē ambulemus, cōmittentes opera manifesta cōtra legē Dei, qualia Paulus describit in Epist. ad Gala. 5. Ex quo patet primò, quòd nō sufficiebat ad salutem externa illa legis obediētia, eò quòd fuit imperfecta, & polluta carne ac mente fiebat: ideò

ideò nportebat venire Chriſtum, qui perfectè, ſicut debebamus, legem impleret, & nobis ſic ſua adimpletio legis, & ea quæ ex hac ſequit̃, iuſtificatio imputaretur, nè lex ampliùs nos queat accuſare & dãnare. Liberauit igit̃ nos Chriſtus ab illa accuſatione & dãnatione legis. Omnes enim, nullo excepto p̃ter Chriſtũ, lex accuſat de tranſgreſſione & imperfectione noſtra, Iohã. 7. Nemo ex vobis facit legẽ, & Acto. 15. quod iugũ legis neq; nos, neq; patres noſtri portare potuimus &c. Ergò lex ſinè Chriſto, nullo modo iuſtificat vel ſaluat ꝓpter internam immunditiẽ &c. neindè lex nõ poteſt certificare conſcientiã noſtrã de conſequenda ſalute: certificat em̃ tantùm ſub conditione, nempe, ſi legẽ ſeruaueris perfectè & integrè, & opus bonum integrè & ſinè interna immũditia pfeceris, tunc ſaluus eris. At quia nemo noſtrûm hoc facere poteſt, ergò nec cert⁹ eſſe de ſalute conſequenda & remiſſione: ideò vt cõſcientia eſſet certa de conſequenda ſalute, & ſolidũ haberet fundamentũ, Deus ꝓpter Chriſtũ Filium ſuũ ꝓmiſit remiſſionẽ peccatorũ, donationẽ Spiritusſancti, & vitam æternã, & nõ ꝓpter obſeruantiã legis: ideò vt hæc ꝓmiſſio eſſet firma & certa de ſalute conſequenda, ordinauit hoc fieri per fidem in filium Chriſtum, & non propter noſtrum conatũ vel opera, Rõ. 4. Poſtremò, quanuìs Lex ſit abrogata à iuſtificatione, id eſt, quia cauſa eſſe non poteſt quòd Deus nos iuſtificet propter immunditiem & imperfectionem internam, niſi propter Chriſtum, non tamen eſt abrogata ab obedientia & obſeruantia præceptorum Dei. Roman. 3. Legẽ ſtatuimus per fidem, & quia hæc tamen noſtra obedientia imperfecta eſt, ideò non ſufficit ad ſalutẽ conſequendam, ſed oportet adeſſe Chriſtũ, qui virtute ſanguinis ſui quaſi victima (quam debebamus ſubire propter tranſgreſſionem & imperfectionem noſtram) primò integrat & perfectam facit obedientiam noſtram legis: Deindè cauſa eſt, quòd nobis propter ipſum imputet̃ hæc perfecta obedientia Legis pro iuſtitia, & Deus hic acceptat inchoatam obedientiam legis ſuæ. Tertiò, quòd hæc ex gratia varijs coronatur præmijs & donis in hac & poſt hanc vitam ſpiritualiter & corporaliter, ac tandèm gloria æterna remunerat: & hæc quidem omnia propter CHRISTVM, ſcilicet quòd noſtra imperfecta obedientia Legis reputetur coram Deo perfecta, & reputetur nobis pro iuſtitia. Ideò quia non propter noſtra merita, ſed propter CHRISTVM hæc nobis fiũt, gratìs dicuntur à nobis apprehendi per fidem noſtram, & gratìs ex miſericordia Dei patris credentibus & pœnitentibus nobis diſtribui: nulla hic gloriatio meriti eſt, ſed vita æterna & ſalus eſt ex gratia & dono Dei Patris propter Filium, Rom. 6. & ſic Lex non poteſt nos ſaluare ſinè Chriſto. Prætereà ſub legis nomine omnia bona opera intelliguntur: nam illa omnia ex Decalogo præceptorum fluunt & in illo cõpræhenduntur. Impia igitur & Hæretica eſt opinio, dicere Legem omninò eſſe abrogatam, ità quòd nemo ampliùs ad illam teneat̃, & quòd ſola fides ſufficiat, & quòd homo in omni opere ſuo bono peccet. Nã ad quid nobis opùs eſſet Spiritusſancto, vt is nobis mitteretur, niſi ꝓptereà, vt in nobis perficiat legẽ, & ipſe adiuuet infirmitatem noſtrã, Rom. 8. quatenùs obediam⁹ legi, & carnem mortificemus? Si ſecurè in ſola fide viuere debemus, quarè iuſſit nos Chriſtus vigilare, nè ſathan nos circumue- Luc. 12. niat? Nec Chriſtus tollit obedientiã legis, Mat. 24. ſed imperfectionẽ noſtrã ipſe perficit, & 25. 26. virtute ſanguinis ſui in adiutorium diſtribuit. Falſa quoquè eſt exiſtimatio, quaſi per ſolam fidẽ poſſim eſſe iuſtus in adulta mea ætate, & me nullis egere operibus legis. Fides enim non abrogat in toto, ſed ſtatuit Legem. Inſupèr plerique iam reſpiciunt in ſolam CHRISTI perſonam, & cogitant quòd propter ipſum liberentur omninò à Lege & à peccatis, & ſaluentur: id quod verum quidem eſt, ſed non attendunt illi, quarè detur & donatus ſit nobis Spiritusſanctus cum fructibus ſuis in Baptiſmo, quem ſpiritum Deus in nos effudit abundè, Tit. 3. Roman. 5. & quidem non vt ocietur in nobis, ſed negocietur, impellendo & adiuuando noſtram infirmitatem ad bona opera facienda, vt ſic retineamus fidem & acceptam iuſtitiam imputatam nobis ꝓpter CHRISTVM, nè iterùm eam amittamus per peccata carnalia & neglectum bonorũ operum. Deindè Deus promittit ſe illam operatiõem noſtram bonorum operum velle coronare præmijs & gloria æterna, idque imputatiuè ex gratia & miſericordia propter Chriſtum. Si autem Deus vult coronare opera, iuxta illud, Merces veſtra copioſa eſt in cælo: certè Deus etiam deſiderat & Matt. 5. vult habere à nobis bona opera: ad quid enim promitteret remuneratiõem, ſi non cuperet noſtra opera?

Prætereà non fic exaggerare oportet
immunditiem illam interiorem feu pol-
lutionem carnis,quafi propter illam ope-
ra noftra fordefcant, & nullius vtilitatis
vel refpectûs fint corã Deo: nam abũndan
tior eft gratia & pluris, quàm peccatum,
& maioris efficaciæ,Rom.5. Gratia igitur
quoniã acceptat opera noftra qualiacunq;
& pro perfectis imputat propter Chriftũ,
ergò præualet gratia interioris immundi-
tiæ peccato: & ità fit,vt opera noftra bona,
fint grata Deo, & imputatiuè iufta, quia
pro perfectis & iuftis nobis imputantur
propter Chriftum,qui perfectè & integrè
finè immunditie interna adimpleuit le-
gem, & perfectè obediuit operibus legis,
id nullus mortalium facere poteft. Difcri-
men verò eft,opera noftra fua dignitate &
virtute effe meritoria & digna præmijs, &
opera noftra propter Chriftum effe meri-
toria & digna præmijs: Fides fanctificat &
purificat corda noftra, Actor. 15. Nouit
quoquè Deus noftram infirmitatẽ in ob-
feruãdis legis operibus:ideò mittit & do-
nat adiutorem Spiritũfanctum, cum quo
hominem pro viribus fuis obferuãti obe-
dientiam legis Deus pater ex fua miferi-
cordia apponit meritũ fanguinis Filij fui,
& acceptat illa noftra opera, & diftribuit
promeritum beneficium per Chriftum,id
eft, æternam falutem per Filium impetra-
tam. Media igitur via hìc incedere opor-
tet: Primò, vt nemo putet fe legem omni-
nò & perfectè implere atque ei fatisface-
re:nam fic non haberet opùs Chrifto, nec
indigeret Saluatore,iuxta illud: Si ex lege
iuftitia, tunc Chriftus gratìs mortuus eft:
fed quia nemo pfectè fatisfecit legi, ideò
opùs fuit Chrifto. Rurfus, non tamen fic
infirma noftra obediẽtia legis exiftiman-
da eft, nec opera reijcienda, quafi fuper-
flua & vana & fordida effent ad cõfequen-
Matt. 7. dam falutem: nam Chriftus dicit, Non oĩs
qui dicit mihi, Domine Domine,id eft, ô
Chrifte, ego credo in te: fed dicit etiam,
qui facit voluntatem Patris mei, introibit
in regnum cælorum: & in iudicio extre-
Mat. 25. mo dicet, Venite benedicti Patris mei &c.
efuriui enim, & dediftis mihi cibum: nu-
dus fui,& operuiftis me &c. At inquis,quę
eft ergò voluntas Dei? folùm vt credam in
Chriftum? Hoc quidem maximè exigitur
& ante omnia, fed etiam Decalogus qui
nobis voluntatem Dei oftendit, requiri-
tur. Eft igitur etiam Dei voluntas,poft fi-
dem feruare mandata,iuxta illud: Si vis ad
Mat. 19. vitam ingredi, ferua mandata: vult quo-
què Deus legem à nobis impleri,in quan-
tùm poffumus: ideò non folùm in Bapti-
fmo infundit fidem, fed etiam dilectio-
nem, timorem Dei, fpem & Spiritumfan-
ctum cum fuis fructibus. Non enim in fo-
lo credere, fed quoquè in diligere confi-
ftit ratio falutis, nec Apoftolus abolet le-
gem per fidem, fed ftatuit,id eft,non dicit
fatìs effe fidem, fed etiam charitatem no-
bis commendat plurimis in locis. Nec di-
ci poteft, quòd ibì fint duo merita, fed
femper vnum Chrifti meritum manet &
valet, id eft, paffio Chrifti: illa tollit pec-
catum,donat Spiritumfanctum & falutem
æternam effectiuè: noftra obedientia non
aliquid meretur per fe aut iuftificatiõem,
fed folum hoc vnicum Chrifti meritum
apprehendit,quod Deo placet. Sic diftri-
buere per fua dona,id eft, fidem & dilecti-
onem, fides credit & vnà cum charitate ap
prehendit & retinet, nempe per obedien-
tiam legis: nam fides fola finè dilectione
non retinet. In fumma, neque Lex aut vl-
lum opus bonum fufficit ad falutem finè
Chrifto, neque Chriftus proderit, fi quis
fidem & obedientiam legis contempferit:
nam in iuftificatione etiam propter no-
uam vitam & obedientiam præceptorum,
infunditur Spiritusfanctus, vt adiuuet no-
ftram infirmitatem, Rom.8. vt impleamus
legem, quantùm nobis in hac via per ad-
miniculum Spiritusfancti poffibile eft: nõ
enim tentat nos Deus vltra id quod pof-
fumus, 1. Corinth. 10. nec à nuda natura
exigit obedientiam legis: alioquì Spiri-
tumfanctum nõ daret in Baptifmo,& pro-
mitteret adiutorium, fed quoniã dat Spi-
ritumfanctum, & fic illius adiutorio exi-
git obediẽtiam, ideò es inexcufabilis. Sic
dixit Paulus Phil.4. Omnia poffum in eo,
qui me cõfortat. Et Matth.11. Iugum me-
um fuaue eft. Et 1. Iohan. 5. Præcepta Dei
grauia non funt. Ideò Lex non eft impof-
fibilis iuftificatis, iuuante eos Spiritufan-
cto, licèt ex puris naturalibus non poffet.
Et quoniã nec fic eft perfecta noftra obe-
dientia legis,ideò non noftræ obedientię
tribuimus falutem & remiffiõem, fed vul-
neribus Chrifti: attamen obedientia legis
neceffariò poft fidem exigitur, Rom.3. le-
gem ftatuimus.

DE MERITO ET DISTRIBUTIONE falutis æternæ. Cap. 14.

OPOR-

OPORTET inprimis illa verba, mereri, & nobis distribui, distinguere: nihil distribuitur alijs, nisi prius sit promeritum, habet ergò solus Christus hæc duo, id est, meritum salutis & eius distributionem: nam nullus hominum mereri potest sibi salutem, nec sibi ipsi distribuere: hæc igitur duo solùm ad Christum referuntur. Deindè homo per fidem in Christum gratis apprehendit distributionem iustificationis & salutis, id est, fides nostra non meretur iustificationem, nec ipsa effectiuè iustificat, sed distributionem à Christo solo apprehendit: vt enim solus Christus meruit remissionem & salutem toti mundo, ità & solus causa est efficiens distributionis: nostra fides tantùm medium est, per quod distribuit nobis CHRISTVS, & à nobis apprehendit iustificatio & salus. Differunt ergò, gratis per fidem apprehendere, & mereri salutem. Porrò obedientia legis DEI, dilectione & fructibus Spiritus sancti, Galat. 5. Distributa gratia & iustificatio & promissio salutis retinetur; non merentur iustificationem, nec causa sunt efficiens salutis, sed Christi mors. Ex his liquet, quòd duo sunt ex parte Christi, quæ nos saluant, id est, meritum ipsius & distributio: & ex nostra quoquè parte duo, nempe apprehensio per fidem gratuita, & retentio per dilectionem & obedientiam legis. Deindè notandum quòd Patres quotiès loquutur de operibus nostris, quòd mereantur vitam æternam, remissionem peccatorum, &c. hoc intelligunt pro distributione remissionis peccatorum & salutis, non vt ipsa opera sua virtute & dignitate hoc mereantur: nam hoc esset derogare honori CHRISTI, qui solus meruit hoc, & mortuus est pro peccatis nostris, Roman. 4. & resurrexit propter nostram iustitiam. Gala. 2. Si ex Lege est iustitia, id est, ex operibus nostris, tunc Christus frustrà mortuus est: ergò Patres de distributione loquuntur, & sic intelligi volunt: nullus enim Doctorum ità insipuit, vt diceret opera nostra hoc mereri, quod CHRISTVS meruit solus. 1. Iohannis 2. Ipse solus est propitiatio pro peccatis nostris & totius mundi. Eadem est sententia Patrum: Deus remunerat opera nostra vita æterna, id est, distribuit nobis meritum Christi per fidem: & sic Deus alieno merito, id est, Christi, remunerat opera nostra, hoc est, distribuit vitam æternam. Sic distributio, remuneratio & meritum ex gratia Dei propter christum, vna & eadem res sunt: nõ autem est mereri hoc, quod ex gratia distribuitur: semper ergò hùc oportet dirigere intentionem & fidem, quòd distributionem participamus, cupimus & acquirimus, nimirùm merito Christi, qui solus meruit salutem nostram, non vt hoc mereri velimus ex dignitate operum nostrorum. Pugnant enim illa, velle mereri salutem operibus, & credere quoniam ex misericordia Patris & promissione gratis distribuitur salus: quòd si gratis distribuitur ex promissione, ergò non potest mereri à nobis vel nostris operibus. Vnus est redẽptor, Saluator, propitiator, id est, Christus. De plenitudine illius accipimus gratis quod habemus. 1. Corinth. 4. Quid habes quod non accepisti? si accepisti, id est, alienum beneficiũ gratis ex misericordia, ad quid gloriaris? Porrò ex prædictis liquet errõr eorum, qui putant se mereri salutem & gratiam, & non attendunt distributiõem. Si enim tu vis mereri, quid tunc meruit CHRISTVS sua morte? Vera igitur fides non patitur nobis ascribi meritum salutis & remissionis, quoniam soli Christo propitiatori conuenit: docet autem distributionem & participationem, quatenùs nobis contingant per media, ità vt fides apprehendat salutem, & dilectio retineat: non enim CHRISTVS vult dare honorem suum alteri. Sic Christus promittit distributionem vitæ æternæ Matthęi 19. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Id est, Vos qui me fide & exemplo estis secuti, centuplum accipietis: ego vobis distribuam in hac & in futura vita. Non dicit solùm, Qui reliquistis omnia, vitam æternam meruistis: sed qui me secuti estis fide & exemplo vitæ, omnia relinquendo, ego distribuam vobis vitam, quam merui. Et Iohannis 5. Qui bona fecerunt, etcæt. Sed quomodò quis facit bonum, qui non credit? si autem ex fide facit, iam fides præcedit, & illa apprehendit distributionẽ gratis vitæ æternæ, & dilectio sequens retinet. Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & veni, & sequere me. Id est, si me fide sequeris primò, deindè hanc fidem per dilectionem & obedientiam legis DEI custodieris, distribuam tibi vitam æternam. Id verò ipsa ratio humana intelligere potest, quòd nihil possit distribui, nisi priùs sit acquisitum: & cùm ante natales nostros

stros Christus passus sit, igitur antequàm nasceremur, vita ęterna nobis fuit promerita: & quomodò posset in Baptismo paruulis nupèr natis distribui & promitti, si nondùm esset promeritum ab alio, id est, Christo? Omne ergò studium, exercitium pietatis, fides & opera huc referri debent, vt participes efficiamur ꝓmeritæ salutis, non vt illam mereamur, vt nobis distribuatur ex misericordia propter sanguinem Christi, non vt illam mereamur: Hæc est enim consolatio conscientiæ nostræ, Iohan. 3. vt omnis qui credit in illum &cæt. Actor. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent: nam si tum salui esse velimus, quandò hoc nostris operibus meruissemus, nunquàm essemus salui. Et sæpè quidam indocti abutuntur hoc verbo, Meritum. Postquàm igitur fides nostra & dilectio fuerint ordinata ad suos fines, id est, quòd fides appræhendit, & dilectio & obedientia legis retinet, (hi enim sunt potissimi fines harum virtutum, cæteræ autem ex his fluunt) tunc etiā habent sua ingentia præmia in hac & post hanc vitam: sed hæc præmia non sunt pręmia legis, nec præmia pro fructibus Spiritussancti, quia in pręmijs legis & fructibus Spiritussancti non legitur remissio peccatorū, vita æternā, donatio Spiritussancti, sed Christi Euāgelium hęc promittit gratis credenti in Christum. Ideò hęc dona, quę fides appræhendit, sunt distincta à pręmijs legis & fructuum Spiritussancti. Hęc enim sunt spiritualia, alia corporalia legis. Nam Leuitici 26. Deut. 27. Exod. 20. multa promittūtur pręmia seruantibus legem. Promittit enim posteritati, cuius parentes seruārunt mandata, prosperitatē in mille generationes, longam vitam, & alia præmia. Nusquàm verò legitur in Euāgelio, quòd Christus dixerit, si hoc feceris opus, mereberis vitam æternam, remissionem peccatorum: sed dixit, si hoc feceris, accipies illa ex distributione gratis. Sic Iohan. 10. Ego do ouibus meis vitam æternam, & Iohan. 17. Dedisti Filio tuo potestatem oīs carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam: ipse ergò dat & distribuit promeritam salutem.

DE RETENTIONE IVSTIficationis & periculo amissionis.

Cap. 15.

TRIA hic notare oportet: Primò, quòd initiò gratis iustificamur in Baptismo, id est, accipimus remissionem peccatorum, Spiritumsanctum, gratiam & fauorē Dei Patris, promissionem & hæreditatem salutis per fidem in mediatorem Christum, & hoc ante omnia opera gratis ex misericordia Dei: Deindè, quomodò hanc appræhensam gratiam iustificationis nos custodire & retinere debemus, nè iterùm amittatur, & hic penè maior cura & diligentia à nobis exigitur. Postremò, quòd deteriùs habebunt, qui acceptam gratiam Dei iterùm amiserunt, & perdunt per malam vitam & opera carnalia, quàm illi qui nunquàm illam agnouerunt, id quod nobis meritò terrorem incutere debet in omni vita nostra. Apostolus autem magna diligentia laborat & inculcat hāc doctrinam, vt credamus nos gratis iustificari propter mediatorem Christum, id est, hunc esse causam & originem, quòd peccata nobis remittantur, & salui fiamus, & non propter nostra opera. Sic dicit Roma. 3. Oēs peccauerunt, Iudęi & gentes, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius propter redemptionem Christi Iesu, quē proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Galat. 2. Si enim ex lege est iustitia, Christ⁹ gratis mortuus est. Et iterùm Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari absque operibus legis: ideò hæc particula Gratis, excludit omne meritum operum nostrorum, & totam causam iustificationis transfert in Christum, id est, quòd solus Christus causa est, quòd Pater remittit peccata, & non opera nostra. Deindè ratione illius doctrinæ reddit Apostolus Rom. 4. ideò ex fide, scilicet appręhenditur gratis remissio peccatorū, & salus promissa propter Christum, vt firma sit promissio, id est, certa. Nam si deberemus expectare certitudinem remissionis & salutis nostræ ex nostris operibus, quæ tamē sunt maculata carne, & infirma sunt, nunquàm essemus certi: quia nūquàm sic plenè facimus ea, quæ debemus, vt non esset vltrà accusatio, eò quòd lex semper accusat conscientiam, & semper aliquid adhuc in operibus nostris desideratur, quia non satisfacimus, nec satis operamur sicut deberemus. Ideò oportet nos habere aliud fundamentum certitudinis, vndè certi simus de remissione & salute, & hæc quidem sunt sanguis Christi & meritū Christi, quæ ex omni parte sunt perfecta: ideò propter certitudinem, nè peccator in accusatiōe legis desperet in peccatis, sed certus sit de remissione: ideò propter Christum per fidem gratis iustificamur ante omnia

omnia opera nostra, & in hoc nullum est dubium, & ob hanc causam Iustificatio transfertur in Christum. Non sic detrahitur nostris operibus iustificatio, vt non fiant, immò exigitur pœnitentia, & contritio cordis, confessio, sacramenta, opera, fructus fidei &c. Hæc enim non abijciuntur, sed tamen quia non perfectè pœnitemus, diligimus, operamur, nec ea diligentia & feruore, sicut deberemus, accipimus sacramenta. Summa, in omni opere nostro adhuc aliquid desideratur: ideò nostra opera, dignitatem, sanctitatem, pœnitantiam, dilectionem, non statuimus pro fundamento iustificationis, sed transferimus in Christum. Solùm igitur quæritur hoc, vtrùm propter Christi sanguinem & mortem distribuatur iustificatio, an propter nostra opera: & primum affirmatur, quòd propter Christum fide iustificamur, & nō per opera nostra, licèt etiā necessariò exigantur. Præterea hic modus iustificatiōis, quòd Deo patri sic complacet gratis propter fidem mediatoris remittere peccata, & dare salutem æternam, ideò sic secundùm Apostolum, vt laudetur gloria gratię suę, id est, vt sua misericordia & gratia laudetur, quam nobis exhibet. Hæc laus gratiæ & misericordiæ dei, est cultus diuinus, quem Deus exigit à nobis, & sic vult coli: & ad hoc elegit nos ante constitutionem mundi in Christo ad laudem gratiæ eius: ideò hoc conceditur ab omnibus, quoniam gratis iustificamur, id est, ꝓpter Christum & effusum sanguinem eius accipimus remissionem peccatorum & salutem, & non propter opera nostra. Paruulus quandò baptizaē, quæ opera aut quā iustitiam adfert? quæ vt merita iustificationis? attamē gratis recipit omnia Christi beneficia in Baptismo per fidem solam, quam Deus operatur in puncto: aliàs nihil habet paruulus &c. Deindè appræhensa gratuita iustificatio per fidem mediatoris, vt retineatur & custodiatur, necessarium est habere medium, nè perdatur: medium autē hoc, est obedientia legis Dei. nam Deus non dedit legem vt iustificet, & mereatur salutem: sed vt custodiat & retineat promissionem Dei, salutis & remissiōis peccatorum: ideò Apostolus dicit Rom. 3. per fidem quę appręhendit omnia bona Christi, nos iustificari & saluari ante obedientiam legis: Ergóne abolemus, inquit, legē per fidem? absit, immò legem statuimus. Sed in quem finem statuitur, exigitur & necessaria est lex, si non iustificat, nec meretur remissionem peccatorum? Respon. propter retentionem iustificationis: alioqui qui peccat contra DEVM & præcepta eius, is non retinet gratiam: ideò & CHRISTVS dicit eos beatos esse qui custodiunt verbum DEI, non solùm qui audiunt. In hunc finem omnia encomia legis fiunt, vt simus factores verbi, non tantùm auditores, Iacob. 1. & quòd non solùm auditores legis, sed factores iustificabuntur. Igitur obedientia legis & omnia bona opera, & sacramenta exiguntur, non vt mereantur iustificationem & salutem, quam solus Christus semel meruit, & nobis distribuit per fidem in baptismo & alijs Sacramentis: sed quatenùs retineatur & custodiatur hic acceptus thesaurus: non sunt duo redemptores, Christus & opera mea, sed solus Christus est; ideò non redimimus nos iterùm & secundò per bona nostra opera, sed retinemus acceptam redemptionis gratiam: ideò dicit Apostolus 1. Cor. 4. Habemus thesaurum istum, scilicet iustificatiōis per fidem mediatoris appræhensum in vasis fictilibus, quasi diceret, estote soliciti nè amittatis iterùm. Et hoc etiam voluerunt SS. Patres institutores religionum, & concionatores operum bonorum, non vt per vota religionis & opera sua mererentur iustificationem, sed vt essent media retentionis iustitiæ & remissionis peccatorum, nè iterùm perderetur accepta gratia. Sic Apostoli semper illa duo iunxerunt, iustificationem gratuitam per Christum, deindè firmam retentionem iustitiæ. Sic 1. Cor. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus &c. Ecce iustificatio. Deindè addit, Epulemur non in fermento nequitiæ &c. Sic Hebr. 9. Emundauit conscientiam nostrā ab operibus mortuis, id est, à peccatis: ecce primum. Deindè addit, ad seruiendū Deo viuenti. Sed quarè hoc? nunquid vt mereamur sic iustificationem? absit. iam accepimus eam per fidem. Sed vt retineatur. Sic 1. Pet. 2. Liuore eius sanati sumus. deindè, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus. Sic Zacharias Luc. 1. fecit redemptionem plebis suę benedictus Deus. deinde addit, vt seruiamus illi in iustitia & sanctitate omnibus diebus nostris. Prætereà hæc est altera pars scripturæ, docens quotiès appræhensam iustificationem & remissionē ac promissam salutē retineamus. Hic exiguntur bona opera, & in hunc finē omnia fiunt. ideò inquit Christus Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, quam scilicet ego ꝓmerui

merui,& tibi iam gratis in Baptismo distribui: serua mădata,& retinebis illam. Ioan. 5. Qui bona opera fecerunt post fidem & appræhensam promissionem, ibunt in vitam æternam: s. qui illam fidem & promissionem conseruârunt & retinuerunt. ideò gloria & honor omni operanti bonum, Rom. 2, id est, qui non peccat, sed bona opera facit, hic retinebit gloriam ęternā, quam ego merui sanguine meo. Sunt igitur opera bona diligentissimè consideranda & exigenda, in eum tamen finem, vt sint media retentionis acceptæ iustificationis, non autem merita, vt soli Christo suus maneat honor, & tamē nostra ingratitudo etiam euitetur &c. Non tamē opera nostra sunt inania & absque præmijs. legis enim operibus solùm iustificatio detrahitur, eò quòd ex lege non iustificatur omnis caro, secundùm sententiam Apostoli Galat. 2. at præmia legis corporalia & spiritualia in hac vita & post hanc vitam non denegantur. Promisit enim Deus obseruatoribus legis pręmia in millia, Exod. 20. Leuit. 26. Deuter. 28. & plura alia dona enumerantur, & in Euangelio Matth. 10. Calix aquæ frigidę, ieiuniū, oratio, eleemosyna, Matt. 6. sua habent præmia, sed illa præmia & dona pro operibus legis non sunt iustificatio, remissio peccatorum, vita ęterna &c. Sed alia dona ab his, nempe dona pacificæ vitæ, & conseruatio rerum temporalium, spiritussancti dona spiritualia: nám hæc vnusquisque iuxta gradus laborum recipiet hic & in futura vita, 1. Cor. 3. &c. dedit ergò Deus hoc medium, id est, legem, quatenùs sciamus, quomodò maneamus & retineamus iustificationem, sicut donat fidē ad appræhendendam iustificationem. Insupèr admonet Christus propria voce, nè acceptam iustificationem iterùm perdamus, nè nobis deterius contingat, Ioan. 5. dicens ad illum quem sanauerat iuxta piscinam, Eccè sanus factus es: vade, & noli ampliùs peccare, nè tibi deterius quid cōtingat. Sic Matth. 11. Christus cōminatur væ quibusdam ciuitatibus, quòd non curârunt retinere iustificationē, & affirmat, dicens, melius fore gentilium ciuitatibus Tyro & Sidoni, & Sodomitis remissius fore, scilicet in sustinendis pœnis, eò quòd illi si tanta audiuissent de fide, & miracula Christi vidissent, fortè pœnituissent, & meliùs fidem suam tenuissent. Sic quoquè saluator parabolam dat de Sathana expulso per iustificationem hominis, & cùm domus illa, id est, iustificatus homo, se non benè custodierit, sed viuit in peccatis, tùc redit expulsus sathan, & adducit secum septem nequiores se spiritus, & inhabitat rursus domum illam, & erunt nouissima hominis illius peiora peioribus: ideò non satis est, gloriari sese esse iustificatum, eò quòd credit in Christum, sed videat quomodò etiam retineat & custodiat iustificationem. Adam in paradiso peccans, iustificationem seu iustitiam originalem amisit, & non solùm sibi, sed & omnibus nobis peccati labem contraxit, Gen. 2. Sic Saul 1.Re.15. & 31. rex faciens contra præceptum Dei, amisit iustificationem, & seipsum tandèm interfecit &c. Deus minatur in tertiam & quartam generationem punitionem de amissione iustitiæ & transgressione præceptorum, Exod. 20. Leuit. 26. Deut. 28. Angeli in cælo amittentes per peccatum suam innocentiam, de cælo deiecti, mutati sunt in dæmones, & deterius illis contingit, sed filij Israel vocabantur primò filij Dei, sed postcaquàm peccauerunt in deserto, puniti sunt, & terram sanctam sibi promissam non attigerunt. Hæc & similia, scripta nobis sunt in exemplum, vt & ipsi caueamus, nè acceptam in Baptismo per meritum Christi iustificationem & gratiam, per ingratitudinem peccatorum & neglectum bonorum operum amittamus: Dicitur enim 2. Petr. 2. melius fuisse illis, si non cognouissent viam iustitiæ, quàm post agnitam veritatem retrorsùm cadere ab illo, quod ipsis traditum est sancto mandato. cōtigit enim illis, quod cani qui ad vomitum, & sui quæ ad volutabrum redit &c. & Christus ait, nemo mittens manum ad aratrum, & adspiciens retrò, dignus est regno Dei. quasi diceret, si respexerit & non perseuerauerit in labore pergens & operans, vt retineat id quod accepit, non retinebit fructum aratri, id est, iustificationem & vitam æternam promissam. Non adeò res facilis est, loqui de iustificatione: est enim dulcis consolatio verborum, dicere nobis collatam esse remissionem peccatorum, propter sanguinem Christi, & nos effectum illius posse gratis appręhendere per fidem Sed pauci sunt, præsertim apud sectarios, qui seriò moneant populum, quatenùs retineatur illa remissio, & quàm periculosum sit animabus eam iterùm amittere per peccata. sic mundantur decem leprosi, sed vnus tantùm retinet iustificationem animę. & Christus ait Matt. 20. multos vocatos, paucos verò electos, id est, multos audire verbum Dei & fidem, sed pauci custodiunt

diunt & retinent illud: & bonum semẽ in agro, i. donum fidei & remißiõis, volucres cæli deuorârunt, i. peccata carnalia perdiderunt. Perniciosè igitur, vt ex his liquet, errant illi, qui in ecclesijs concionãtur, solùm primam partem scripturę, i. quomodò iustificemur gratis per sanguinem Christi: id quidem mundanis est auditu iucũdum. Sed non addunt q̃ graue sit periculum animę, & quòd vehementiùs in iudicio extremo punientur illi, qui acceptam iustificationem iterùm amiserunt per nefanda carnis, opera & impœnitentiã, q̃ gentiles, Plato, Cicero, & alij qui veritatem Dei nunq̃ cognouerunt: his em̃ remißius erit in die illo, i. in sustinendis pœnis, ꝓpter incredulitatem &c. Est igit summoperè curandũ, vt non nimis securè viuentes sic carni & mundo indulgeamus, vt salutẽ ac iustificationem iterùm amittamus, & grauiùs olim puniamur quàm gẽtiles: in hunc autẽ finẽ omnia opera nostra, obediẽtia pręceptorũ Dei & Ecclesię, vota, ordines &c. referunt, vt nimirùm caueamus periculũ amißiõis. Sectarij autẽ falsè nobis interpretant õmia. nam id quod docemus nos, scilicet fidẽ & opera solùm exigi & necessaria esse ad apprehendendã salutẽ & distributionẽ, hoc ipsi trahũt ad meritũ, quasi velimus mereri hoc per illa, & sic Christum eleuare. Notãdum verò, licèt Deus non ꝓpter media, i. fidem & opera, iustificet quẽquam: tamen vult remunerare opera nostra pręmijs hic, & in futuro ęterna gloria &c. Sic si fides, q̃ ante omne opus appręhẽdit Christũ, i. ꝓmissiones, sola manserit, i. sinè fructibus & operibus bonis & obediẽtia legis, tunc nõ retinebit efficaciã iustificatiõis. Rom. 8. Si secũdùm carnẽ vixeritis, moriemini: ideò in actu iustificatiõis in secundo gradu dat spiritussanctus, qui in nobis retineat iustificationẽ per dilectionis opera & suos fructus, Gal. 5. Nihil ergò est accepisse iustificationẽ, si non retinet. Qui igit non pœnitet verè, sed adhuc pergit in mala cõsciẽtia, non habens simul fidem & conscientiã bonã, 1. Tim. 1. hic etiãsi credit remisionẽ ꝓmissam ꝓpter Christũ, non tñ pœnitet, nec orat aut cõfitetur &c. non erit in illo efficax promissio & iustificatio.

QVOMODO PER PECCATVM GRATIA, FIDES, ET SPIRITUSSANCTUS AMITTATUR.

Cap. 16.

Sciendum primò, quòd peccatũ manifestũ contra legem Dei, nõ potest simul stare cum gratia & spiritusancto: nã gratia Dei, i. misericordia gratuita amittit: fides non curat nec sperat remißionẽ peccatorũ, & spiritussanctus recedit à tali homine peccatore impœnitente. Dico autem peccatum manifestum, contra Dei legẽ cõmissum ex voluntate & ꝓposito, sicut dicit Apostolus Gal. 5. manifesta sunt opera carnis, fornicatio, luxuria, adulterium &c. qui talia agũt, regnum Dei nõ poßidebũt. Est quoq; aliud genus peccati, quod est agnata fragilitas seu infirmitas, quod aliàs dicitur peccatum originale, ex quo natura nostra ità est aggrauata, quòd difficulter & ægrè admodùm aliquid boni faciamus, & semꝑ procliuiores sumus ad mala: ignoramus ea quę Dei sunt & spiritûs: dubitamus vtrùm velit nos acceptare, an nõ &c. item vt semp aberret cor nostrum à vera via, & carnalia o͂mia sapiat, &c. quę ipsa peccata etsi grauia sunt & nos damnantia, nisi ab ijs liberaremur gratia mediatoris, attamẽ quoniã sancti hoies cõtra huiusmodi peccata pugnãt & certãt, sicut dicit Paulus Rom. 7. nõ hoc quod volo facio &c. ideò merentur veniã. Et hęc peccata non expellũt gratiã, fidem, & spiritum sanctum: nam quotidiè oramus Matt. 6. Dimitte nobis debita. attamẽ peccatum hoc, i. opus quod fit cõtra consciẽtiam, & contra verbũ Dei atq; voluntatem ipsius & ex ꝓposito, sicut qui viuit in immunditie cõtra conscientiã in auaritia, superbia, inuidia erga proximũ &c. Hęc peccata expellũt Dei gratiam, misericordiã, & fidem ac spiritumsanctum. Vndè dicitur 1. Ioan. 3. Qui peccat, scilicet manifestè cõtra legem Dei, ex diabolo est. Primò autẽ gratia Dei sic amittitur. gratia enim, secũdùm Apostolũ Rom. 5. dicitur id esse, quòd nos Deus ex gratia sinè vllo merito recipit in filios suos, remittit peccata, & ꝓmittit salutem propter Christũ: vt dum dicit, Paulus ex gratia impetrauit remißionẽ peccatorum: id tantũ valet, Paulus accepit remißionem gratis sinè omni merito suo propter Christum. Ex quo nunc gratia est remißio peccatorũ pœnitenti, & exhibitio misericordię, ideò qui pergit in peccatis, & viuit in illis sinè pœnitẽtia, hic extra gratiã Dei est, i. extra misericordiã, qua remittit peccata: & hoc est proijci à facie Dei, quod Dauid deprecatur cùm ait: Nè proijcias mẽ à facie tua, & spiritumsanctũ tuum nè aufe- Psal. 50.
ras à me. Peccatum igit proijcit hominem impœnitentẽ à facie Dei, i. deijcit illum de statu gratię & misericordię Dei & remißionis peccatorum, eò quòd talis non cessat

peccare, neq; pœnitentiã agit. Deindè per peccatũ amittit fides viua: nam fides semp & in omni horę momento petit & sperat remissioné peccatorũ: est enim fides certa fiducia consequendę misericordię diuinæ promissę, ꝑpter Christũ. At qui viuũt secũdùm desideriũ carnis, & sponte sua peccãt, eos impossibile est verè desiderare cessationem & remissioné peccatorũ: ob id fides, quæ semp petit & desiderat remissionem peccatorũ, neq; potest esse in ijs hominibꝰ nec manere, qui adhuc desiderãt & affectãt peccare, nec pœnitét vnq̃, nec cessant à peccando. Pugnant eñ hęc duo, petere remissionem peccatorũ, & cum volũtate & voluptate sinè cessatiõe peccare: atq; ideò vera fides, quę petit & sperat remissioné, non potest stare cum peccato. Dico auté de fide vera, & non mortua: nam mortua fides solùm nouit historiã de Christo & Euangelio, & solùm nouit recitare articulos fidei & ꝑcepta Decalogi: sed interìm nihilominùs pgit in peccatis, & violat pręcepta Dei, & nõ curat offensam, nec cessat à luxuria, inuidia, auaritia &c. illa fides non est vera, nec saluifica: nec in tali hoĩe manet gratia Dei, nec fides, nec spiritussanctꝰ: & de ipso & eius similibus dicit Christus Mat. 7. Nõ omĩs qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnũ cęlorũ. & Paulus ad Tit. ait cap. 1. Confitent verbis se nõsse Deũ, i. habere fidé, factis auté (hoc est, operibus suis malis) negãt. Talis fides iam in mundo admodùm cõmunis est, quam nulla sequitur dilectio, nulla obedientia legis: nec erga Deũ, nec erga proximũ suũ, sicut deberet, afficitur, cùm tamen illa fides sola sit vera, quę p dilectionis opera sese ostẽdit, Gal. 5. ergò vbì viuitur in peccato sinè pœnitẽtia & cessatiõe, ibì nõ potest esse vera Christiana fides, q̃ omĩ momẽto petit remissioné peccatorũ. est eñ fides quasi petitio misericordię. Porrò peccatum facit, vt recedat à nobis spiritꝰ vitę, sicut Gen. 6. Deus dixit, Non pmanebit spiritꝰ meus in hoĩe in ęternũ, quoniã caro est, i. vita quam ego homini dabo, nõ erit perpetua propter peccatũ. eruntq; dies illius cẽtũ & viginti anni. Eccè peccati culpa abbreuiãtur dies vitę, i. diminuitur spiritus vitæ, quẽ etiã Deus dat. Sed de spiritusancto dicitur Eph. 4. Nolite cõtristare spiritũsanctũ, in quo signati estis in die redẽptiõis, i. Baptismi: at quomodò contristat spiritussanctus, docet idé: nẽpe amaritudine, ira, indignatiõe, blasphemia, malitia, mẽdacio, furto, &c. igit hęc tollantur, alioquì spiritussanctꝰ recedit à vobis. Si auté fueritis inuicèm benigni, misericordes, cõdonantes peccata &c. tunc retinebitis spiritumsanctũ. Peccata igitur excludũt spiritumsanctũ, & nõ possunt gloriari mũdani hoĩes de iustificatiõe, euãgelio, gratia, fide, spiritusãcto, & Christi merito &c. q nõ finé faciũt peccãdi. Vt eñ lux & tenebrę, calor & frigꝰ sese nõ cõpatiunt, ità nec gratia Dei, fides & spiritussanctus cũ peccatis: spiritussanctus iuuat retinere gratiã & misericordiã. 1. Thess. 5. Spiritũ nolite extinguere. Ex quo sequit primò, quòd fides vera & inuidia, non possunt stare simul in corde hoĩs: vndè colligit, hãc fidé, q̃ est extra ecclesiã seu vnitaté catholicã, nõ esse veram fidé iustificanté, nec saluanté: & ideò omẽs sectarij existẽtes extra vnitaté ecclesię, nõ habẽt verã fidé: nã nisi charitas fidé sequat, sicut floré fructꝰ sequit, nõ erit efficax, Gal. 5. inuidia auté, discordia & odiũ sequens fidé, apud sectarios facit fidé mortuã & inefficacé. At inqs: credo in Christũ, q sanguiné suũ ꝑ me redimẽdo & saluãdo effudit, id sufficit mihi ad saluté consequẽdã. Respon. quòd si nõ esset præcepta charitas seu dilectio à Christo, tũc quidé vera diceres: sed qa dicit Christꝰ Ioã. 15. Hoc est pręceptũ meũ, vt diligatis inuicé. & 1. Ioã. 4. si quis dicit, diligo Deũ, & fratrem suum odit, mendax est &c. Pauci igit hodiè ponderant, quomodò inter se pugnẽt, credere & semp in peccatis volutari: licèt eñ gratia Dei ꝑpter Christũ sit exhibitio misericordię, tamé hęc non exhibet, nisi de peccatis suis pœnitẽtibus. sic fides est petitio misericordię: sed homo pergẽs volũtariè in peccato, eã nõ impetrat. Sic spiritussanctꝰ nos retinet in gratia Dei & fide: sed per peccata nostra expellitur & contristat spiritussanctus: atq; sic in hoĩe fœdè & iugiter peccãte, nec gratia Dei, nec fides, nec spiritussanctus retinet &c. ideò dicit Ioannes: In hoc 1. Ioh. 3.
cognoscimus filios Dei & filios Diaboli: nã qui iniqua operatur, nõ est ex Deo: & qui non diligit fratré suũ, &c. Sic Apostolꝰ dicit Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si auté spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. i. vos q accepistis gratiam, fidem, & spiritumsanctũ gratuito in baptismo, si opera carnis feceritis, qualia sunt fornicatio, luxuria, auaritia, inuidia, sectę, &c. moriemini, i. gratia Dei, fides & spiritussanctꝰ recedet. Sin auté spiritu, scilicet sancto, carnis opa mortificaueritis, viuetis: i. retinebitis gratiã Dei, fidem, & spiritumsanctũ, & hæc quidé loquit Apostolus ad iustificatos, i. Christianos hoĩes, qui

ſemel,ſicut nos,beneficia Chriſti acceperũt,quos ſedulò admonet, vt retineant iſtam gratiam,& nè peccando eam iterùm amittant.Sic ipſe Chriſtus loquitur de talibus peccatoribus Matth. 10. Qui me negauerit coram hominibus,illum & ego negabo corã patre meo cæleſti. Sic Matt. 25. dicit,Ite maledicti in ignem æternum &c. eſuriui enim,& non dediſtis mihi manducare : nudus fui,& non operuiſtis me &c. Sic Luc.8.de ſuffocato ſemine, & eo quod fructum protulit &c. & Matt.12.Luc.11.de ſpiritu malo redeunte in domum ſuam repurgatam cum ſeptem nequioribus ſpiritibus.Sic Paulus 2.Corinth.6. ait:Hortor vos fratres, nè in vacuũ gratiã Dei recipiatis.& 1.Cor.15.niſi fruſtrà crediditis &c. Cauẽdum eſt igitur omnibus Chriſtianis, nè peccãdo iterùm amittant gratiã Dei, fidem,& ſpiritumſanctũ,& nè fruſtrà crediſſe dicamur.Porrò amiſſa in tali caſu gratia,poteſt iterùm recuperari in pręſenti vita,nempè ſi cõuerſi fuerimus, & ad pœnitentiã rediẽrimus.Cùm enĩ quęreret Petr⁹ à Chriſto quotiès eſſet remittẽdum fratri, an ſeptiès Matt.18.reſpondit Chriſtus:Nõ dico tibi,vſq; ſeptiès, ſed vſq; ſeptuagiès ſeptiès &c.ideò peſſimus error fuit Nouatianorũ,qui docuerũt, tantùm ſemel fore remiſſionẽ peccatorũ, idq; ex authoritate Apoſtoli Hebr.6. Impoſſibile eſt,eos qui ſemel illuminati ſunt &c.nam hoc intelligitur de illis,qui non ampliùs curãt aut retinent doctrinã Euangelij,quam priùs acceperũt, ſed illã repudiãt, nec initia baptiſmi & pœnitẽtię doctrinã retinẽt,i.qui nolunt per pœnitẽtiam redire. Sic etiã intelligit̃ illud ad Heb.10.de volũtariè peccãtibus poſt acceptã notitiã veritatis Chriſti &c.nempè poſtq̃ beneficiũ Chriſti cõſecuti ſumus,ſi id non retinemus,tum neceſſariò alterum accidet, ſ. vt demus pœnas in futuro iudicio:non autẽ negant ſcripturæ huiuſmodi,quòd lapſi non poſſint redire ad beneficiũ Chriſti. Solum autẽ peccatũ in ſpiritumſanctũ, quod ipſum eſt finalis illa impœnitẽtia & deſperatio,deindè perſecutio Euangelij & agnitę veritatis, non ſunt remiſſibilia,eô quòd propriè pugnãt cum gratia Dei,ſecundùm Auguſtinũ.Alia verò peccata cùm ad gratiã cõfugimus,remittũtur.Sic credim⁹ remiſſionẽ peccatorũ in ſymbolo, id eſt, eam durare & nobis dari om̃i hora & momẽto vſq; ad nouiſſimum diẽ.Ideò docetur Euangeliũ Chriſti, propter hũc articulũ abſoluit̃ homo à peccatis.Et in hunc finẽ iterùm cõmunicamus Euchariſtiã,vt tũc iterùm intremus in cõmunionem bonorũ Chriſti & Eccleſię,ex qua excidimus p̃ peccata noſtra.1.Cor.10. Panis quẽ frãgimus, nonnè eſt cõmunicatio corporis Chriſti &c.ideò hęc eſt maxima gratia & cõſolatio cõſciẽtię,quoniã eſt remiſſio peccatorũ ꝓpter Chriſtũ, quam fides vera cum pœnitẽtia certò apprehendit.Tria verò ſunt,quę nos impediunt, vt nè cogitemus aut curem⁹ de amiſſiõe gratię,fidei & ſpirituſſancti: Primò,ratio humana non intelligit grauitatẽ peccati corã Deo,& quatenùs Deus iraſcatur peccatoi deindè nõ intelligit,ſathanã ex corde noſtro tollere & velare verbũ Dei, ꝙ ipſum minatur perpetuã damnationẽ peccatoribus,fornicarijs,auaris,inuidis &c.vt nè ſalui fiam⁹.tertiò caro & voluptas cõcupiſcẽtis aduersùs ſpiritũ pręualẽt in ratiõe humana,& ad deſideria carnis impellunt &c. Sũmoperè autẽ cauere debemus amiſſionem gratię diuinę, fidei & ſpirituſſancti. q̃d enĩ ſalui remanet in hoĩe his amiſſis?certè fit ſeru⁹ peccati & diaboli captiu⁹,à quibus impellitur ad om̃ia crimina & damnationẽ,iuxta illud 1.Cor.12. cùm gẽtes eſſetis,ad ſimulacra ducebamini &c.igit̃ credam⁹ ſcripturę & verbo Dei,quod dicit & minat̃,ꝙ q̃ talia faciũt,regnũ Dei nõ poſſidebũt,1.Cor.6.Gal.5.Ephe.5.E diuerſo autẽ cõſolari nos debet, ꝙ Deus tam pius eſt,& quòd nos hîc expectat ad pœnitentiã donec vixerim⁹,Ro.2.& quòd parat⁹ eſt recipere in gratiã filiũ prodigũ, Luc.15. ſi modò rediẽrim⁹ & dixerim⁹:Pater,peccaui in cęlũ & corã te &c. Amittere verò gratiã patris,eſt amittere miſericordiã Dei & fauorẽ ei⁹,ſicut Lucifer Eſa.14. Amittere autẽ fidẽ,eſt amittere beneficiũ Chriſti, meritũ paſſiõis ei⁹,quod impetrat & efficit ſalutẽ: nam fides cõmunicat & ꝓpria facit Chriſti beneficia. Amittere ſpiritũſanctũ,eſt fruct⁹ illi⁹ extinguere in nobis, nẽpè dilectionẽ, timorẽ Dei,miſericordiã, patiẽtiã,&c.Gal. 5.Eph.4.Nolite cõtriſtare ſpiritumſanctũ, & 1.Theſ.5. Nolite extinguere ſpiritũ. Eſt quoquè adiutoriũ ſpirituſſancti amittere contra ſathanã & peccatũ.Sic Saul odio in Dauid amiſit ſpiritumſanctũ, & inſilijt in eũ ſpritus Domini malus.Ideò Dauid orat, nè hęc tria amitteret. Pſal.50.Miſerere mei Deus ſecũdùm magnã miſericordiã tuã,& ſpiritumſanctũ tuũ nè auferas à me. Horũ itaq; triũ amiſſio nos maximè mouere debẽt,nè peccemus:ſed potiùs admonere, vt bona opera faciam⁹. Potiſſimus ergò finis eſt bona opera faciendi,nè amittamus gra-

tiã Dei patris, dona filij ac meritum ipsius, & adiutorium spiritussancti, &c.

QVOD OPERA NOSTRA REMVNERANTVR PRAEMIIS ET gloria ęterna, licèt illa nõ mereantur. Cap. 17.

PRimò scire oportet, esse discrimen inter mereri vitam æternam operibus bonis & obseruantia pceptorũ Dei, & q Deus remunerat illa ex mĩa cũ gloria ęterna & pmijs hîc & in futuro. Nullũ est op⁹ quod sit meritoriũ vitę ęternę & remissiõis peccatorũ, pter solũ & vnicũ op⁹ Christi, i. mors ipsi⁹ & effusio sanguinis sui preciosi. Matth. 1. ipse saluũ faciet populũ suũ à peccatis eorũ. Ioã. 3. Sic Deus dilexit mundũ, vt filiũ suũ vnigenitũ daret: ipse oblatus est p peccatis nostris, i. dedit se primũ Deo, i. vitã suã & sanguinẽ dedit p peccato & liberatiõe nostri omniũ, vt nũc ppter ipsum iustificaremur, i. remissionẽ peccatorũ acciperem⁹. 1. Ioan. 2. Ipse est ppitiatio p peccatis totius mũdi &c. Ergò solũ vnicũ est op⁹ & mediũ, quod meruit salutẽ olbus & singulis &c. Deindè virtutẽ hui⁹ sanguinis Christi iam ex parte accepim⁹, maiorẽ autẽ portionem speram⁹, & spe possidem⁹, i. remissionẽ peccatorũ & donationẽ spiritussancti iam in baptismo appræhẽdimus. fides enĩ credens Christi mortẽ, appræhendit remissionẽ & spiritumsanctũ. Ideò iam sæpiùs legimus, quomodò Christus remisit peccatoribus peccata, Luc. 7. dimissa sunt ei peccata. Mat. 9. Remittũtur tibi peccata tua. item Christus dedit claues absoluendi & remittendi peccata, quotiès opùs fuerit, Matt. 18. Ioã. 20. ideò iam hãc habem⁹ remissionẽ q̃ distribuit hîc in terris, & hoc gratìs propter Christũ: nã quanq̃ mediũ pœnitẽtię exigit, tamen nõ fit remissio ppter illã pœnitentiam, sed potiùs propter Christũ. Alteram quoquè partẽ passionis Christi iã quoquè accepimus, nempè spiritumsanctũ, qui dat⁹ est Apostolis die Pentecostes, Actor. 2. & quotidiè in Baptismo infundit baptizatis, ad Tit. 3. hic quoquè spiritussanctus cum suis fructibus Gal. 5. operatur in nobis, & renouat vitam nostrã, & facta carnis mortificat. Rom 8. & facit nos ingemiscere sup peccatis, pœnitere, orare, diligere & benefacere proximo nostro, patiẽtiam, misericordiam, castitatem habere &c. eò quòd nostra natura oppressa peccato, ex se illa habere non potest. Hic idem nos cõfortat in fide, & testimoniũ perhibet spiritui nostro, quoniam filij Dei sumus per fidẽ. hic quoquè adiuuat nostram infirmitatem, vt seruem⁹ pręcepta Dei, & non iterùm amittamus remissionẽ ex sanguine Christi apphẽsam p fidẽ. Ideò Deus in eodẽ momẽto, quo in baptismo virtutẽ sanguinis Christi distribuit nobis Deus, & peccata remittit, & hominẽ acceptat vt iustũ & sanum, & ei pmittit salutẽ, & donat spiritumsanctũ in custodem & tutorem apphensę remissiõis peccatorũ, & pmissę futuræ beatitudinis, sicut dicit Apostolus ad Tit. 3. vt iustificati gratìs, p gratiã ipsius spẽ habeam⁹ futuræ hæreditatis: vt s. hęc oĩa retineam⁹, & nõ amittam⁹ iterùm, sicut Adã in paradiso originalẽ iustitiã pdidit, Gẽ. 3. ità nos Christi iustitiã nõ amittere debem⁹: ideò op⁹ habem⁹ vtroq;, nẽpè spiritusancto, & obediẽtia legis & pręceptorũ Dei: alioquì nõ retinem⁹ apphensam gratuitã remissionẽ Has duas partes, i. remissionẽ peccatorũ & spiritumsanctũ iam accepim⁹ in hac vita & habem⁹ iat restat adhuc 3. pars, & ea quidem potissima, q̃ ex vulnerib⁹ Christi nobis est impetrata, i. gloria ęterna, & illã nondùm habemus in re, sed in spe, & illã nũc in ænigmate videm⁹ & speculo, sed tũc facie ad faciẽ, 1. Co. 13. & 1. Ioã. 3. Nõdũ apparuit quid erim⁹ &c. & Mat. 13. fulgebũt iusti sicut sol. hęc quidẽ salus adhuc restat in re distribuenda ppter sanguinẽ effusum Christi. Vt igit illã iuxta diuinã pmissionem apphendam⁹ in re, & nõ ingratos nos exhibeam⁹, & iterùm amittam⁹ hãc pmeritã p Christũ semèl gloriã ęternã, donat Deus spiritumsanctũ, q p media pceptorũ nos cõseruet, nè frustremur hac spe salutis, q̃ pmissa est ppter Christũ: retinem⁹ autẽ hanc promissionẽ & in actu & effectu apphendemus, si nõ secũdùm carnẽ vixerim⁹, Ro. 8. ideò pmisit De⁹ velle opa mandatorũ Dei recõpẽsare pmijs in hac & post hãc vitã, idq; nõ ppter ppriã dignitatẽ nostrã, sed ex gratia & mĩa ppter Christũ. Nõ dico mereri opa nostra, sed Deũ velle remunerare: mereri enĩ & remunerari, diuersa sunt: remuneratio nõ ab operibus, sed ex misericordia & gratia, & ob aliã causam, quàm q̃ ex operibus venit: at meritũ ab operibus pẽdet, attamẽ si nõ fierẽt opera, nec illa remuneratio sequeret. Et in hũc finẽ locuti sunt Patres de acquirẽda gloria æterna p opa bona, nõ vt hãc efficaciã tribuerẽt dignitati ac virtuti operũ, sed remuneratiõi, quę pmissa est ppter Christũ, & nõ ob ipsa opera, attamẽ sunt necessaria opera: alioquì nõ remunerant gloria ęterna: illi⁹ ergò remuneratiõis causa est sanguis Christi, qui hoc meruit

meruit, & ità totum meritum solùm ibi manet apud sanguinem Christi, solùm distributio ex gratia fit illis, qui legitimis vtuntur medijs, nempe fide & obedientia præceptorum. Sed hoc insupèr notandum est inprimis, quòd illum ordinem quem DEVS semel ordinauit, non destruet, id est, quòd per fidem & pœnitétiam vult remittere peccata, idq; non per solam fiduciá sinè pœnitétia. Doceant ergò sectarij dulcibus sermonibus se sola fide in Christum sinè his medijs salutem æternam posse appræhendere: sed somnia sunt, & seductiones populorum. Est igitur vita æterna donum & merces: donum, quia propter Christum donatur, vt Rom. 6. Gratia vel donú Dei, vita æterna in Christo, id est, propter Christum: Merces quoq; esse dicitur, quia cum vita æterna omnes labores nostri recompensantur: sicut hęreditas est donum paternum erga filium, & est recompensatio laboris & obediétiæ filialis, quam prę stitit parentibus: hęreditas distribuitur filio obedienti, attamé propter aliá causam, quoniam est filius: Nemo verò debet in seipso confidere, aut de suis operibus gloriarì: sed solùm in Domino glorietur, qui vult sua dona nostra esse merita: alieno inquam merito, id est, Christi, non priuatim suo.

DE IVSTITIA INFVSA IN BAPTISMO, ET CHRISTI IVSTITIA. Cap. 18.

Manifestum est, Deum primò creâsse hominem in originali iustitia, id est, ad imaginem & similitudinem suam, Gen. 1. nempè sicut Deus est sinè peccato, ità & hominem condidit sanctum, iustum, veracem, amicum Dei, vegetum sinè omni morbo: at homo peccás, perdidit illam originalem iustitiam, sanctitaté, sanitatem & amicitiam Dei, & incurrit perpetuá iram Dei, æternam mortem & damnationem, & seruus est factus sathanę: atq; sic natura hominis est corrupta & debilitatá, vt non possimus ex nobis cogitare aliquid boni tanquàm ex nobis, 2. Cor. 3. Anima est spoliata timore Dei & agnitione, ac dilectione proximi: & accessit concupiscentia, carnalitas, & corpori variorum morború calamitas, & hęc omia propter peccatum. Videns autem Deus creaturam nobilem hominis, quem creauerat & finxerat, quòd suis ipsemet viribus & natura non posset se iterùm erigere ex tali miserando & calamitoso casu, nec se liberare à peccato & damnatióe, ac seruitute perpetua sathanę, misertus est nostrî ante omnem fidem & opera nostra, & primùm puniuit serpentem, quia decepit hominem: & adiecit, quòd semen mulieris Euę, id est, Christus Galat. 3. deberet illi contererę caput Gen. 3. id est, omnem potestatem eius eripere, & liberare ac redimere posteros, qui in eum credituri essent. Atq; sic Deus pater initium est cum sua misericordia nostrę salutis, sicut Christus dicit Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum &c. Initium autem salutis non est in nobis, 1. Ioan. 4. non quasi nos dilexerimus Deum, sed ipse dilexit nos &c. Sic dicit Augustin' libr. de prędestinat. cap. 2. Deus dum vult nos iustificare, præuenit nos, & omnibus tam interioribus quàm exterioribus operibus nostris, & condonat peccata, & iustificat ex mera gratia. Ephe. 1. Elegit nos in Christo ante constitutionem mundi &c. Antequàm igitur nos crederemus & credere possemus, Deus cóstituit apud se nos liberare, & prę uenit nos: sic sumus apud Deum iusti imputatione antequàm credidimus. At illa iustitia dum est adhuc in sola imputatione, potiùs est in Deo, quàm in nobis: & sic initium nostrę salutis in Deo est, & nó in nobis. Vt ergò hęc iustitia etiá in nobis habeat efficaciam, misit filium suum, & eum dedit in victimam pro peccatis totius mundi, Esai. 53. & fecit Euangelium offerre vniuerso mundo, vt quicunq; credituri essent in filium, non pereant, sed habeant vitam æternam & remissionem peccatorum. Secundò, qui audierit Euangelium, & cupit hanc misericordiam propter Christum, huic Deus primò remittit peccatum originis & alia propter Christum filium suum: deindè infundit iustitiam, id est, Spiritum sanctum cum operibus suis, Gal. 5. nempè fide, dilectione, timore Dei &c. hos motus quia serpés abstulit, Gen. 3. iam iterùm spiritussanctus operatur in homine illos fructus: & sic dum homo iustificatur, id est, iterùm ad gratiam recipitur, tunc illa duo homini accedunt, remissio peccatorum gratuita propter Christum: deindè donatio spiritussancti, id est, infusio illius iustitiæ, vt homo non solùm imputatiuè, sed etiam verè & realiter iustus efficeretur. sic dicitur Ephe. 1. elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati in cóspectu eius in charitate &c. Nó dicit, vt solùm reputaremur tales. Donat igitur Spiritussanctus,

vt in nobis efficiat fidem, dilectionem, ti-
morem, &c. & hi fructus spiritussancti di-
cuntur iustitia infusa. hos enim fructus
operať in nobis spiritus, Rom. 5. Charitas
Dei diffusa est in cordibus nostris per spi-
ritumsanctum, qui habitat in nobis: nam
credere, esse iustum, diligere Deũ, timere,
seruare pręcepta, est illa iustitia, quam spi-
ritussanctus in nobis operatur. Nostra em̃
corrupta natura nunquàm ex sese posset
efficere hos mot⁹, nempè fidẽ, dilectionẽ,
timorẽ, &c. ideò datur spiritussanct⁹, q sic
operetur, & hos suos fructus efficiať, quod
nos non possumus à nobis sinè ipsius adiu-
torio. Rom. 8. ipse spiritussanctus adiuuat
nostram infirmitatẽ. alioqui nemo posset
credere suapte natura, vel diligere, timere
seruare pręcepta, nisi ipse spiritus donaret
hoc & operaretur in nobis. Sed quoniam
Deus exigit à nobis fidem, dilectionem, ti-
morem, & obedientiam pręceptorum, &
non vult vt homo in sola vana fiducia per-
gať, ideò donat in eodem momento, quo
peccatum remittit, spiritumsanctũ, vt eius
adiutorio homo Dei pręceptis obediat:
nõ exigit Deus à corrupta & infirma natu-
ra nostra obediẽtiam pręceptorum, quam
seruare est illi impossibile, sed in quantùm
hoc poterit adiutorio spiritussancti, qui ei
in coadiutorem datus est: habet igitur qui-
libet Christianus assistentiam spiritussan-
cti: sed quatenùs illum non expulerit per
peccata: recedit enim & aufertur propter
impœnitentiam & multitudinem peccato-
rum, sicut Gen. 6. dicitur: Non permanebit
spiritus meus in homine, quoniam caro est,
i. nil nisi carnalia opera tractat atq; ideò
admonet nos Apostolus, vt non contriste-
mus spiritumsanctum. Non ergò à nuda
Ephe. 4. nostra natura exigitur obedientia legis,
sed Deus exigit lucrum pro concesso no-
bis talento, id est, pro donatione spiritus-
sancti: nouit enim Deus nostram infirmi-
tatem, nec vltrà tentat quàm ferre possu-
1. Cor. 10. mus: ideò donat gratiam spiritussancti, vt
hic per nos legem pręstet. Dicitur ergò iu-
stitia infusa nobis spiritussanctus, & tota
operatio fructuũ & virtutum suarũ: aliqui
appellant hanc inchoatam iustitiam, eò q
Deus initiò illam infundit dum iustificat:
aliqui iustitiam passiuam, quia solùm nos
patimur hanc infusionem gratuitam, sicut
terra pluuiam: aliqui iustitiam inhęrẽtem,
quia in animam infunditur, & quasi catena
conglutinatur, i. vbì vera fides, ibì & dile-
ctio: vbì dilectio, ibì & timor: vbì timor,
ibì & cessatio à peccatis: hanc sequitur pax
& gaudium in cõsciẽntia, & patiẽntia, man-
suetudo, castitas, &c. hæc omnia à se inui-
cẽm pendent, & nobis infundũtur. natura
em̃ nostra alioquì nuda est & his spoliata
per peccatũ Adę, & nihil ipsi ex nobis pos-
sumus. Verùm hæc iustitia infusa non est
Christi iustitia, quã sanguine suo & adim-
pletione legis perfecta pro nobis acquisi-
uit, sed alia ab illa & plurimùm diuersa: nã
licèt infusa iustitia cõtingat propter Chri-
sti sanguinem nobis in ipsum credẽtibus,
attamen non est Christi iustitia, neque illã
ęqualis, aut eiusdem efficacię: nam infusa
dicitur nostra. Matth. 5. Nisi iustitia vestra
abundauerit &c. & ad Titum 2. vt sobriè,
piè & iustè viuamus. & Luc. 1. In sanctitate
& iustitia coram ipso seruiamus omnibus
diebus nostris. & 1. Ioan. 3. Qui facit iusti-
tiam, hic iustus est &c. cum illa ergò iusti-
tia negociari debemus: nec em̃ gratis vult
eam contulisse Deus, sicut nec alia talenta
Matt. 25. nam dedit spiritumsanctũ coad-
iutorem, vt pręcepta, ad seruandum grauia
& impossibilia non sint. Phil. 4. Om̃ia pos-
sum in eo qui me confortat. Matt. 11. Onus
meum leue est, & 1. Ioan. 5. & mandata eius
grauia non sunt. Deus igitur rationem à te
exacturus est de cõcesso tibi talento, & de
spiritussancti cõtristatione & fugatiõe per
peccata, nec vltrà te ad aliquid obligat, nisi
ad id quod possumus gratia ipsius, i. adiu-
torio spiritussancti & confortationẽ: & sic
multi SS. Patres legũtur in scripturis iustĩ
fuisse, scilicet hac iustitia infusa, qua obe-
diẽrunt spiritui sancto, & piè ac in timore
Domini vixerũt. Pręterea, licèt hęc nostra
iustitia infusa sit melior, propter fidem in
Christum & dilectionem &c. quam erat
Pharisæorum Matt. 5. nunquàm tamen est
perfecta in hac vita, quia fit in corrupta
natura & immunditia interna mentis: nam
gratia & spiritussanctus nõ tollit omninò
hos motus & affectiones carnales, concu-
piscentiã cordis, odiũ aut neglectum Dei,
amorem ad mundum & voluptatem rerũ,
difficultatẽ ad bonũ &c. quę in corde no-
stro ꝑpetuò hęrẽt, licèt gratia vel spiritus-
sanctus faciat, vt de die in diẽ mortificen-
tur illi motus seu affectiões, & vt non im-
putẽtur ꝓ peccatis, ꝓpter Christũ, nõ tamẽ
penitùs tollit spiritus huiusmodĩ infirmæ
naturę motus, sicut nec spiritussancti gratia
potest auferre mortem naturalem, & alios
morbos: ideò fit, vt p illã infusam nobis iu-
stitiã nõ possimus mereri vitã ęternã, aut
remissionẽ peccatorũ, aut seruare pfectè le-
gẽ Dei, ꝓpter illã imperfectionẽ & immũ-
ditiem

ditiē inhęrentem naturę nostrę: ideò orat ꝓpheta Psal.142. Nō intres in iudiciū cum seruo tuo Dn̄e, quia non iustificabitē in cōspectu tuo om̄is viuēs. Est ergò insufficiēs & imperfecta hæc nostra infusa iustitia, quātumcūquè eā exercuerimus: atq; ob id non tribuitē illi iustificatio. Propterea cōscientia nō potest quietari de certitudine salutis per illam. semper eñ timet, quia minùs feruenter credidit, minùs dilexit Deū & ꝓximū, minùs satisfecit legi, minùs pœnituit, &c. Alia ergò nūc exigitur iustitia, quæ imperfectionē iustitiæ infusæ perficit & supplet, & conscientiā certificat de remissione peccatorum & salute. Illa autem iustitia dicitur Christi, quam suo sanguine in cruce meruit toti mundo. Nam ibì pater posuit in illum omnia peccata nostra, Esa.53. & 1.Pet.2. ille mortuus est pro peccatis nostris, id est, factus est victima, & resurrexit propter nostram iustificationem, id est, remissionem peccatorum. Sic nunc om̄ibus offertur per Euangeliū hæc Christi iustitia, vt sic in illa inueniamus firmissimam spem salutis, & certò nobis cōstet, Roman. 4. ideò ex fide, vt promissio sit certa: nam illam spem & certitudinem in nostris operibus ac infusa iustitia reperire non possumus. ideò oportet illā haurire ex vulneribus Christi, vtq; ità præter spem meriti nostri in spe cōseruemur, i. in virtute sanguinis & vulneris Christi. Hāc fiduciam & certitudinem salutis fides credit, & spes sperat cōsequi propter Christū illius sanguinem: hac confidentia viuit homo & moritur: illam solam amplectitur tanq̄ certū pignus salutis, sicuti Paulus dicit ad Philip.3. Non habens meā iustitiam quæ ex lege est, sed quæ est ex Euangelio Iesu Christi. reputat verò alteram vt stercora, & illam Christi iustitiam præfert: ità sola Christi mors & sanguis, perfecta est victima, perfectam reperit redemptionē, Hebr.9. ideò soli illi tribuitur virtus & efficacia remissionis peccatorum & salutis: ipse enim solus vocatur Iesus, quia saluat populum, & non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat saluari nos. Act.4. Iustitiæ Chr̄i tribuitur tota virtus iustificationis & salutis nostrę. Porrò inquias, si sola virtus iustitiæ Christi totum facit, ad qd opùs est Spiritusancto, aut iustitia nobis infusa? an fortassè frustrà sunt hæc infusa homini? Respon. absit. Sunt enim plures causæ, quæ necessariò exigant hanc nostrā iustitiam infusam & Spiritūsanctum. Prima, vt possimus hanc Christi iustitiam apprehendere vera fide & cordis pœnitētia: at credere & pœnitere, sunt actus & opera Spiritussancti, quæ oportet in nobis excitare & operari: alioquì nemo credit vel pœnitet. Rom.8. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, i. facit nos ingemiscere. Secūda causa est propter retentionem. nam apprehensa Christi iustitia nō retinetur, nisi per obedientiā legis ne: at nemo obedit, nisi Spiritussanctus effecerit & dederit. ipse enim adiuuat infirmitatem nostram, Rom. 8. & dat cor liberum & voluntarium. ideò si Spiritussanctus non retinuerit hominem in iustificatione per suos fructus, Galat. 5. statim amittitē, sicut dicit Apostolus: Si secūdùm carnem vixeritis, moriemini: Si aūt Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. At quid proderit apprehēdisse Christi iustitiam, si nō retinetur? quid Adamo sua originalis iustitia in qua fuit creatus? quid Iudæ apostolatus? quid toti Asiæ prædicatio Pauli? quid Græciæ & alijs gētibus annūciatio Euangelij? Tertia causa est, vt Deus abundantiùs super nos effundat suam bonitatem, & vltra Christi iustitiam & meritū, quod nobis gratis imputatur, & ꝓpter illud remittit peccata, & dat salutē: etiam opera nostra & dona sua vult in nobis coronare ingētibus ꝓmijs, & tandèm gloria æterna, sicut dicit Saluator Matth.7. Non om̄is qui dicit mihi, Dn̄e Dn̄e &c sed qui fecerit voluntatē Patris mei &c. & Apostolus ait, an per fidē destruimus legē? absit, immò statuimus: nō ergò nostra iustitia cōtrariatur Christi iustitiæ: nostra apꝓhendit & retinet, Christi aūt iustitia virtutē & efficaciā salutis præstat, & 1.Cor.3. vnusquisq; mercedē accipiet secūdùm laborē suum, &c. Ex quibus om̄ibus liquet, quātopere & ad qd sit necessaria nobis infusa iustitia, i. Spiritussanctus cū fructibus suis, ad apꝓhensionem scilicet & retētionem: donatio eñ Spiritussancti semp manet gratuita: attamē si nō fuerint hæc media, tunc etiam non appræhenditur Christi iustitia nec retinetur: nam indignis, id est, infidelibus & ingratis & legem non curantibus, non distribuitur promerita salus per Christum. Plurimùm ergò aberrant, qui sic nostram infusam iustitiam seu inhærentem extenuant, quasi sordeat: & sunt illi quidem osores Spiritussancti & operum & fructuum suorum, cùm ipse solus in nobis excitet & operetur fidem & omne opus bonum, quorū nullū à nobis possumus. Esai.26. Om̄ia

Rom.8.

Rom.3.

opera nostra operatus es in nobis Domine. Errant quoquè illi, qui somniãt, quasi Deus exigat solam fidem in filium, & nullum opus. Ad quid ergò sunt fructus, inquiunt, Spiritussancti? Ità quoquè aberrant plurimùm, qui fidutiam salutis locãt in nostra iustitia infusa, cùm tamen sit imperfecta propter internã immunditiam: tametsi illa à Spiritusancto proficiscatur, spes salutis est in vulneribus Iesu Christi, &c. Rursus inquiunt: Si nostra infusa iustitia, id est, Spiritussanctus, etiã exigitur, ergò Christus non solus est Saluator, cùm ex duabus illis iustitijs, nempè nostra & Christi, nobis salus contingat, & nõ ex sola Christi iustitia &c. Respon. primò, Si nostra iustitia esset perfecta, & perfectè adimpleremus legem Dei, & perfectè pręstaremus opera & fructus Spiritussancti, tunc non indigeremus alterius iustitia, id est, Christi: at quia fatemur imperfectionem nostram, & internam immunditiam naturæ nostrę inhęrentem, ideò non locamus salutis fidutiã in nostra iustitia: sed cùm omĩa fecerimus, dicimus nos esse seruos inutiles, &c. Luc. 17. Deindè, quoniam Christus semel est mortuus pro peccatis totius mundi, Rom. 6. & semel introiuit in sancta, & reperit æternã redemptionem, & solus est propitiatio pro peccatis nostris & totius mũdi, 1. Ioh. 2. ideò æterna salus nõ potest iterũ & secũdò mereri: nec est aliud aliquod opus in mũdo, quod sic posset esse meritorium, nempe pro peccatis tollendis & pro salute æterna cõquirenda, sicut est vnica mors Christi, qui mortuus est solus & semel pro peccatis omnium nostrorum, & iterùm resurrexit propter nostram iustificationẽ, id est, remissionem peccatorum, Rom. 4. hæc gloria relinquitũ soli Christo, quòd ipse vnicus sit Saluator totius mundi. Matth. 1. ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. vnus est mediator Dei & hominum per effusionem sanguinis sui, 1. Tim. 2. ergò nullũ opus hominis potest æquari in efficacia cũ sanguine & iustitia Christi, ità quòd vtrunque opus, nostrum & Christi, simul efficiant salutem atq; mereantur: sed tota virtus & efficacia solùm pẽdet à vulneribus Christi. in illo enim solo posita sunt omnia peccata, & ipse solus portauit, 1. Pet. 2. Habent igitur aliam conditionem à Christi iustitia nostræ infusæ iustitiæ, id est, Spiritussanctus nobis infusus cum fructibus & operibus, fide, dilectione, timore, mansuetudine, continẽtia, oratione, ieiunio, obedientia præceptorum &c. eam videlicet, vt vel appræhendant promeritam gratiam & salutem per Christum, aut quòd acceptam retineant: ideò fides appræhendit cum pœnitentia promeritam salutem, dilectio retinet: de primo, Iohan. 3. dicitur, vt omnis qui credit in eum, non pereat: de altero autem, Iohan. 14. Qui diligit me, sermones meos seruabit &c. Meriti igitur virtus, remissionis & salutis, tota transfertur in vulnera Christi: at participatio & appræhensio & retentio, tribuitur fidei, dilectioni & fructibus Spiritussancti. Non ergò miscemus opera nostra cũ Christi operibus, sed horum cuique suum finẽ tribuimus: vtrunq; tamen necessarium esse ad salutem consequendam, constanter asserimus, sed alio atq; alio fine: nam è vulneribus Christi fluit virtus salutis nostræ, nostra verò opera & fides appræhendunt illam & retinẽt: nam si non appræhenderentur & retinerentur, cui prodesset Christi mors & passio? ideò necessaria sunt in hunc finem, nõ vt de nouo mereantur iam semel promeritam salutem. Porrò notandum est, quòd Spiritussanctus datur propter Christum, vt si Christus nõ esset, nemo haberet Spiritumsanctum: ergò datur Spiritus cum fructibus suis ꝑpter Christũ: ob id oportet priùs Christum per fidem habere, antequàm donatur Spiritussanctus. In eum quoquè finem docetur, quòd nostra infusa iustitia & Christi iustitia integrant vnã iustitiam, id est, quòd Christi iustitia efficit & donat remissionem & salutem, nostra appræhendit & retinet, vt tãdem gloria æterna, id est, remuneratio: aut quoniam nostra iustitia est imperfecta, ideò accedit Christi, quæ supplet imperfectionẽ nostram, imputando pro perfecta & pro digna ad participationem promeritæ salutis. Est autem quædam iustitia, retinere & appræhendere Christi iustitiam, de quã scriptura vbiquè loquitur, vt iusti simus fide & operibus, id est, obedientia præceptorum ad retentionem: aut quòd Deus vult nostra opera remunerare præmijs & gloria æterna propter Christum, id est, meritum passionis suæ, ex quo fluunt &c. Sic enim nostra iustitia & Christi iustitia fit vna, quoad opus appræhensionis, gratiæ Dei & Christi: nõ autem sunt vna iustitia, nec pares ex æquo in effectu & merito: sic enim sola Christi iustitia consistit: at quoniam & fructus Spiritussancti in me vel iustitia est imperfecta, ideò etiam

Hebr. 9.

am adiuuat, vt appræhendam Christi gratiam & virtutē: & sic habet vtraq; suū effectum. Primò mors Christi, quia precium pro salute totius mundi: Deindè, quia adiutorium est, quatenùs possum eam appræhendere & retinere, & sic fit quasi vna iustitia: aut quoniam omnia quæ habeo, scilicet Spiritumsanctum & fructus eius, sunt dona Dei, quæ conferuntur ex virtute passionis Christi, 1. Corinth. 4. Quid habes quod non accepisti &c? ergò Spiritussanctus cum fructibus suis, sunt Christi dona, & ille nobis ea donat, est quoquè meritum passionis illius solum. igitur dū distribuit per media, quę sua sunt, & suum quoquè est meritū passionis, ergò fit vna iustitia nostra cum illa, & vna est, immò tota Christi, vt maneat gratia & donum Dei vita æterna. Non verò sic intelligit ecclesia, quòd sequens iustitia nostra post appræhensionem Christi per fidem etiam iustificet, vt sic tota fides non quiescat in solo Christi sanguine, sed quasi etiam pars hæreat iustificationis in nostris operibus sequentibus fidem, & quòd sola fides non iustificet, id est, non sufficiat ad iustificationem, sed etiam opera nostra sequentia. Sed tota fides iustificationis & salutis quiescit in solo Christi merito & sanguine: sed opera nostra sequētia fidem, id est, dilectio, timor, fructus spiritūs, pœnitentia &c. sic pertinent ad iustificationem, quatenùs eam retineant. nam si secundùm carnem vixerimus, &c. Rom. 8. 1. Corint. 6. Galat. 5. Ephe. 5. qui talia agunt, regnū Dei non possidebunt: non enim opera nostra efficiūt, sed retinent iustificationem: ideò fides non abolet legem, sed statuit, Rom. 3. Sic sunt multi alij fines operum quæ sequuntur fidem: gratiarum actio, Philip. 1. repleti fructu iustitiæ: Sacrificia quæ Deo offerimus, Hebr. 13. Veteres dicentes opera nostra ex gratia impetrare salutem, illi fidem primo loco inter opera appræhendentem Christi beneficium, incluserunt. nam & fides opus est, Iohan. 6. illa differentia semper manet, quòd nihil in rebus aut ex nobis est quod iustificat: sed fundamentum iustificatiōis & salutis extra nos est, id est, passio, iustitia, meritum Christi: sequela autem obedientiæ legis, exigitur ad retentionem &c.

DE MODERATA FIDVCIA CIRCA REMISSIONEM PECCATORVM. Cap. 19.

Attendendum est hîc primò de studio Sathanæ, qui aut homines nimìs securos facit, sibiq; fidentes, tanquam iam sint iusti ac salui, eò quòd credūt in Christum, & ideò posthàc eos non posse damnari: alios verò diuerso modo exagitat, impellendo eos in anxiam dubitationem, & tandèm desperationem, quasi nimìs peccauarint, & se non posse saluari, nec remissionem consequi, eò quòd maior sit iniquitas eorum, quàm vt veniā mereatur, sicut dixit Cain Genes. 4. Hanc tentationem Sathanæ à dextris & sinistris videntur quidam imitari concionatores, quorum aliqui viam ad salutem æternam & remissionem omnium peccatorum, nimìs latam faciunt, dum solùm & nimiùm inculcant & proponunt populo, quòd Christus pro illis mortuus sit, satisfecerit, & redemerit à peccato & Sathana, & quòd omnia pro nobis expediērit, à nobis nihil requiri aliud, nisi vt credamus, & nos mandata Dei non posse implere, opera esse inania, & Deū nō egere nostris operibus, nisi vt in ipsum credamus &c. Aliqui verò nimìs vrgent legē & opera, vt nisi seruauerint hoīes mandata, nō intraturi sint in regnum cælorum, nec saluandos esse, & nisi omnes traditiones, regulas, vota tam sanctè seruauerint sicut euangelium, eos damnari &c. Atque sic illi nimiùm securi & confidentes sunt, hi verò nimiùm timorati, anxij & desperantes de remissione peccatorum: ideò oportet esse moderatam fidutiam de remissione peccatorum. Primò itaque sic remouenda est nimia securitas: cùm nemo sit sinè peccato, aut nemo perfectam habeat fidem, dilectionem, timorem Domini, obedientiam perfectam legis, non satìs deuotè oret, confiteatur, pœniteat, &cæt. sicutì exigitur & facere debebat, tum semper pręsumitur reus esse, eò quòd minùs fecerit hæc, quæ illi in euangelio & ab Ecclesia mandata sunt. Ideò cùm quis hanc imperfectionem considerat & diligenter ponderat, in se reperit quod non possit gloriari aut securus esse de certa remissione, sed timet adhuc & solicitus est de iusto iudicio Dei. Nam & ipsi apostoli petiērunt sibi augmentari fidem, & licèt ipse Paulus erat irrepræhensibilis in lege foris coram mundo, vt patet Philip. 3. tamen dicit 1. Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum. & Iohannes ait 1. epistolæ capit. 1. Si dixerimus quia peccatum

non

non habemus, &c. & ipse Christus iubet nos quotidie orare, vt dimittantur nobis peccata nostra, Matth. 6. & Luc. 17. Cùm omnia feceritis, dicite quoniam serui inutiles sumus &c. Et quoniam peccatum inhæret in carne nostra, ità vt nihil perfectè possimus vel præstare, vel aliqd boni cogitare sinè peccato, tanq̃ ex nobis ipsis, 2. Corint. 3. ideò nõ debemus esse nimiùm securi, gloriantes de sola fide & saluatione Christi, de iustitia Christi, misericordia &c. & se præferre alijs, sicut Pharisæus ille in Euangelio Luc. 18. ideò homo hãc suam infirmitatem considerare, & imperfectionẽ operum suorũ ponderare debet, quòd nõ satis firmiter articulos fidei credat, ꝙ non satis ex corde Deũ & proximũ suum diligat, ꝙ Deum nõ satis timuerit, nec legis præcepta seruet, &c. ideoq; cogitabit se adhuc reum esse & accusari posse: quarè semper petet misericordiã Dei, etiamsi omnia fecerit. quicunq; igitur sic nõ considerãt se esse adhuc peccatores, & opera ipsorũ esse imperfecta tam fidei quàm dilectionis, sed tãtùm simpliciter credũt, Christum eos saluaturum, & remissurum peccata, aut iam esse dimissa peccata, sinè tamen præuia hac consideratione propriæ infirmitatis peccatorum suorũ & imperfectionis, & cõtritione & cessatione à peccatis, illi non consequentur remissionem propter solam Christi passionẽ, eò ꝙ Christus ipse iubet pœnitere primò, deindè credere, quicúquè volunt participari eius gratia, Marci 1. maximè ergò cauenda est hæc carnalis securitas, vbi plerique solùm credere volunt sinè vlla pœnitentia, sinè obedientia legis, & sic somniant sibi certam remissionẽ peccatorum propter Christum sinè cessatione & pœnitentia. Porrò Christus vetat nè opera faciamus propter homines, Matt. 6. Semper verò timere debemus etiam cùm optima fecerimus, sicut
Iob 9. Iob sanctus dixit, Verebar omnia opera
Psal. 130. mea. & Dauid inquit: Domine, nõ est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei &c. quarè eiusmodi fiducia propriæ sanctitatis, est pestis animæ. Deindè nec homines adigendi sunt in desperationem propter nimium rigorem & austeritatem præceptorum legis, & ob imperfectionem nostram. Sed hic ante oculos ponendus est Christus, cur venerit, quarè mortuus, quid meruerit, nempè remissionem peccatorum & vitam æternã his qui credũt in nomine eius. Rom. 4. Mortuus est pro peccatis nostris, id est, precium & victima factus, atq; resurrexit propter nostram iustificationem, quoniam pater propter illum vult misereri, id est, donare remissionem peccatorũ & salutem, & non propter opera nostra: & quoniam hic sanguis effusus non potest esse inutilis aut inefficax, ideò sperare debemus propter illum hæc cõsequi. Insupèr, quoniam Deus promisit redeuntibus, & licèt in peccatis fuerint, non semel aut septiès reconciliationẽ, sed septuagiès septiès, Matth. 18. & adhuc in mundo quærit prædicationem Euangelij pro peccatoribus reconciliandis qui perierant, Luc. 19. & hodiè gaudent Angeli in cælo de pœnitentia peccatoris, Lucæ 15. immò scriptura & sanctus Apostolus Ioh. 1. Ioh. 3.
Deus est maior corde nostro. & Paulus Rom. 5. Si abundauerit delictum, multo ampliùs gratia &c. Hæc & consimilia consolari & cõseruare debent peccatorem, nè desperet de peccatis, etiãsi legem Dei perfectè non obseruãrit &c. Accedunt huc multa exempla, quibus consortatur peccator nè desperet. Dauid commisit adulterium & homicidium, 2. Reg. 11. attamen tandèm consecutus est misericordiam. Sic Zacchæus & Matthæus peccatores in rebus temporarijs, Matth. 9. Luc. 19. cõsecuti sunt misericordiam, mulier Lu. 7. Mag- Marc. 16.
dalena, quæ peccatis carnis peccauerat, accepit indulgentiam. Sic latro capitis supplicium meritus, in cruce pœnitens saluatur, Luc. 23. Sic Petrus abnegans Christũ, & Paulus persecutor Christi, conuersi impetrant remissionẽ & misericordiam &c. Talia exempla nos erigere debent, & munire animum nostrũ à desperatione: ideò tametsi sumus imperfecti in fide & obedientia præceptorum, attamen nõ desperare debemus: est enim Christus qui viuit hodiè, & hodiè recipit redeuntes per pœnitentiam, & iterùm distribuit gratiã peccato deperditam. saltem redeamus cũ filio prodigo, Luc. 15. Tertiò opera nostra nec nimiùm extollere aut magnifacere, neq; nimiùm vilipẽdere debemus, sed oẽs actiones nostras in Deum reijcere, & illi totum salutis nostræ negocium cõmittere. Non enim decet, vt opera nostra ità extollamus, vt ea reputemus æqualia in virtute & merito ipsis operib' Christi, & quasi per ea velimus mereri cælum: nam nõ sunt propitiatoria pro peccatis satisfaciendis & salute ꝓmerenda, sicut sunt opera Christi, qui est solus ꝓpitiatio per suum sanguinẽ pro peccatis nostris, 1. Ioh. 2. nostra eñ opera, sunt opera laudis Dei & con-

& confessionis ac gratiarum actionis. Philip.1. repleti fructu iustitiæ ad laudẽ Dei: sunt serui, nõ dominus: ideò nõ debẽt sic æquari operibus Christi, quasi mereantur etiã remissionẽ & salutẽ, sed benè apphendunt promeritam salutem. Deindè nec sic sunt extenuanda aut villpendenda, quasi nihil prodessent: nam sunt dona oei, & fructus Spiritussancti, quos per nos operat, Esai.26. Oĩa opera nostra operatus es in nobis Dñe. ipsa Deus donat talẽta, & exigit negociationẽ, Matt.25. ideò qui sic reijcit opera, quasi sordescerent & inutilia sint, qd facit aliud, nisi ꝙ dona Dei contemnit & tanq̃ sordida reijcit? & quoniã testatur scriptura, quoniã his operibus placemus Deo, sicut dicitur Hebr.13. Beneficentię & cómunionis, scilicet bonorũ temporalium, nolite obliuisci: talibus em̃ hostijs promeretur Deus. & Matth.25. opera misericordiæ sic glorificat Christus, quasi sibimetipsi pręstita essent. nam dicit, Esuriui, & dedistis mihi mãducare: nudus sui, & operuistis me &c. Qui igitur sic vilipẽdunt hæc & alia bona opera, quę Dei sunt dona, id faciunt in contemptum datoris Dei. Non enim opera ipsa corrigimus, sed nimiam fiduciam in operibus, nè scilicet eis tribuamus iustificationem, id quod derogat sanguini Christi, Galat.2. non em̃ opera bona nihili sunt facienda: sed tunc nihil sunt, quandò pro iustitia nostra reputantur, contempto merito Christi. Reijcimus ergò & corrigimus legis ac bonorum operum fiduciam, non obedientiam, quam debemus Deo ad laudem & confessionem eius. Et quomodò reijci possunt hæc Dei dona, quandò etiam pro his præmia in hac & futura vita promittuntur? 1.Cor.3. Vnusquisq; mercedẽ accipiet secundùm suum laborẽ, Matt.16. Matth.25. Obedientiam igitur tantùm præstare debemus in operibus Deo, qui etiã præcipit nõ gloriari: nec scire debet sinistra, qd faciat dextera, Matt.5. sed totũ committere Deo, vt ipse faciat secundùm misericordiã suã, prout tibi sit vtile futurũ: non em̃ iniustus est Deus, inqt Apostolus Heb.6. vt obliuiscatur vestri operis & dilectiõis, quã ostendistis in noĩe eius, qui ministrâstis sanctis &c. ipse pater videt in abscondito, Matt.6. illi totũ cõmittendũ est: nos decet vt semper reputemus nos seruos inutiles, Luc.17. & dignos esse cõfusione, sicut
Dani. 9. Daniel dicit, Nobis confusio, tibi soli gloria. Hæc est media & moderata via & fiducia inter securitatem & desperationẽ, inter gloriationem operũ & extenuationem, nè homo declinet vel ad dextram, vel ad sinistram, sed sic in humilitate & spe consummare debet cursum vitæ suæ: non exaltamus nimiùm opus nostrum, quod scimus imperfectum: nec etiam nimiùm extenuamus, quod scimus nobis pceptum & ininnctũ esse, & habere præmia sua ex promissione gratuita propter Christũ, licèt non ex dignitate operum. Deindè oportet nos cogitare, quid de his scriptura dicat, nempè Ephe.2. Conditi ad bona opera, non igitur ociosi esse debemus: deindè serui inutiles sumus, Luc.17. vt nõ quæramus salutẽ ex operibus nostris, sed ex vulneribus Christi. At ità quidam obstrepunt, Deus vult vt per opera mereamur salutẽ: dicit em̃, Si vis ad vitã ingredi, Matt. 19.
Matt.19. serua mandata. Respon. Si Deus nõ manifestâsset aliam viam, modũ & formam acquirendi salutẽ & vitam æternam, tunc verũ dicerent: sed vnigenitus Dei fi- Iohan. 1.
lius, qui est in sinu patris, manifestauit nobis aliam viam, nẽpè vt qui credit in filiũ, habeat vitã æternã, Ioh.3. & 6. si non reuelâsset hoc filius Dei, tunc per opera diceremur mereri vitam æternã, & per nosipsos saluari: sed quoniam alio modo id vult, non igitur ad opera, sed ad Christum cõfugimus fide. Quoniam enim Deus optimè sciebat nostram infirmitatem, quòd homines nõ possent implere perfectè pręcepta legis: ideò non obedientiam legis & factum nostrum abrogauit, sed donauit Christum, vt qui in eum crederent, efficerentur & reputarentur iusti. Rom.10. finis enim legis Christus est, ad iustitiam omni credenti.

QVOD NECESSARIO FIDEM SEQVI DEBEANT OPERA BONA. Cap. 20.

NOtandum est primò, ꝙ hæc est fides nostra Christiana, ꝙ credimus Christum pro peccatis nostris mortuum, Rom.4. i. factũ esse victimã pro peccatis totius mũdi, qua ipse persoluit oĩe debitũ nostrum, & credimus eũ resurrexisse propter nostram iustificationem, id est, vt Deus pater æternùs nobis propter ipsum ex misericordia condonet peccata: nam condonare seu remittere peccata, est iustificare: vtque det Spiritumsanctũ, & salutẽ æternã gratis ex misericordia propter ipsum, id est, non ppter opera nostra, quæ erant insufficientia & infirmiora, quàm vt illam remissionẽ & vitam æternam in Adamo deperditam,

tam, iterùm acquirere queant: ideò posu-
it pater in eo omnium nostrûm iniquita-
tes. Esai. 53. & ipse peccata nostra portauit
super lignum, 1. Petr. 2. Hęc qui certò cre-
dit, etiam certissimè assequitur eam: nam
Ioh. 3. non potest Deus mẽtiri, qui dixit, vt om̃is
qui credit in eum, non pereat, sed habeat
vitam æternam. & sic fides tenet & habet
Christum & omnia cum illo. Rom. 8. qui
dedit filium, quomodò non omnia cum
filio? Propter hanc igitur fidem, Deus nos
vult reputare iustos, id est, nobis remitte-
re peccata & dare salûtem, sicut fecit Abra-
ham, Gene. 15. & Rom. 4. dicit Apostolus,
quòd & nos sic iustificamur &c. & Rom.
3. Arbitramur hominem fide iustificari, id
est, accipere remissionem peccatorum, &
donationem Spiritussancti, & promissio-
nem atque acceptationem personæ ad vi-
tam æternam. Igitur tota scriptura, Euan-
gelium & lex, vocat nos ad fidem Chri-
sti, quòd omnis qui credit in illum, non
pereat, sed habeat vitam æternam, & non
confundatur, Roman. 10. Quandò igitur
credimus quòd propter Christum hæc
consequamur, & quòd solus Christus se-
mel meruit toti mundo vnico suo opere
propitiatorio omnibus remissionem & sa
lutem æternam, ad quid nunc sunt neces-
saria, inquiat aliquis, bona opera? cur De-
us adhuc nos ad obedientiam legi præ-
standam obligat, dicens Matth. 19. Si vis
ad vitam ingredi, serua mandata? & si pro-
pter Christum Deus vult dare vitam æter-
nam, cur etiam promittit pro operibus
bonis vitam æternam? Matth. 19. Vos qui
reliquistis omnia, & secuti estis me, cen-
tuplum accipietis, & vitam æternam pos-
sidebitis. Item apud eundem 7. cap. Non
omnis qui dicit mihi, Domine Domine,
intrabit in regnum cælorum. &c. & Ioh. 5.
Qui bona fecerunt, ibunt in vitam æter-
nam. & Matth. 25. Venite benedicti Pa-
tris mei, & possidete regnum &c. quia esu-
rienti mihi dedistis manducare, & nudum
operuistis &c. & Rom. 2. Gloria & honor
& pax omni operanti bonũ &c. Respon.
Primò opera nostra non sunt contraria
passioni Christi, & nihil illi derogant, nec
in minimo quicquam adimunt, sed sem-
per manet tota virtus salutis nostræ ipsi
passioni ac sanguini Christi: nam nullum
opus nostrum sit ad merendum salutem
& vitam æternam, quam Christus semel
meruit omnibus nobis: ideò solus ipse
est propitiatio pro peccatis totius mundi.
nam bona opera sunt dona Dei, ipse dat
velle & perficere, Philip. 2. ideò sunt aliæ
causæ, cur necessariò fieri & sequi debe-
ant fidem nostram opera nostra bona,
obedientia legis diuinæ, ieiunium, ora-
tio, eleemosyna, vota, cæremoniæ, &cæt.
Prima igitur causa, est necessitas retinen- I. Causa.
dæ gratiæ & efficaciæ sanguinis Christi
in nobis. Nam ilicò postq̃ peccauerimus,
amittimus gratiam & efficaciam sangui-
nis Christi, id est, quandiù pergimus in
peccatis, & legem DEI violamus, & vitam
agimus secundùm carnem sinè pœniten-
tia, tunc sanguis Christi non tollit pecca-
ta nostra, nec saluat nos, & amittimus pro-
missionem salutis æternæ acquisitæ per
Christum, & in ira DEI manemus, & sub
potestate diaboli. 1. Iohan. 3. Nemo deci-
piat vos. qui peccat, ex diabolo est. & Io-
han. 3. Ira DEI manet super illum, &cæt.
amittimus ergò acceptam DEI gratiam per
peccatum, & propterea necessariò sequi
debent opera bona fidem, vt retineamus
illam promissam salutem. Nam Rom. 8.
Si secundùm carnem vixerimus, morie-
mur: & 1. Corinth. 6. Galat. 5. Ephes. 5.
qui talia, id est, opera carnis agunt, regnũ
Dei non possidebunt. Qui autem mala
opera faciunt, illi bona opera non habẽt:
igitur necessè est, vt mala opera fugiant,
& buna faciant, si retinere volunt promis-
sam salutem & vitam æternam. Nihil enĩ
proderit illis recepta gratia Dei, si non re-
tineatur, quemadmodùm Adamo nihil
ꝓfuit sua iustitia originalis accepta, quia
eam non retinuit, sed peccando, id est,
transgrediendo mandatum DEI amisit, Ge-
nes. 3. Sic Saul rex inunctus, propter in-
obedientiam tamen regno deturbatur.
Sic Iudas amisit gratiam & apostolatum
propter peccatum. Sic filij Irael murmu-
rantes in deserto, priuantur terra sancta:
sic comminatur Christus quibusdam ci-
uitatibus Matth. 11. eò quòd spreuerunt
oblatam gratiam. Sic Angeli è cælo de-
ijciuntur propter peccatũ superbiæ, Esai.
40. Sic leprusi mundati, propter pecca-
tum ingratitudinis damnantur Luc. 17.
ideò Paulus 2. Corinth. 6. inquit: Horta-
mur vos, nè in vacuum gratiam Dei reci-
piatis &c. Necessaria igitur sunt opera bo-
na. nam alioqui non proderit passio, nec
appræhenditur nec retinetur: & sic ista ne-
cessitas bonorum operum ad salutem, ni-
hil derogat passioni Christi. Secunda cau- II.
sa est obedientia, quam Dei præceptis de-
bemus. nam 1. Thes. 4. dicitur: Hæc est vo
luntas Dei, sanctificatio vestra, abstinere à
sor-

fornicatione, possidere quenq; vas suum (id est, corpus) in sanctificatione & honore, nō in affectibus libidinis, sicut gentes ignaræ Dei:& nō iniuria afficere & defraudare fratrem in negocio, quia vindex est Deus de omnibus his. non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem: ideò qui hæc contemnit, non hominem, sed Deum ipsum contemnit, qui dat spiritum suum nobis. Sic est voluntas Dei obseruantia præceptorū eius. Matth.7.qui facit voluntatem patris mei &c.ideò renati & sanctificati sumus ad bona opera, Ephes. 2. & Matth.5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt &c. & glorificent patrem vestrum in cælis: hic causa exprimitur, cur faciamus bona opera, & quarè exigantur à nobis, non vt mereamur salutem de nouo, quam Christus semel meruit, sed ad laudem & glorificationem Dei, atq; gratiarum actionem. Philip.1. repleti fructu iustitię ad laudem Dei, ostendimus enim nostram gratitudinem erga passionem Christi pijs operibus, in laudem & honorem nominis ipsius &cæt. hæc quoquè causa nil derogat merito vel

III. sanguini Christi. Tertia causa est, necessitas euitandi pœnas temporales & æternas, eò quòd Deus non relinquit impunita peccata hic & in futura vita. Mundi enim calamitates, id est, bella, incendia, fames, morbi varij generis, pestes &c. vndè veniunt, nisi ex peccato? Vnus enī lapsus Adæ, Genes.3. quātùm afflixit humanū genus? nōnè ob luxuriam carnis Deus totum mundum diluuio perdidit, Gene. 6? Nunquid non Sodomitas submersit? Vnus lapsus

Num. 20. Moisis & Aaronis, an non causa fuit quò minùs intrarent terram benedictam &c? Sic hodiè oēs calamitates & pœnas temporales nulli rei alij, quàm nostris peccatis, acceptum referimus:& sicut cultus idolorum Salomonis, florentissimū eius regnū dissipauit, 3. Reg. 11. ità & nunc errores ac hæreses Romanum imperiū & alia regna præclara euertunt & dilacerant. Ex his & similibus liquet, temporalem pœnam sequi peccata. Grauior autem pœna æterna erit ijs, qui per peccata amiserunt gratiam Dei & iustificationem in baptismo semel

Matth. 11. per fidem acceptam, sicut Christus comminatur ciuitatibus quibusdā, & dicit remissius in die illo fore gentilibus ciuitatibus Tyro & Sidoni, qui veritatem Christi ignorārunt, q̄ illis qui post agnitam veritatem sese magnis peccatis inquinārunt.& 2. Pet. 2. sicut canis ad vomitum rediērūt, ideò necessaria sunt bona opera ad vitandas pœnas peccatorum: mitigāt enim pœnas debitas peccatis, sicut oratio, ieiunium Niniuitarum, Ionæ 3. & eleemosynæ Nabuchodonosor, Daniel. 4. Quarta causa IIII.
est, nè expellamus & fugemus à nobis Spiritumsanctum: nam propter nihil aliud nisi propter peccata nostra, expellitur & deserit nos. Cùm enī illi qui peccant mortaliter, & opera carnis faciunt, ex diabolo sint, vt Ioh. testatur, dant igitur locū diabolo: at vbi diabolus habitat, ibi Spiritussanctus expellitur: nulla enim coniunctio Christi & Belial. dicit igitur Paulus Eph. 4. Nolite dare locum diabolo. & ibidèm iterùm, Nolite contristare Spiritumsanctum DEI in vobis &c. Ob id ergò bona debemus operari, & à peccatis abstinere, nè corpora nostra, quæ antè fuerunt templum Spiritussancti, nunc per immunditiem peccatorū fiant diaboli latibula. Post discessum autem Spiritussancti multa mala sequūtur: Dauid enim cùm raperet alterius coniugem, perturbauit & expulit 2. Reg. 11.
Spiritumsanctum: qui cùm recessisset, Dauid in peiora mala corruit, nempè homicidium Vriæ committens, & vxores ipsius à filio suo Absalom stuprantur, 2. Regum 16. & gladius non recessit de domo sua, iuxta dictum Prophetæ. Ideò posteà conuersus & pœnitens, orat & deprecatur Deum: Ampliùs (id est, posthàc) laua Psal. 50.
me à peccatis meis, & Spiritum tuum sanctum (ampliùs) nè auferas à me, Psal. 50. Amisso enim seu ablato à nobis Spiritusancto, de peccato vno in aliud deterius ruimus, & mancipia diaboli efficimur. Quid quòd etiam vera fides per peccata excutitur? nam fides cum pœnitentia (aliàs enim vera fides non est) appræhendit misericordiam propter CHRISTVM: qui verò sinè pœnitentia in peccatis viuit, ille non potest appræhendere misericordiam: quomodò enim tibi peccatum remittet Deus, de quo non pœnites, neq; cessas? Cessa peccare, & tunc crede. Marci 1. Pœnitemini, & credite Euāgelio. Quinta causa, est præmiorum promissio: Nam V.
licèt verum sit, quòd ꝑpter nullum opus aut virtutem aliquam homo mereatur remissionem peccatorum suorum, eò quòd nullus homo potest satisfacere legi, sed propter Christum: hanc fidem nos semper confiteri oportet, quæ statuit nos propter filium Dei placere: placent tamen in

O recon-

reconciliatis bona opera, eò quòd persona primùm placet Deo propter fidem in Christum: ideò opera nostra merentur præmia spiritualia & corporalia in hac & post hanc vitam secundùm gradus laborum, 1.Corinth. 3. Vnusquisque mercedem accipiet &c. & 1.Tim.4. Pietas habet promissionem præsentis vitæ & futuræ, Marci 10. Recipient centuplum in hac vita, & post hanc vitam, vitam æternam. Nam omnia præcepta habent suas promissiones præmiorum corporalium, sicut etiam transgressio & pœnarum comminationes Exod. 20. Leuit. 26. Deuteron. 28. de vidua Sareptana 3.Regum 17. Habent etiam spiritualia præmia, vt Daniel ieiunans & abstinens impetrauit donum Sapientiæ ante maturos annos. Sic alijs datur scientia, gratia sanitatum, donum prophetiæ, genera linguarum, prudentia ad regendum populum, &cæt. In summa, etsi opera nostræ pietatis non merentur per se effectiuè salutem, tamen Deus recompensat illa ex gratia imputatiuè gloria æterna, quam ipse solus fidelibus suis acquisiuit. Licèt igitur exiguntur hæc media, nempè opera, fides, dilectio, adhuc tamen gratis confertur gloria æterna: Non enim nostræ passiones sunt condignæ futura gloria, Romano. 8. Præmium enim gratuitum gloriæ, multùm præponderat, & gloriosius est quàm labor noster. Vndè Lucæ 17. habetur, Dicite quoniam serui inutiles sumus: neque hæc causa derogat merito Christi.

VI. Sexta causa est, dignitas & placentia bonorum operum, quia Deo placent & accepta sunt: hunc enim titulum habent, quòd Deo placent opera bona, quæ nos miseri peccatores præstamus.Ità placuit Abelis sacrificium Deo, & Deus in id respexit Genes. 4. Sic Abrahami immolatio filij proprij Deo placuit. Sic oratio Cornelij placuit Actor. 10. Sic ieiunium Hester, sic humilitas & fiducia Iudith, sic ipse Dauid orat Deum, vt voluntaria oris sui, beneplacita sibi faciat. Habent quoquè pia opera hunc titulum, quòd vocantur Sacrificia, hoc est, proprij & veri honores erga Deum, quibus ipse delectatur. Hebr. 13. Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs (id est, Sacrificijs) promeretur Deus. Et 1. Petr. 2. dicitur, quòd simus spirituale Sacerdotium, destinati ad spirituales hostias Deo gratas offerendas per IESVM

Gene. 22. Hest. 4. Iudit. 9. Psal. 118.

Christum &c. quid hîc intelligitur aliud per spirituales hostias, nisi bona opera & fructus spiritûs? Postremò, bona opera sunt quoquè sacramenta diuinæ voluntatis, Luc. 6. Remittite, & remittetur vobis: nō id fit aūt propter nostram cōdonationem: nam cùm scire nō valeamus, quandò satis condonauerimus proximo nostro, nunq̄ quiesceret conscientia nostra: ideò sic signa sunt, quatenùs admoneant nos condonationis diuinæ &c. Magnum certè est, quòd nos miseri homines aliquid facere possimus quod Deo placeat: quis ergò adhuc dubitat opera debere sequi fidem, &c? Septima causa est, vt per exercitia bonorum operum fides crescat in interiori homine? & vt foris corrumpatur externus homo in carne, sicut docet Apostolus 2.Corint.4. quandò corrumpitur externus homo, crescit internus, id est, quātò magis humilitas crescit, tanto magis decrescit & moritur superbia. & sic de cæteris, quæ per contraria sua destruuntur, vt per abstinentiam gula, per eleemosynam auaritia &c. & tūc quidē meliùs & tutiùs retinetur, pmerita salus & iustificatio per Christū. Postremò, etsi sanguine Christi saluamur, vult tamen Deus nostra opera habere ad suam gloriam: & ideò præcipit, & exigit, & gloriam promittit se exhibiturum, quā ipse, & non alius, promeruit. Sūt item non solùm necessaria bona opera ad retentionem beneficij Christi, sed etiā ad mortificationē veteris hominis. Hæ supradictæ septem causæ, planè nihil derogant merito & sanguini Christi, & q necessariæ sunt ad consecutionem salutis, quia sinè illis nec apprænhenditur, nec retinetur salus, vt sæpè dictum est. Quòd verò Deus promittit vitam æternam pijs operibus, cùm dicit, Si vis ad vitam ingredi, serua mādata, & tamen eam propter Christum dat, & non propter opera nostra: hæc causa est, q Deus nobis propter Christum dat vitam æternā, ideò facit, quia Christus meruit & victima fuit pro peccatis totius mūdi, Esa. 53. & 1.Ioh. 2. promittit aūt operibus, fidei & dilectioni, tanq̄ medijs per quæ apprænhendimus participationē & distributionē thesauri Chri: quia nemo sinè illis medijs vel accipit, vel apprænhendit illum: id est, qui non credit, ille etiam non apprænhendit Christi thesaurum, sed cōdemnabitur, Ioh. 3. & qui opera carnis fecerit, sinè pœnitentia regnū Dei nō possidebit. ro. 8. Si secundùm carnē vixeritis, &c. eph. 5. gal. 5.

VII. Matt. 19.

1.Corinth.6. Sic nihil derogatur sanguini Christi, neque virtuti illius. Differunt enim plurimùm, mereri salutem aut vitam æternam, & promeritam salutem per media, id est, pia opera, fidem &c. participare & appræhendere. Notare igitur hic debemus, non sic à nobis vrgeri bona opera, quasi solùm propter meritum, vt carnales intelligunt, quasi solùm in eum finem opera fiant, vt promereantur salutem: sed multò probabilior causa est, quarè vrgeantur opera, nempè vt id quod promeritum est per alium, id est, Christum, non iterùm amittatur, sed retineatur, id est, nè data gratia Dei in Baptismo, fides & Spiritussanctus, iterùm per carentiam bonorum operum perdatur: non enim illa ipsa possunt constare in vno subiecto cum peccatis & impœnitentia. Horribile, est enim auditu, te amisisse gratiam Dei, meritum Christi, fidem, Spiritumsanctum, propter peccata & opera carnis, & te grauiùs puniendum esse in die illo, quàm gentiles, qui Christi fidem nunquàm cognouerunt. Hæc igitur nè amittas, tibi retinent pia opera, obedientia legis, fructus spiritus. Porrò distinguendum est inter opera legis, id est, mandata decalogi, & inter opera fidei, quæ creduntur in Symbolo de Christo, & inter opera dilectionis, id est, fructus Spiritussancti. Nam prima ostendunt peccata, secunda remittunt peccata & saluant, tertia retinent & custodiunt remissionem ac salutem.

QVOD SALVS NOSTRA NON EST LIGATA AD TRADITIONES HVMANAS.

Cap. 21.

Communis & generalis fidei nostræ cōfessio hæc est, quòd credimus nos propter passionem ac sanguinem Christi iustificari & saluari. Sic docet Apostolus Rom. 4. Mortuus est propter peccata nostra, & factus est victima. Esa.53. & resurrexit propter nostram instificationem, id est, vt nobis peccata remitteret, & iustos faceret coram Deo patre. Ad hæc vulnera Christi ligata est nostra salus & conscientia, vt solùm in his, & nulla alia re quæramus, credamus & speremus æternam salutem nos consequuturos. Ad nullam autem traditionem humanam & præcepta aut cæremonias, est ligata nostra conscientia, vt in his quærat iustificationem, siue sit cibus, potus, vestitus, sal, aqua, imagines Sanctorū, regulæ ordinum, vota, peregrinationes, fundationes &c. ab his non petenda est salus æterna, sicut nos à circuncisione, oblationibus, festis & cæt. de quibus Moses in Exod. Leuit. & in Deuteronomio multa scripsit. Si enim ad hæc & huiusmodi ligati essemus ob consequendam ex his salutem, non essemus in Christiana libertate, Galat.4. Vocati estis in libertatem Christi &c. Sed solùm hoc haurire per fidē ex vulneribus Iesu Christi. Quarè falsum est quod sectæ nobis obijciunt, quòd salutem nostram ligemus & collocemus in præceptis humanis, votis, regulis ordinum, &c. Præterea Apostolus dicit Rom.13. Omnia quæ sunt à Deo, ordinata sunt. Sic per ministros verbi communicat hominibus fidē, quam etiā posset sinè prædicatione infundere in corda hominum, sed vult vt ex auditu appræhendatur. Nā fides (vt dicit Paulus Ro.10.) ex auditu est, sic per magistratum regit & tuetur populum, regna & ciuitates, quę tamen omnia sola sua potētia diuina posset expedire, sed vult habere etiam gladij ministros, Rom.13. Sic posset dare absq; sudore rusticis frumenta, vinū, fructus, & cæt. Sed dixit Adæ, In laboribus comedes ex ea, id est, terra, & in sudore vultûs tui vescéris pane tuo. Spinas & tribulas germinabit, id est, per se frumēta nō feret, nisi tu eam colueris &c. Ità quoquè Deus posset remittere peccata sinè pœnitentia, sed vult hoc fieri per mediū. Marc. 1. Pœnitemini, & credite Euangelio. Sic posset saluare omnes homines, quicunq; nati sunt & in futuro nascentur, sinè fide, pœnitentia, & obseruantia præceptorum: sed non vult, quia dicit per mediū fieri debere, nempè Marci 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit &c. Sic de alijs salutis nostræ impetrandæ medijs sentiēdum. Deus aūt hāc ordinationem nō vult aboleri aut frangi, etsi potentiam suā diuinam nō alligārit huic ordinationi, seu medijs ab ipso ordinatis. Ad imitationē igitur Dei iubet Apostolus, vt in nobis omnia fiant secundùm ordinem & honestè, 1.Corinth.13. idq; maximè vult obseruari in Ecclesijs & circa religionem, sicut in eodem capite notat de prædicatoribus & expositoribus scripturarum. Item nè mulieres doceant in Ecclesijs. Sic etiam 1.Cor.11. de modo & forma communicandi sacramentum nominicum, ait: Cætera, cùm venero, disponam: id est, docebo vos, qua forma & modo omnia secūdùm ordinē & honestè facere debeatis. Sic quoquè 2.Thess.2.

Gene.3.

inquit: Itaq; fratres state, & tenete traditi-
ones quas didicistis siue per sermoné, siue
per epistolã nostrã. Sic Paulus cũ Sila ele-
ctus à cócilio Apostolorũ, profectus est &
ambulauit per Syriam & Ciliciam, confir-
mans Ecclesias, & pcipiens custodire pce-
pta Apostolorum & Seniorũ. Sed inquias:
cùm Chrs vocauit nos in libertaté, & Pau-
lus sit maximus doctor libertatis, nec sa-
lus nostra sit ligata ad præcepta & traditi-
ones Ecclesiæ, quarè ergò illas traditiones
Paulus ipse iubet teneri, & ipse ordinauit?
Respon. Aliud est, obedire pceptis & tra-
ditionibus Patrum & sacrorũ conciliorũ
ad gloriã & maiestaté operũ Dei atq; cul-
tûs ipsius: & aliud est, ligare in talibus ob-
seruandis saluté animæ: hoc quidé omninò
negatur, quia salus nostra ligata est in solo
Chro: illud verò exigitur, vt obediamus su
perioribus Ecclesiæ, sicut tota cómunio in
Syria & Cilicia obediuit præceptis cócilij
Apostolorũ, Acto. 15. Magnũ verò peccatũ
Hebr. 13. est, contemnere eiusmodi, eó q Scriptura
iubet præstare obedientiã prępositis. nam
ipsi peruigilát, quasi rationé reddituri pro
animabus nostris. Deindè, q licentia sedi-
tiosa multa parit scandala, sectas & factio-
1. Pet. 2. nes: ideò Petrus admonet & ipse Paulus,
Galat. 5. nè libertatem trahamus ad carné: non er-
gò sumus liberi ab obedientia traditionũ
humanarum: sed quoad iustificationem,
nó ligati sumus ad illas. Prætereà, cùm ex-
ternæ Cæremoniæ conspiciunt à pueris &
simplicibus, & sæpè magis afficiunt & có-
mouent ad pietatem & fidem Christianã,
quàm cócio auribus percepta, nó sani nec
pij hoïs est eas contemnere, quin potiùs
eas venerari & defendere debemus: exter-
na em̃ illa, mouent interna ad cósideranda
ea q̃ credere tenemur: insanus verò esset,
qui diceret hæc nos iustificare aut saluare.
Sunt em̃ Cæremoniæ ordinatæ, vt seruiãt
fidei & religionis nostrę operibus, scilicet
baptismo, pœnitentiæ, ac cæteris sacramé-
tis. Et licèt nó sint virtus vel pietas, adiun-
gunt tamé nos sacris, quousq; parturimur
Christo. Vt em̃ aluus fœtum cótinet & fo
uet, ac tandé parturit: sic ordinationes &
Cæremoniæ illæ, licèt nó sint pietas, adiû-
gunt tamé nos sacris, etsi in his nó ligemus
saluté. Quis em̃ diceret, q Publicanus ille
euangelicus, cùm reuereretur vultum ad
Luc. 18. cęlum attollere, & pectus suum percussit,
hanc habuerit fiduciam, q propter pronũ
in terra vultum & percussioné pectoris,
sinè fide in Deũ & sinè pia intentione, re-
missionem impetraret, & iustificatus è té-
plo descenderet? aut quis diceret stellam,
quæ Magos ad Christum duxit, eos iusti- Matth. 2.
ficâsse, & non potiùs fuisse externum si-
gnum, & in solo Christo quærendam salu-
tem? Sic vtrùm nubes & statua ignis quæ Exod. 14.
præcessit Iudæos, eos saluauit, an potiùs
ipse Deus? an circulus vel hedera ante ta-
bernam est ipsum vinum? Sic habet ora-
tio suas Cæremonias, manuum complica-
tioné & genuflexionem: sic ieiunium suũ
delectũ ciborum, abstinétiam à vino, ouis,
butyro &c. Sic eleemosyna occulta & si-
nè ostentatióe &c. Atq; sic in summa cul-
tus Dei habet cæremonias, sed nemo dicit
hæc esse pietatem aut habere efficaciã iu-
stificandi: semper em̃ aliquid aliud desi-
gnãt cæremoniæ, & nos religionis ac pie-
tatis admonent. Nec sinè rationabili ac pia
causa habenda sunt illa sacramentalia, quę
in vsu Ecclesię sunt, nempè vt aqua, quam
ad baptismum consecrat: sal, nè putresca-
mus malis actib' & peccatis cogitationũ,
cùm templũ oraturi intramus: thurifica-
tio designat bonã fragrantiam & ascẽsum
orationum nostrarum: Organi harmonia
monet nos futuri gaudij: gramina & flores
in téplo sparsi, ostendút nos qui peccatis
mortui eramus, per Christũ reuificari, ad
gratiã Dei restitui, & virescere: cantus ad-
monet futuræ laudis in cęlo, qua in secu-
la seculorũ laudabunt Deũ piorũ animæ
in domo sua cum angelis, & clamabunt cũ
Seraphim, dicentes: Sanctus, Sanctus, San-
ctus Dñs Deus Zebaoth. Falsè igitur alle- Apoc. 4.
gaẽ illa authoritas, q frustrà colamus Deũ
mandatis & doctrinis hominum. nã pro- Matth. 15.
pheta hic loquiẽ contra idololatriã & cul-
tum deorũ, quem homines idolis impéde- Esai. 29.
bãt, & hostijs ac doctrinis excogitatis ve-
nerabanẽ idola, & spem salutis in illis loca-
bant: & sic agebant manifestè contra Dei
præceptum, Nó habebis deos alienos corã
me, Exod. 20. Sic corbana erat contra pce-
ptum Dei de honore parentũ &c. Nostræ
igitur cæremoniæ non quærũt alium De-
um præter Iesum Christum, ad cuius ho-
norem fiunt. Summa, quandò non solùm
spiritum, sed & corpus habemus, ideò esse
non possumus sinè cæremonijs: & quicqd
adhuc est deuotionis in Ecclesia, id per cę-
remonias nutritur. Nó sunt ergò audiendi
Micholistæ, deridentes Dauidem saltanté 2. Reg. 6.
& psallentem ante Arcam. Nam oĩa in-
quit Augustinus, quę Deus creauit & ordi-
nauit, laudant Deum, sicut etiam prophe- Psal. 148.
ta dicit, Laudate Dominum de cælis &c.
ibì omnes creaturæ ad Dei laudé citantur.

Hoc

Hoc tamen oportet ante omnia meminisse, quòd fundamentum & causa iustificatiόis nostræ est externa res, siue extra nos, & non in nobis, id est, in interioribus virtutibus, vt est fides, dilectio, spes, castitas, &c. neq; à nobis, id est, à nostris operibus, orationibus, ieiunio, eleemosyna, cęremonijs, voto &c. Sed res est extra nos, quæ sola nos iustificat, népe mors seu victima Christi & eius opera &c. quæ sola fides apphendit, charitas verò retinet, Ro. 3. Arbitramur hominẽ iustificari fide absq; operibus legis. & Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.

QVID SIT, VERBVM DEI PRAEDICARE ET CONCILIORVM. Cap. 22.

NOtandũ est primò, quòd quidam carnales existimant hoc solum esse verbum Dei, quod de passiόe Christi & nostra redemptione audiunt, si hoc acceptãt & credunt, putant id sufficere ad salutem, & nihil amplius vel credendũ, vel faciendũ sibi esse putant. De obedientia autem decalogi, de dilectiόe Dei & proximi, de præceptis & traditionibus Ecclesiæ, de mortificatione carnis, oratione & ieiunio, &c. nolunt audire, & non reputãt hæc pro verbo Dei, cùm tamen verbũ Dei nos iubeat, vt audiamus Ecclesiã, & scriptura Apostolica iubet nos tenere traditiones &c. De illis autem dicitur illud Matth. 7. Multi dicent mihi in illa die, Dñe Domine, nonnè in nomine tuo prophetauimus, id est, passionem tuam extulimus, etiã dæmonia eiecimus &c? & tunc confitebor illis, quia nunq̃ noui vos. discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Omnis ergò qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super Petrã &c. Vocat quoquè Christus eos falsos prophetas, quotquot populo placentia pdicant, & tantùm dulce Euangelium, credere, & ampliùs nihil facere, & sic alliciunt populum. Vtrunq; verò doceri debet, Euangelium & lex, passio Christi & obedientia præceptorum Dei & Ecclesiæ, & nõ solùm fides, sed etiam opera. Rom. 3. legem non destruimus per fidem. Vult quoquè Deus nos non solùm credere verbo suo, sed & custodire illud, Lu. 11. Matth. 7. Sed illi omnia sua cũ verbo Dei palliare volunt, placentes magis hominibus quàm Christo. Grande autem peccatum est, se iactare quia verbum Dei acceptauit, & huic se credere, & per illud iustificari velle, sicut Pharisæus ille, sed dicitur illi aut illis Matt. 25. Serue nequam, ex ore tuo te iudico. Sciebas quoniam ego sum scrutator cordium? cur de hoc iactâsti te, quod non fecisti &c? sicut Iudæi iactabant se seruare legem, & nemo tamen ex vobis, inquit Christus, seruat legem, Ioh. 7. Sunt ergò opera præceptorum Dei & dilectio, etiam verbum Dei. Deindè, non putant illi verbum Dei etiam esse Conciliorum sacrorum decreta & expositiones scripturarum à SS. Patribus conscriptas, sed repudiant hæc omnia, tanq̃ mandata & doctrinas hominum, maximè ea quæ illis aduersantur: cùm tamen sancti Apostoli voluerunt suis Concilijs & decretis fidem & authoritatem haberi, cùm inquiunt Acto. 15. Visum est Spirituisancto & nobis. Cùm igitur Spiritussanctus loquatur in legitimis concilijs per patres, & Spiritussanctus est Deus, igitur verbum Dei prædicatur per concilia. Nam si credis tu Spiritumsanctũ esse Deum, cur ergò verbũ eius quod ipse inspirat in concilijs, non reputabis pro verbo Dei? quicunq; ergò contemnũt & repudiant sacra concilia & eorum decreta, signum dant quòd non habeant Spiritumsanctum, eô quòd verbũ conciliorum, est verbũ Spiritussancti, & Spiritussanctus est Deus: ergò & verbum Dei erit. Certò igitur tenendum est, omia illa, quæ fidem respiciunt & Sacramenta & piam ordinationem, esse à Spiritusancto, & Spiritussancti Dei verbum. Tametsi aliquãdò iuxta conditionem temporum, de statutis & pręceptis Ecclesiæ quædam mutata sunt & mutantur, de rebus tamen fidei & ad salutem necessarijs semper sibi constat Ecclesia: ideò inquit Apostolus, Qui spernit hæc, nõ spernit hominem, sed Deũ, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. Est igitur verbũ Spiritussancti Dei, quod sinè dubio inspirat in sacris legitimis concilijs de rebus fidei & salutis, etiam verbum Dei patris & Filij, atq; ideò illud est acceptandum. At carnales homines semper obijciunt, Hoc vel illud nõ est scriptum in sacris Biblijs, ergò non est verbum Dei. Respon. Hoc peculiare est omibus hæreticis, quòd, si aliquid præcipitur ab Ecclesia illis aduersum aut carni inimicum, dicunt, vbì hoc est expressum in verbo Dei? si autem negare nõ possunt, quòd hoc scriptura habeat expresè aut virtualiter, tunc propriam adducunt interpre-

Luc. 18.

1. Thes. 4.

tationem, & pro ſuo capite gloſſant. Sed
1.Ioh. 20. reſpondetur illis à Iohanne, quòd multa
alia fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in li-
bro hoc &c. Nec omnes Apoſtolorum ſer-
mones & decreta & ordinationes ſunt
ſcriptæ atramento, ſed traditæ per ſermo-
nem &c. 2. Theſ. 2. nec tota Biblia integra
habemus. Inſupèr Spiritusſanctus de cælo
datus eſt in die Pentecoſtes, Actor. 2. nec
legitur iterùm aſſcendiſſe in cælum, &
iam non eſſe in Eccleſia, cùm tamen di-
cat Chriſtus Iohan. 14. Rogabo Patrem,
& dabit alium conſolatorem, vt ſit vobiſ-
Iohan. 15. & 16. cum in æternum vſque ad conſumatio-
nem ſeculi &c. item ille teſtimonium per-
hibebit de me, ille me clarificabit, ille do-
cebit vos om̃ia &c. Sed nũquid iam ocia-
tur aut dormit Spiritusſanctus? an non per
Patres & Doctores adhuc docet Eccleſi-
am? an non adhuc perhibet teſtimonium
de Chriſto? ideò ſi quid adhuc reuelat il-
le, id etiam eſt verbum Dei, etſi nuſquàm
in ſcriptura expreſſum inueniatur. Sem-
per enim proficit Eccleſia, & profectus il-
le religionis noſtræ erit vſq; ad ſeculi con
ſummationem, ac magìs magisq; eruditur
& edocetur à Spiritusancto, licèt vna ſem-
per maneat fides in Chriſtum ſaluatoré,
Pſal. 118. ità quoquè Dauid dixiſſe legitur, Super
ſenes intellexi. Non igitur deroganda eſt
fides Deo Spirituiſancto: quod qui faciũt,
blaſphemi ſunt. Porrò ſciendũ eſt, ꝙ poſt
literalem ſcripturæ lectioné, vbi per ſe nó
eſt apta, tum authoritas totius Eccleſiæ ca
tholicæ proxima eſt illi ſua interpretatio-
ne: ideò illi magìs credere teneor, q̃ cre-
dere interpretationem vnius hominis vel
Doctoris etiam ſancti. Sic em̃ Auguſtinus
ait, Non crederem Euãgelio, ſcilicet, iuxta
meum intellectũ, niſi authoritas Eccleſiæ
& meũ approbaret &c. eſt em̃ Eccleſia co-
lumna & baſis veritatis, propter infallibi-
lem aſſiſtentiam Spiritusſancti: hoc nullo
modo poteſt dici de priuato homine. nã
2. Pet. 1. Scriptura non eſt priuatæ interpretatiõis,
ergò Eccleſiaſticæ interpretationis erit.
Nolunt SS. Patres & Doctores ſancti, do-
ctrina & miraculis clari, vt ipſis tanquàm
hominibus tantum credamus, quantum
ſcripturæ, vel vt æquentur eorum ſcripta
cum literis diuinis: at quòd nos nunc illis
credimus in expoſitionibus ſcripturæ, nó
ipſorum authoritas, ſed Eccleſiæ catholicę
facit. nã Eccleſia iubet nos illos audire: ipſa
enim probat ſpiritus, an ex Deo ſint, 1. Io-
han. 4. & reperit quòd ex Deo ſunt, quia
concordant in ſenſu & doctrina: ideò ha-
benda eſt fides Eccleſiaſticis Patribus &
eorum decretis. Inprimìs autem nobis ſu-
ſpecta eſſe debet expoſitio ſeu gloſſa Hæ-
reticorum & Schiſmaticorum, eò quòd
non habent teſtimonium totius Eccleſiæ
catholicæ, ſed ſolùm ipſi ſua laudãt, & po-
pulo pro veris obtrudunt: ſed quia ſunt
dati in reprobum ſenſum, & ſermo eorum 2. Tim. 2.
ſicut cancer morbus ſerpit, ideò non audi-
endi ſunt, quia ſentiunt contrà q̃ Eccleſiæ
ſentit authoritas. Iubet Apoſtolus Iaco-
bus, cum manſuetudine audire & ſuſcipe- Iacob. 1.
re verbum Dei, & tunc ſaluabit animas no
ſtras. Multi ex inuidia in clerum & alios,
audiunt verbum Dei, & ſe iactant proptер-
eà ſanctiores & iuſtiores eſſe alijs, & ex-
probrant & iudicant alios & condemnãt
ex Euãgelio: ſe tamen ipſos minimè emé-
dant, quia in aliorum vitijs Argo ſunt ocu
latiores, in proprijs autem lippi & cæci.
Verbum quoquè Dei & Spiritusſancti eſt,
quandò docentur conciliorum interpre-
tationes ſcripturarum, obedientia præce-
ptorum Eccleſiæ. Vndè cõtemptores ma-
ximè reſiſtunt verbo Dei, id eſt, ei quod
Spiritusſanctus hodiè reuelat: [illegible] qui tali
cæcitate ſunt percuſſi, illi non obediunt
Spirituiſancto, nec ſanam doctrinam reci-
piunt. At inquiunt: Pontifices, Epiſco-
pi ac cæteri Eccleſiarum præſides & Do-
ctores malè viuunt, crapulantur &c. Re-
ſpon. illa hominum ſunt peccata, & non
Eccleſiæ: impoſſibile enim eſt, omnes in
Eccleſia ex æquo probos & ſanctos eſſe, &
quin aliqui mali ſint, cùm & inter duode-
cim Apoſtolos Chriſti quoquè ſceleratus
ſit inuentus: non ſunt ergò illa vitia impu-
tanda ordini hierarchico, quem conſti-
tuit & confirmauit Chriſtus ſuo ſangui-
ne. Licèt itaq; quidam mali ſint, hoc non
derogat authoritati Eccleſiæ: ſed manet
ordo & puritas Eccleſiæ p ſe, quandiù Spi-
ritusſanctus doctor & inſtructor eius erit,
id autem erit vſq; ad cóſummationem ſe-
culi. Si iam ſunt mali prælati in Eccleſia,
hoc cõdonandũ eſt ſenectuti Eccleſiæ, ſi
ea fortè rugas & neuos habere incipiat,
appropinquante regno Antichriſti, non
tamen proptereà deſeréda aut contemné-
da eſt, ſed ex Chriſtiana dilectione illi cõ- 1. Cor. 13.
miſerandum, & ſufferenda eſt, quia chari-
tas omnia ſuffert, & alter alterius onera Galat. 6.
portare iubemur. & CHRISTVS
ipſe iubet audiri doctrinam Phariſæo-
rum, ſed non ſequi vitam aut facta ipſo-
rum. Matthæi 23. Super Cathedram Mo-
ſis ſedent Scribæ & Phariſæi &cæt. Quæ
dicunt,

dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite.

QVOD MERITVM CHRISTI ET MERITVM NOSTRVM NON SINT CONTRARIA, Cap. 23.

Ratio humana non potest capere, quomodò Christi meritum non sit contrarium nostro merito. Imaginamur enim quòd si aliquod meritum nostris foret operibus, quo ad salutem consequendam, id omninò derogaturum esse passioni & merito Christi, qui solus est propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Iohan. 2. Ob id reijcit ratio omne meritum nostrum in toto, nec vllum præmium expectat pro operibus. E diuerso quandò audit encomium operum Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & Matthæi 16. Reddet vnicuique secundùm opera sua, & Iohan. 5. Qui bona fecerunt &c. tunc ratio iterùm se erigit, quòd audit Deum exigere opera nostra tanquàm necessaria ad salutem consequendam, & cogitat quòd etiam aliquo nostro merito opùs sit ad eam consequendam, & non solùm sufficere redemptionem Christi. Huiusmodi pugnātia, ex humano & carnali intellectu & ignorantia scripturarum procedūt. Cùm enim primò audiunt, quòd debeant aliquid facere, id est, seruare legem & facere bona opera, obedire Ecclesiæ & superioribus, seruare cæremonias, ieiunia, orationes &c. dicunt, Ecce Christum volunt nobis adimere: alij verò timent quasi non satis bona opera fecissent vt saluētur, & anguntur quòd sufficiat illis meritum Christi, & sic in dubio viuunt sinè vera instructione. Pro quo notandum, quòd hoc ver-
Esai. 40. bum prophetæ Esaiæ, verbum domini manet in æternum: verum est, & igitur nihil de verbo domini perire potest. Vt enim Deus est æternus, ità & verbum eius æternum est: deindè nec Deus in sermone aut verbo suo sibi est contrarius, sicut homo esse potest, qui hodiè aliquid affirmat, cràs negat. Iacob. 1. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obum-
Psal. 115. bratio. est enim Deus verax, & omnis homo mendax, Roman. 3. ideò verbum Dei sibi constat, & non contrariatur sibi ipsi, & manet in æternum. Postremò, verbum Dei cùm sit ab vno & eodem Deo, ideò ex æquo valet & pondus habet in vno loco, sicut in altero: ideò vult DEVS vt vbiquè verbum suum honoretur & seruetur. Nam semper est vna & eadem Dei voluntas. Ideò sic locuti sunt Prophetæ, Hæc dicit Dominus: aut, Os Domini locutum est ad me &cæt. Deindè si credere in Christum, iam fit verbum Dei & voluntas eis, Iohan. 3. Vt omnis qui credit in filium &cæt. & Iohan. 6. Hæc est voluntas Dei, vt omnis qui credit in filium, &cæt. Sic Euangelium est verbum Dei de Christo nato & passo pro nobis. 1. Corinth. 15. Hoc est Euangelium meum, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, &cæt. hoc verbum vult & præcipit Deus, vt credamus in filium eius IESVM Christum. Est igitur credere in Christum, verbum Dei: ad quam fidem nos ducit tota scriptura. Porrò obedire & seruare præcepta, est quoquè verbum & præceptum Dei: Deus enim dedit & locutus est in sua persona præcepta decalogi, vt patet Exod. 20. Non habebis deos alienos coram me. Est igitur lex non minùs verbum Dei, quàm Euangelium ipsum de Christo: & Christus ea repetit in Euangelio Matth. 19. inquiens: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. & 1. Iohan. 5. dicitur: Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. Hoc verbum Dei adeò vrget nos ad obseruantiam sicut primum, id est, Euangelium: & Christus non solùm condonat peccata per fidem in baptismo, sed etiam vltrà donat Spiritumsanctum cum fructibus suis, Galat. 5. vt adiuuet nostram infirmitatem, Rom. 8. quatenùs legi obediamus. Si igitur verbum Dei ex æquo vbiquè efficax est, & manet in æternum, sequitur vt non solùm ad fidem verbi, sed etiam ad obedientiam verbi seu legis teneamur quicunque cupimus salutem. Sed hoc discrimen summoperè notandum est inter opera CHRISTI, id est, meritum ipsius & sanguinis effusionem, & inter opera nostra, id est, inter obedientiam nostram præceptorum, ieiunium, eleemosynam, orationem, &c. Nam tametsi hæc ex æquo requirantur ad consequendam salutem, non tamen vno eodemque modo. nam alio & diuerso modo sunt necessaria opera Christi, & alio modo sunt necessaria opera nostra: & ideò non sunt contraria, meritum Christi & meritum nostrum, ex obedientia legis DEI. Solùm nè fiat mixtura, sed vnumquodq; maneat intra suos limites, tunc omnia correspondebūt, & sese optimè

mè compatientur. Vbiquè enim verbum
Dei manet & verum est, & ex æquo effi-
I. Differentia. cax ac salutare. Prima differentia inter
Christi opera aut merita, & inter nostra,
est hæc, quoniam sanguis Christi effusus,
hæc victima, hoc opus propitiatorum me-
ruit verè & totaliter sua virtute & effica-
tia salutem & remissionem toti mundo.
1.Iohan. 2. Ipse est propitiatio pro pecca-
tis totius mundi. Esai. 53. ipse peccata no-
stra portauit. & 1.Pet. 1. Non auro & ar-
gento corruptibili estis redempti, sed pre-
cioso sanguine agni immaculati. 1. Co-
rinth. 6. Precio magno empti estis, &cæt.
Sed opera nostra bona, id est, fides & obe-
dientia legis, solùm media sunt, quibus
appræhendimus & in nostram vtilita-
tem conuertimus hanc salutem, per solum
Christum primò promeritam: nec nostra
virtute meremur remissionem, sed solùm
appræhendimus. Igitur non sunt contra-
ria: sinè tamen fide & obedientia legis,
nemo participabit illam promeritam gra-
tiam. Nam indignis (id est, infidelibus) &
ingratis (id est, neglectoribus operum &
obedientię legis) non distribuitur, &cæt.
Ità 2.Corinth. 5. admonet Apostolus, di-
cens: Deus totum mundum per ipsum fi-
lium reconcilauit, & rogat vt & nos per
Christum cum Deo reconciliemur, hoc
est, vt vtamur ac participemus ipsius re-
demptionem, & appræhendamus per fi-
II. dem & obedientiam legis. Secunda dif-
ferētia inter opera & merita Christi & no
stra, hæc est, quia opera Christi non ex
gratia imputantur, vt valeant pro redem-
ptione mundi, sed ex iure & iustitia debi-
ta ex merito effusi sanguinis valent, & me-
ruerunt efficaciter salutem totius mun-
di, quia ipse est victima, & in ipsum pater
posuit omnia peccata nostra. Esai. 53. &
ipse peccata nostra portauit in ligno, fa-
ctus pro nobis maledictum, Deuter. 21.
Galat. 3. At opera nostra ex gratia solùm
imputatiuè valent ad hoc, vt apprahen-
dant gratiam: at mereri & appræhendere,
multùm differunt. Nihil enim appræhen-
ditur, quod non est priùs promeritum vel
impetratum. Cùm igitur opera nostra &
merita, ad solam appræhensionem Chri-
sti operum seu beneficiorum sese exten-
dant, ergò nō sunt contraria merito Chri
sti: nos solùm hoc accipimus, quod Chri-
stus nobis per sua opera meruit. 1.Cor. 6.
Abluti & sanctificati estis in nomine no-
III. mini nostri Iesu Christi. Tertia differen-
tia est, quòd opera Christi dant salutem
æternam, vt Ioh. 10. Ego cognosco oues
meas, & do eis vitam æternam. & Ioh. 17.
Vt omnibus quos dedisti mihi, donem vi-
tam æternam. Sed opera nostra non dant
salutem aut vitam æternam, sed solùm re-
tinēt, nè iterùm amittamus gratiam illam
apprehensam & promissam salutem. Rom.
8. Si secundùm carnem vixeritis, morie-
mini. Ideò non sunt contraria meritum
Christi & opera nostra. Christi opera re-
mittunt peccata, conferunt gratiam & sa-
lutem: nostra verò retinent, & cum fide
appræhendunt. Sed dices: Fides ante omīa
opera appræhendit remissionem peccato-
rum & promissionem salutis, ideò opera
nostra non sunt necessaria. Respon. tam-
etsi fides primo gradu præcedit dilectio-
nem & spem, & sic appræhendit iustitiam:
attamen non retinet illam, nisi accedat &
dilectio. Ob id simul vno momento in iu-
stificatione infunditur fides & spes & cha-
ritas, id est, Spiritussanctus cum fructibus
suis, Galat. 5. & ad Titum 3. cap. quem spi-
ritum effudit in nos abundè. Rom. 5. cha-
ritas diffusa est in cordibus nostris. ob id
iustificatio non solùm est iustificatis re-
missio peccatorum, sed & sanctificatio &
renouatio interni hominis. Ad hoc igitur
datur Spiritussanctus, qui etiam nos faci-
at realiter iustos, vt nō solùm reputemur
iusti. Fides igitur est initium humanæ sa-
lutis, sed Spiritussanctus adfert dilectio-
nem quæ retinet. Quarta differentia est, IIII.
quòd opera Christi sunt hostia pro pec-
catis totius mundi. Esai. 53. Oblatus est,
quoniam ipse voluit, id est, pater. At ope-
ra nostra siue martyria, orationes, ieiu-
nia &c. nón sunt sacrificia vel hostia pro
peccatis mūdi, sed solùm sacrificia laudis,
gratiarum actionis & confessionis fidei,
aut fidem testificantia. Philip. 1. repleti fru
ctu iustitiæ per Christum Iesum, in glo-
riam & laudem Dei. Matt. 5. Sic luceat lux
vestra coram hominibus, vt videant ope-
ra vestra &c. Quinta differentia est, quòd V.
opera Christi tollunt pœnam & culpam
æternam, & placant iram Dei æternā, sicut
dicit Ioh. 8. Si non creditis quia ego sum,
moriemini in peccatis vestris. ideò ab illa
ira nemo nos liberauit, nisi Christus: At
opera mitigant ac placant irascentem De-
um in præsenti, quo ad pœnam tempora-
lem. Sic Niniuitarum opera mitigabant
pœnam temporalem, Ion. 3. Sic 2.Reg. 24.
Oratio & humiliatio Dauid, quandò po-
pulus peste percutiebatur. Sic Daniel do-
cuit regem dare eleemosynam, Daniel. 4.
Cum

Cùm ergò opera Christi tollunt pœnam & culpam æternam, nostra autem solùm temporalẽ, ideò non sunt æqualia aut contraria sibi merita. VI. Sexta differentia est, ꝙ opera Christi sunt ipsa misericordia, vita æterna, veritas: nostra autẽ, sunt dona Dei. Et in summa, meritum, opera, iustitia nostra, nihil adimunt merito Christi: præcedit enim & præfertur omnibus modis Christi opus propitiatorium nostris operibus, nec habet sibi secundum in toto mundo: hoc igitur opus Christi propitiatorium solùm retinet honorem & virtutẽ suam: ille enim tanq̃ dominus dat, nos verò tanq̃ serui recipimus: fides autem & opera nostra, media sunt, & nõ merita, necessaria ad appræhensionem & retentionem salutis, nõ ad meritum illius. Ideò non adimitur tibi Christus, quandò docentur hæc pia opera, fides, dilectio, obedientia præceptorũ. Marc. 1. Nam qui dat remissionem peccatorũ, etiam ille iubet pœnitere: qui dat panẽ quotidianum & alia necessaria, Matth. 6. ille etiam iubet nos petere & orare: qui dat salutem propter Christum, ille etiam iubet seruare sua præcepta & voluntatem. Matt. 7. Nõ omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnũ cælorum &c. qui promittit se custodire nos velle, ille etiam iubet vigilare cõtra Sathanã & tentationẽ carnis & mundi. 1. Pet. 4. Estote prudẽtes, & vigilate in orationibus &c. qui ꝓmittit pacem ab hostibus, ille etiã iubet obedire superioritati, Ro. 13. & sic de alijs his similibus. Vbiquè enim est verbũ Dei atq; præceptũ, & ideò vbiquè exigitur obediẽtia. At tu vis habere remissionẽ sinè pœnitentia, salutẽ sinè obedientia, gratiam Dei sinè Sacramentis, panem sinè petitione, custodiam & securã quietem sinè vigilia, pacem sinè obedientia superiorũ &c. Tales sunt nimirùm hodiè Euãgelici illi, qui securi in vtranq; aurẽ dormiẽtes, per solã fidẽ suã cælũ & iustificationem, tanq̃ canis pisces, somniãt. Sed haud cõsequenter id, quod falsò sibi persuadẽt, & populũ tali opinione imbuũt: Omia volunt gratis habere, ꝓpter Christũ, & nihil facere, & ꝑscripta ab ipso Chro media nolunt recipere, sicut si rusticus vellet frumenta & fructus terræ sinè cultura & labore suo, licèt fructus quãdò dantur, non propter nostrũ laborem vel culturam solùm dantur, sed Deus dat incrementum, 1. Cor. 3. Si dices, ꝙ gratis distribuit iustificatio, & fides gratis recipit: hoc quidẽ verum est, nempe ꝙ gratis, id est, sinè nostris meritis: sed non tamen sinè medijs, à Christo & verbo Dei ordinatis, &cæt.

DE PECCATO ET GRATIA, QVID SINT ET EFFICIANT. Cap. 24.

Peccatũ, est amissio gratiæ & regni Dei & originalis iustitiæ, corruptio naturæ, q̃ facta est in primo parente, in quo nos oẽs peccauimus, Rom. 6. Ex hoc peccato est cæcitas mentis, vanitas cogitationũ, & rationis diminutio ad bonũ faciendũ vel cogitandũ, 2. Cor. 3. ex nobis tanq̃ ex nobis. Hinc omnes calamitates & morbi, Rom. 8. corpus mortuũ est, i. factũ est mortale, ꝓpter peccatũ, spiritus verò viuit ꝓpter iustificationẽ, quam homo fide tenet. Ex hoc enim peccato priuamur vita naturali. Genes. 2. Quacunq; enim die comederis ex eo, morte morieris. Deindè ꝙ damnamur, & sub potestate diaboli sum⁹, donec liberemur per Iesum Chrm filium Dei. Deindè misit Deus filiũ suũ in mundũ, vt esset victima pro peccatis totius mundi, super quẽ etiam posuit omnia nostra peccata, Esai. 53. & hæc missio filij ex mera Dei misericordia facta est, nõ ex operibus iustitiæ q̃ fecimus nos, Tit. 3. Hæc obedientia filij vsq; ad mortẽ, sic placuit patri, vt propter illam omia reciperet in gratiã & fauorẽ suum, siue quæ in cęlis, siue q̃ in terris sunt, omia pacificãs per sanguinẽ crucis eius, Colos. 1. Deindè propter hanc filij obedientiam & mortem Deus pater statuit omibus misereri, oẽsq; iterùm recipere in gratiã suam, id est, remissurũ se esse omia omniũ peccata, & regnũ æternũ priùs amissum per peccatũ parẽtum, iterùm restituturũ esse. Ioh. 6. hæc est voluntas Dei patris, vt omis qui credit in filiũ, habeat vitam æternã: & si mortuus fuerit, ego resuscitabo eũ. & 3. cap. Sic Deus dilexit mundũ, &c. Illa receptio in gratiã Dei, nihil aliud est, nisi remissio peccatorũ, acceptatio ꝑsonæ ad vitã, & imputatio iustitiæ, q̃ omia fides apphendit gratis ꝓpter Chrm, & nõ ꝓpter nostra merita vel opera. Ro. 3. Iustificati gratis gr̃a ipsius ꝓpter redemptionẽ, i. mortem Chri, non ꝓpter nostra opera vel merita: quẽ etiam proposuit propitiatorẽ, i. sedem gratiæ per fidẽ, scilicet q̃ hæc apphendat, ex sanguine ipsius. Porrò fides est, in Chrm corde credere, & ore cõfiteri Chrm, i. illam ꝑsonã esse Dñm, id est, Messiã ꝓmissum patribus: deindè credere, ꝙ verè mortuus sit ꝓ peccatis nostris, & sua morte cælũ nobis impetrãrit, & sua resurrectione factus sit Dñs & tri-

& triumphator peccati, mortis & Sathanę, quæ omnia vicit, 1. Cor. 15. Tertiò, firmiter credere, quòd promissam Dei misericordiam propter illum certò apprehendamus & impetremus, ficut dicit Iohan. 16. Si qd petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis &c. Etiam preciosus eius sanguis non est gratis effusus, & ꝙ solus sit propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Ioh. 2. id est, ꝙ nullum sit aliud opus propitiatoriū in mundo, quod mereri possit salutem & remissionem, præter vnicum hoc. Heb. 9. Semel introiuit in sancta, & reperit æternam redemptionē: hanc fidem in Christū quicunq; habuerit, Deus ei tria donat: primò remissionem peccatorū, quæ remissio est gratia & misericordia Dei. Deindè remisso & amoto peccato & condonato, donat donū gratiæ, id est, Spiritumsanctū Rom. 5. cum fructibus suis, Galat. 5. Deindè exhibet regnum cæleste: Atq; sic Deus non solùm remittit peccata, sed etiam donat vltra hoc Spiritumsanctum cum suis fructibus, vt his operetᵘ ipse in homine, & mortificet facta carnis. Sed hæc omnia gratis propter Christū, & nō propter nostra merita. Est igitur iustificatio nihil aliud, nisi remissio peccatorum, acceptatio personæ ad vitā, & donatio Spiritussancti cum suis fructibus. Nam quem Deus iustificat, ab illo tollit peccata, aut ei non vult imputare hæc propter Christum: amoto igitur peccato, homo efficitur iustus imputatiuè, licèt peccator adhuc sit in carne. Hæc autem autem amotio peccati, & imputatio iustitiæ, fit propter Christum, nō propter nostram pœnitentiam & contritionē, licèt hæc quoquè necessariò exigātur. Rom. 8. Nihil damnationis habēt, qui insiti sunt Christo, qui secundùm carnem non ambulant, id est, qui fidem Christi habent, non damnabuntur, eò quòd peccatum amotum est & remissum. Deindè eodem momento quo peccatum amouetur, & homini imputatur iustitia, donatur Spiritussanctus, qui est donum in gratia, Rom. 5. Gratia igitur est immerita misericordia Dei, qua hominem peccatorē iterùm propter Christum amplectitur, & recipit in pristinum fauorem suum, & ei condonat peccatū, & pro iusto reputat: at donum in gratia, id est, Spiritussanctus quoquè datur in iustificatione: Nam Deus nō solùm remittit & donat peccatū, sed præter hoc etiam dat Spiritumsanctum cum suis fructibus, id est, dilectionem, spem, timorem Dei, pacem conscientiæ &c. illa enim fructus sunt Spiritussancti, Galat. 5. At dices, si homo peccator iam fide est iustificatus, quia condonata sibi sunt peccata, ad quid nunc donatur etiam Spiritussanctus? Respon. Vt hominem reddat iustiorem. nam iustificatio solùm per fidem inchoatur, & imputatiuè homo in spiritu est iustificatus per fidem. Sed Spiritussanctus mortificat & expellit vitia & facta carnis: per humilitatem expellit superbiam, per continentiam luxuriam, per timorē transgressionem legis diuinæ &c. item adiuuat & confortat spiritum nostrum, vt sit constans in fide, oratione, ieiunio, largitione, &c. & sic per dilectionis opera, quæ sunt fructus Spiritussancti, purificatur caro nostra à malis motibus & mortificatur: atq; hoc pacto homo fit iustior, id est, magis iustificatur. Nam prima iustificatio quæ fit per fidem, solùm in spiritu & mente cōsistit: at nunc vltra hoc etiam dilectionis operibus corpus & facta nostra purificantur, id est, homo intùs & foris iustior redditur, iuxta illud Apocalyp. 22. Qui iustus est, id est, imputatiuè, inchoatiuè & in spiritu, ille iustificetur adhuc: nempè per dilectionis opera & Spiritum sanctū, qui ad hæc operāda nobis donatur, & necessariò ad id requiritur. Et Ioh. 15. Pater purgat palmitem, vt fructū copiosiorem afferat. Datur enim ob id Spiritussanctus in iustificatione, vt inchoatam & imputatam iustitiam propter Christum, efficiat perfectiorē, & quasi cōsummet ipsam per dilectionem & alias virtutes, atq; eam retineat: aliàs enim iterùm amittit. Ità quoquè Abrahæ iustificatio fuit consummata per oblationem filij sui, Gene. 22. Iacob. 2. Ad consummatam igitur iustitiam seu iustificationem in nobis exiguntur dilectionis opera, timor Dei, obedientia legis, sanctitas vitæ &c. & sic huiusmodi opera dicuntur quodammodò iustificare peccatorem, id est, iustiorem reddere. Hæc igitur est altera pars veræ iustificationis, sinè qua parte prior non retinetur, præsertim in adultis hominibus, neq; efficax est. Rursus hæc altera pars iustificatiōis, (qua quis iustior fit) per opera aliqd valet sinè priore iustificatione, quæ per fidē appræhensa est. Est igitur plena & consummata & perfecta iustificatio hominis Christiani, fides vera seu viua per dilectionem operans, Galat. 5. Qui ergò somniant, solùm sufficere priorem sinè sequente obedientia legis, il li non integram, sed dimidiam habent iustificationem. Integratur ergò iustificatio

non

non solùm euangelio, i. fide, sed & lege, id est, operibus. Rom. 3. destruimus legẽ (id est, obedientiã præceptorum) per fidẽ, id est, per euangeliũ, quandò arbitramur hominẽ iustificari fide absq; operibus legis? absit, immò statuimus legẽ. Est igitur necessaria dilectio & obediẽtia legis & opera bona. His enĩ redditur homo iustior &c. Insupèr iustificatio non est eiusmodi res, quę hora vna vel die vel anno transeat, sed quæ per totam vitã durat vsq; ad mortem hominis: tũc cessat, sicut & baptismus. Sed idem sunt mortificare carnem, & fieri iustiorem per pœnitentiam & alia bona opera. Vana est igitur illa Sectariorum iactantia, ꝙ fide iustificati sint, & id satis esse, nihil verò esse opera &c. Dedit enim Deus legem decalogi, & præcepit bona opera, quatenùs post iustificationẽ fidei primam, iustiores & perfectiores euadamus, nè illam primam iterùm amittamus. Quoniam ergò vtrunq; donũ Dei est, i. gratia ipsa per se & grãæ donũ, quod est fides & dilectio, Christus & Spiritussanctus, ergò ꝙ ego credo, ꝙq; facio opera dilectionis & legis diuinæ, id totũ Deus in me operatur. Iohan. 14. Sinè me nihil potestis facere. & Esai. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Dñe. 1. Cor. 4. Quid habes quod nõ accepisti? Ego igitur nõ facio propria virtute mea, sed Dei dona sunt, sicut & Paulus ait ad Phil. 4. Omnia possum in eo qui me cõfortat. Nõ igitur vel fides, vel dilectio, vel vlla opera nostra sunt causa iustificatiõis, sed Deus coronat sic dona sua, vt per fidẽ apꝑhendamus Chri beneficiũ: quæ tamen ipsa fides est donũ ipsius Dei, & per dilectionẽ, id est, per opera dilectionis & obedientiam legis appręhendimus præmia & regnũ cælorum ex gratia, id est, ex sua voluntate sic ordinante. Et quoniã hæc appræhendimus nõ propter nostram dignitatem, sed propter Christum, ideò gratìs nobis distribuuntur. Datur igitur fides, vt peccator sit imputatiuè iustus coram Deo propter Christũ: datur Spiritussanctus, vt hominẽ qui in prima iustificatione spiritu & mẽte fuit factus iustus, nũc quoquè sua operatione & fructibus faciat realiter iustũ & probum: datur enim Christus, qui tollit peccatũ in anima, & iustificat: dat quoquè Spiritussanctus, qui corpus reddat purius, & mortificet facta carnis, vt homo per totã vitam acceptũ Christum retineat, & per peccata & opera carnis amittat: quoniam qui talia faciunt, licèt fidem habeant, regnum Dei non possidebunt: & si secundùm carnem vixeritis, moriemini, Rom. 8. Summa, sicut in Adam oẽs moriuntur morte æterna, ità in Christo omnes viuificabuntur vita æterna: hæc est simplicissima fides & doctrina Catholica de peccato & gratia Dei: nec contrarium docetur iustitiæ fidei, quandò docetur quoquè altera pars iustificationis: nam & illam Deus Spiritussanctus operatur in nobis, id est, donũ ipsius est, sicut & fides: non nobis asscribimus aliquod meritum, sed totum in misericordiam Dei propter Christum transferimus: quia tam gratia, id est, misericordia Dei patris, virtus passionis Christi, quàm operatio Spiritussancti, in nobis omnia gratìs, id est, sinè merito nostro distribuuntur. Est quoquè vnũ meritum Christi & nostrum, tametsi se differenter habeãt, quia alterum, id est, Christi, tollit peccatum sua efficacia & virtute: alterum verò, id est nostrum, habet virtutem appræhẽdendi cum fide ipsam remissionem & salutem: ideò dicimur ab Apostolo cooperatores Dei, 1. Corinth. 3.

QVOMODO REMISSIO PECCATORVM CERTÒ CREDI DEBEAT. Cap. 25.

IOhannes apostolus in prima epist. sua, cap. 5. ait, qui non credit, scilicet ꝓmissioni diuinę, Deũ mendacem facit: qui dedit testimoniũ, id est, promissionẽ de filio, ꝙ propter illũ velit misereri, condonare peccata, dare Spiritũsanctum: qui ergò hoc nõ credit aut dubitat, is Deũ mendacẽ facit: & non dat honorẽ Deo, nec verbo eius, & sic grauiter peccat. Ioh. 3. promittit, ꝙ omnis qui credit in illum, nõ debet perire, sed habere vitã æternã. & Act. 10. Huic oẽs prophetæ testimonium perhibent, remissionẽ peccatorũ accipere in nomine eius. & Rom. 4. mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationẽ nostrã. ideò Abraham cõmendatur, & reputatur ei fides sua, qua credidit Deo de prole habenda, ad iustitiam. Hoc igitur pro maximo Dei honore habendũ est, credere eius verbo & ꝓmissioni: ibì quoquè est certitudo, quia impossibile est Deũ mentiri, Heb. 6. Illa aũt certitudo remissionis peccatorũ, ex eo cõstat, quoniam propter Christum, & non propter opera nostra, promissa est remissio peccatorum: nam si promissio penderet à nostris operibus, quæ nunquàm sunt nec erũt perfecta, idq; propter immunditiem, & ideò semper lex accusat conscientiã, & iram

iram operaf, Ro. 4. nunq̃ certi essemus de remissione peccatorũ: ideò cùm audimus doctrinam hanc, quòd propter Christum iustificamur, id est, remissionem peccatorum accipimus, tunc certi sumus de salute & remissione peccatorum. Si enim perfectè & purè quis posset implere legem, tūc ex lege penderet etiam remissio. Sed cùm nemo perfectè seruet legem Dei propter internam immunditiem, ideò iustificatio adimitur legi, & trāsfertur in solum Christum, & hoc propter certitudinem ipsius remissionis & salutis, nè de ijs dubitemus: ideò ex promissione pendet hæc certitudo, vt sit promissio certa & firma, Rom. 4. certa aũt non esset, si ex operibus nostris pēderet, quæ imperfecta sunt & immūda. Ex quo sequit, ꝙ illa doctrina quorundā non est vera, cùm docent, ꝙ homo semper dubitare debeat de remissione suorũ peccatorum &c. Est enī Dei immutabile præceptum, vt credamus in filiũ eius, 1. Ioh. 3. & illum acceptemus, & ꝓmissioni diuinæ credamus, id est, testimonio patris, sicut Apostolus docet, ꝙ promissionē illam fide acceptare nos oporteat: ità oportet iustificationem venire per fidē, vt illa sit ex gratia, & ꝓmissio firma maneat. Credere igitur remissionem peccatorum, & dubitare de remissione, pugnant: qui ergò fiduciam iustificationis locant in operibus suis, illi fortasse dubitant, eó ꝙ conscij sibi sunt, opera ipsorum esse imperfecta. Cogimur aũt per articulum Symboli fidei, q est, Credo remissionē peccatorũ &c. vt oporteat nos firmiter credere hoc quod Deus promisit, & fides ꝓmissionis appræhendit gratiam, & sic nullum remanet dubium de iustificatione, quia fide consolatur & certificaf de verbo, quod Deus ipse promisit, qui fallere & mentiri nō potest. Quod verò dicitur Eccēs 9. Nescit homo vtrũ amore an odio dignus sit, nō potest trahi ad hunc articulum remissionis peccatorũ, quæ remissio certificatur per verbum promissionis diuinæ atq; Euangelij. Si nulla esset promissio remissiōis propter Christum facta, aut nullum esset Euāgelium, neq; fides esset, atq; sic homo naturaliter nesciret, an Deo placeret nécne, sicut naturaliter nescit finem suum, eó ꝙ nō habet promissionem, qua hora vel die mori debeat. At quia promissio remissionis, ꝓpter Christum facta & expressa est, & vbiquè in Euangelio prouulgatur, Ioh. 3. Lucæ vlt. prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionē peccatorũ &c. Act. 10. ideò nemo dubitare debet de hoc articulo fidei, nempè, credo remissionem peccatorũ, sicut nec de alijs dubitare debet. Est enim fides fiducia certa consequendæ misericordiæ propter Christum: nō est opinio, vel ambiguum aliquid, sed certa fiducia, & firma substantia rerum sperandarũ, Heb. 11. ipsa fides. Nemo igitur de remissione peccatorum dubitare debet, sicut nec etiam nimiùm securus esse, quasi sinè omī bono opere incedere velimus, & quasi Deus teneatur nobis ex obligatione dare remissionem peccatorum &cæt. Timere autem Deũ debemus, nè offendamus ipsum per multitudinem & incessantiam peccatorum, sed tamen nō dubitare de hoc articulo remissionis peccatorum. oportet enī vt fides verbi Dei vincat naturalem nostrā dubitationem, vtque transcendat supra rationem. Porrò plurimùm cōsolationis habet hoc ꝙ scimus, ꝙ voluntas Dei & præceptũ eius sit, vt vnusquisq; pro se remissionem peccatorum credere debeat. Ioh. 6. inquit Christus: Hæc est voluntas Dei, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Si ergò Deus vult vt hoc credamus, nemo certè dubitare debet de remissione peccatorum. At opponit se ratio humana, & dicit: Promissio de remissione impetranda, est conditionalis: nam dicitur mihi, si sufficientem & veram pœnitentiam habuero, si mandata seruauero, si sātis diligā &c. & nouit Deus qui sint digni vel indigni &c. ergò remissio peccatorũ est incerta. Respon. Hîc oportet scire differentiam legis & Euangelij. Nam ex tali ignorantia hoc genus argumentandi venit, & dubitatio remissionis: quotiès ergò aliquid præcipitur, quod tu facere debes, aut quod pertinet ad nostra opera, verba, cogitatiōes, hæc omnia pertinent ad legem: nam lex iubet aliquid facere, & semper vrget & postulat à nobis opera, sicut patet in duabus tabulis Mosis Exod. 20. & in alijs præceptis euangelicis de ieiunio, eleemosyna, oratione, vigilia, paupertate spiritūs, patientia in aduersis, misericordia, mūditia cordis, castitate &c. hæc & similia omnia ad legem pertinent, & illorum operum obseruantia habet ꝓmissionem præmiorum, si seruantur à nobis: Sin minùs, sequetur pœnarum irrogatio, & in tertiam & quartam generationem punitio, sicut promissio præmiorum in mille &c. Exod. 20. Leuit. 26. Deut. 28. Lex igitur habet habet cōditionē, nēpè, si quis hoc obseruauerit: vel, si quis hoc nō fece-

fecerit &c. Deindè, quotiès aliquid recipimus & petimus à DEO, id quod credimus & speramus, & in Sacramentis appræhendimus, illa omnia pertinent ad Euangelium, & illa fides gratis appræhēdit, credens promissioni diuinæ factæ propter Christum: ità quòd fides respicit ad promissionem, quæ solùm facta est propter Christum, & propter nullum opus legis aut meritum hominis. Sic remissio peccatorum est promissa solùm propter Christum, Actor. 10. sic donatio & promissio spiritussancti, solùm propter Christum facta est, Ioan. 16. Spiritum sanctum quem dabit pater in nomine meo, &c. Sic gratia & donum vitæ æternæ propter solum Christum datur, Ioan. 3. Et quanuis nostra pœnitentia, oratio, & obedientia legis etiam fieri debeant necessariò, attamen huc non respicit fides, an pœnitētia, oratio, obedientia legis sit sufficienter à nobis facta, an non, &c. non quærit hîc conditionem, si satis pœnituero, si satis dilexero, &c. Sed simpliciter credit verbo promissionis, gratis propter Christum factæ, non propter nostram sufficientiam operum aut dignitatem, sed gratis omninò confertur Rom. 3. Iustificati gratis gratia ipsius: ergò promissio hæc Euangelica de remissione peccatorum, non est conditionalis, & per consequens non incerta: illa autem promissio solùm exigit fidem. At dices iterùm, Nihil ergò impediunt peccata? an saluat impœnitentem fides in solam promissionem? Respon. absit. Hæc enī duo omnes Christiani scire debēt, & verissimè credere, nempè quòd is qui in peccatis contra consciētiam & apertè legem Dei violando viuit & pergit, debet certissimè statuere, se esse in ira Dei, &c. si non fuerit cōuersus in tempore, nec pœnituerit aut cesset, quòd incidet in æternam damnationem. Sic enim dicitur 1. Ioan. 3. Qui peccat, scilicet manifestè contra legem Dei, ex diabolo est. Secundò scire debemus, quòd est seriū Dei mandatum, vt à peccatis cessemus & pœniteamus, vt tunc illam promissionem suam, propter Christū acceptemus & credamus, qua promittit gratiam propter Christum & remissiōem peccatorum: qui autem hęc non credit, hic primò Deum mendacem facit, 1. Ioan. 5. deindè nunquàm erit certus de salute. Ex quo sequitur, quòd qui contra conscientiam & legem Dei pergit in peccatis, huius fides in promissionem Dei
1. Ioh. 3. nulla est & inefficax, sicut Ioā. dicit: Omis qui in eo manet, non peccat, scilicet contra conscientiam & legem manifestè, &c. & omnis qui peccat, id est, malam habet conscientiam, non videt nec cognoscit eum: filioli, nemo vos seducat. qui facit iustitiam, id est, habet conscientiam bonam & fidem, hic iustus est, id est, appræhendit promissionem de Christo per fidem, & sic iustus est: qui autem facit peccatum, hic ex diabolo est, id est, non appræhendit gratiam Dei, eò quòd viuit sub diabolo, peccando contra conscientiam & legem Dei manifestè: ideò Apostolus Paulus 1. Tim. 1. hæc duo coniungit semper, fidem scilicet in promissione, & conscientiam bonam, nè per malam conscientiam impediatur appræhensio & effectus promissionis diuinæ. E diuerso etiam si conscientia est recta & bona, & fit cessatio à peccatis, pœnitentia, confessio, & contritio, & obedientia legis DEI &c. attamen hæc omnia propter imperfectionem & immunditiem internam non certificant nos de remissione peccatorum & salutem: semper enim lex accusat & iram operatur, Rom. 4. ideò adhuc sola fides, quæ credit promissioni, illa nos in CHRISTO certificat de gratia CHRISTI. Nam qui credit in filium, habet testimonium Patris, id est, promissionem in se, 1. Ioan. 5. quia pater mentiri non potest. Hoc ergò inprimis notandum venit, quòd licèt in nobis per spiritumsanctum noua obedientia, vita, dilectio, pax, gaudium, &c. inchoata sit, non tamen cogitandum aut putandum est, quòd persona ideò habeat remissionem peccatorum, & nunc sit vsque adeò pura, quòd non indigeat vlteriùs remissione peccatorum & mediatore: nondùm enim caro eius ad plenum est mortificata, quod solùm fit in ipsa sepultura. Ideò DEI filius est & semper erit mediator, & stat in occulto consilio DEI, & orat pro nobis, Hebr. 9. nè seuera ira DEI ob peccata in nos effundatur. Illud igitur vtrunque semper scire debemus, adhuc in nobis esse & manere peccata, semper & indigere remissione & mediatore, quantumuis iam nouam vitam inchoauerimus per operationem spiritussancti, etiamsi dilectionem plenam & obedientiam legis Dei habuerimus: alterum est, vt semper certò credamus & teneamus, quòd Deus pater nostrî velit misereri propter Christum, qui hoc promisit, & in hunc finem Deus etiā fecit manifestari hanc suam voluntatem & promissionem in sacro Euangelio, quod nos tantùm eò ducit vt creda-

damus promissioni, quæ solùm propter filium nobis facta est. Sic Paulus 1. Corin. 4. inquit: Nihil mihi conscius sum, id est, habeo conscientiam bonam, sed tamen in hoc iustificatus non sum: qui autem me iudicat, Deus est. Hic cernitur fides & cōscientia bona, fides in promissionem, attamen etiam conscientia recta opùs est. Item sola hæc fides in promissionem de Christo factam, liberat nos à dubitatione de remissionis certitudine. Discernit nos à cæteris gentibus, quæ etiam doctrinam & pulchras virtutes habent: sed tamen dubitant, an Deus hæc curet & exaudiat, vel quidnam Deus cum homine agere tādem velit &c. Ideò fiducia illa, quòd Deus certò personam acceptare velit, & ei propter Christum commisereri, & exaudire orationem &c. hæc, inquam, fiducia in mediatorem, instante iudicio extremo, intenta & respiciens, debet semper in hac fragili vita cæteras virtutes obumbrare. In summa, promissio de Christo, excellit & præstat cæteris omnibus virtutibus & operibus bonis hominis, & habet testimonium patris, 1. Iohan. 5. ideò illa non potest falli: ob id certificat etiam de remissione peccatorum & salute: quantum ergò quis dubitat de verbo promissionis, tantum est incertus de remissione, & fit illi secundùm fidem suam. Ideò fides respicit ad solam promissionem, & non in alia opera, quę tamen etiam fieri oportet, quæ spiritussanctus operatur in nobis. Sed illa omnia propter imperfectionem non certificant personam. Dubitare ergò de hāc promissione, propter Christum filium factā, est subuertere totam Euangelij doctrinā, & confundere omnem consolationem, & spem conscientiæ peccatricis, de qua re tamen multa & præclara extant exempla. Ideò licèt homo naturaliter dubitet, & Sathan suggerat nè credat certò remissionem, ꝑpter Christum, sicut & ab initio mundi extinxit illam fidem promissionis propter Christum, attamen semper iterùm Dei beneficio est manifestata & reuelata atque retenta, & ideò promissio facta, vt hanc dubitationem pellat: nam si nulla esset promissio, tūc meritò dubitare ratio posset, sed quoniam iam Deus, Deus inquam ipse, hoc dixit, ꝑmisit & iussit, ideò dubitatio omnis procùl à nobis facessere debet ob promissionem à Deo factam. Summa ergò consolatio conscientiæ nostræ in hac vita, est ipsa promissio propter Christum factā, de qua non dubitare debemus, quandoquidem non homo, non angelus, sed Deus ipse fecit. Et quanuis habemus inchoatam nouam vitam & bona opera, quia tamen illa sunt imperfecta propter internam immunditiē, ideò oportet vt semper fides supereemineat & obumbret illa in Iesum Christum, ꝑpter quem iustificamur, & gratis in gratiam recipimur.

QVOD PROMISSIO PROPTER CHRISTVM FACTA à Deo, summa consolatio conscientiæ est. Cap. 26.

PRimò omne studium omnesq; cogitationes eò pręcipuè tendere ac dirigi debent, vt certò credamus promissioni diuinæ propter Christum factæ. sic omnis sermo prophetarum, Apostolorum & doctorum, ab initio huc tendunt, vt crederemus omnes promissioni Dei propter Christum factæ. Nam ilicò post casum hominis primi, promissum est semen, id est, Christus, qui conteretet caput serpentis. & 1. Ioan. 3. dicitur, In hoc venit Christus, vt dissolueret opera diaboli, id est, vt tolleret, nè noceret æternaliter, nempè peccatum, mors, damnatio, sathan. Hæc ipsa promissio sæpè repetita, & clariùs manifestata est patribus sequentibus, vt Abrahæ Gen. 22. In semine tuò benedicentur omnes gentes. & Dauidi, Psal. 113. De fructu ventris &c. & Mosi, ꝓphetam suscitabo &c. Deut. 18. Illa igitur promissio, vnica fuit consolatio patrum veteris testamenti, qui sperabant & credebant venturum Christum: & in nouo testamento clariùs est expressa illa promissio Dei propter Christum, nempè quòd propter ipsum vult remittere peccata & dare salutem, Iohan. 3. & dare spiritumsanctum, Iohan. 16. exaudire orationem, & recipere in gratiam gratis, non ob nostram dignitatem & opera, sed propter filium suum dilectum: in illo suo filio complacuit sibi reconciliari omnia, Coloss. 1. Præterea, si non esset consolatio de hac promissione in conscientia, quis sublisteret propter magnitudinem & multitudinem peccatorum suórum, iuxta illud prophetæ Psal. 129. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? &, In conspectu tuo non iustificabitur omnis viuēs. Non igitur aurum, argentum, potestas, nobilitas carnis, non opera, virtutes aut qliacunque

Gen. 3.

Psal. 142.

cunque merita nos consolari possunt, nè desperemus in peccatis, sed sola misericordia illa promissa nobis gratis, pptet Christum. Gratis, dico, illa promissio facta est nobis, & non propter vllam iustitiam nostram. nam vt Apostolus innuit ad Gal. 3. promissio Christi fuit aute legem annis quadringentis & triginta, data ipsi Abrahæ de futuro semine Christo, & sic cócludit Apostolus: Hæreditas (nempè salutis ęternę) non est ex lege, sed ex promissióe: quòd & ob id gratuita, quia ante legem Mosis fuit data Abrahæ. Tit. 3. Non ex operibus, iustitiæ quæ fecimus nos &c. apparuit Christus. Vt ergò promissio est gratuita, ità & exhibitio promissionis effectûs est gratuita. Roman. 3. Omnes peccauerunt, sed iustifieantur gratis gratia ipsius, id est, propter solum CHRISTVM, & non nostrorum operum dignitatem. Duplex ergò consolatio turbatæ conscientiæ, nè desperet in peccatis, est: primò, quia promissio misericordiæ consequendæ promittitur propter Christum: Deindè, quòd illa gratis exhibetur, non ob sufficientiam & perfectionem nostrarum actionum vel virtutum: nam lex nos semper accusat, quia minùs facimus, & Christus ipse dicit, Cùm omnia feceritis, dicite quia serui inutiles estis, Lucæ 17. Non igitur ob causam aliquam nostræ dignitatis, sed solùm propter CHRISTVM, vult exhiberi gratiam, licèt tamen opera nostra non abijciuntur, sed potiùs exiguntur: sed fides accipit promissionem &c. vt gloria solùm remaneat ipsi CHRISTO, Hebr. 9. & 1. Corinth. 1. vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Ephes. 1. vt laudetur gloria gratiæ suę, elegit nos ante mundi constitutionem in CHRISTO, &c. Porrò illa promissio fide appræhendi debet: nam aliter non potest appræhendi. est enim res spiritualis, & mente ac spiritu appræhendi vult: est verò summus honor DEI, si credamus verbo ipsius, sicut econtrà est summa dehonestatio DEI, si verbo eius tanquàm incerto aut fallaci nó credamus. 1. Ioan. 5. Qui non credit filio, mendacem eum facit, quia non credit in testimonium, id est, promissioni quam DEVS pater testificatus est de filio suo. Est autem testimonium, id est, promissio, quoniam vitam æternam dedit nobis, & hæc vita in filio eius est. qui ergò habet filium DEI, id est, credit promissioni, ille habet vitam, qui non habet filium, nec vitam æternam habet: non igitur satis est, quòd promissio facta est de filio à DEO patre, sed oportet nos etiam illam fide appræhendere & certò credere, sic esse & fore, quemadmodùm verba promissionis sonant &c. has igitur promissiones certò & fiducialiter credere in spiritu, est inter omnia bona opera optimû. Hebr. 11. Accedentem ad DEVM credere oportet. sinè hac fide promissionis, omnia cætera opera nostra coram DEO nihil sunt: ideò scriptura vbiquè exigit fidem verbi Dei: verbi, inquam, illius quod ipsemet DEVS locutus est, promisit, & iussit. hæc quoquè fides semper exigit conscientiam bonam: nam si credo DEVM promisisse remissionem peccatorum propter CHRISTVM, tunc non haheo conscientiam malam, id est, non doleo aut despero de peccatis: neque dimitterem offensam proximo meo, non deponerem inuidiam, vsuram, fornicationem, &c. sed sic pergerem peccare contra conscientiam & manifestè contra legem DEI. Hæc fides nihil esset: Ideò coniungit hæc duo Apostolus, nempè fidem & conscientiam bonam, 1. Timoth. 1. dicens: Hoc præceptum commendo tibi Timothee, vt milites militiam bonam, habens fidem, scilicet verbi DEI, & conscientiam bonam. Tertiò requiritur, vt non solùm credatur & appræhendatur promissio illa de Christo per fidem, sed opùs quoquè est, vt retineatur: nisi enim retenta fuerit, nihil proderit. retinetur autem per dilectionem, sicut Ioannes dicit: DEVS charitas est: & qui manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo: id est, per charitatem retinetur Deus in nobis, sicut etiam dicit Ioan. 14. Si quis diligit me &c. hæc, dilectio retinet sermones meos, & ad ipsum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. & Ioannes in tota sua canonica maximè vrget dilectionem, vt etiam dicit 1. Ioan. 3. In hoc scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, id est, quòd verè credimus promissioni diuinæ, & fide appræhendimus, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte. & ibidèm vtrunque præceptum est à DEO, vt & credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrùm. Qui ergò seruat hæc mandata, manet in illo, & ipse in eo. Retinet ergò dilectio efficacem promissionem: nam fides secum vult habere conscientiam bonam, & illam conscientiam bonam adesse testificatur dilectio cum suis operibus. Maxima ergò consolatio, quę

1. Ioan. 4.

peccatorem à desperatione conseruat, est ipsa promissio diuina de salute & remissione propter Christum: & Paulus valdè vrget, vt firmiter credamus, & nullo modo de facta promissione DEI desperemus, cùm ad Roman. 4. docet, promissionem oportere fide apprehendi. ideò dicit, Ergò oportet per fidem iustitiam esse, vt ipsa sit ex gratia, & promissio sit firma. item præcipit Deo dandam esse gloriam, quòd sit verax, sicut etiam Abraham credidit verbis Dei, & non dubitauit de illius promissione, etsi erat contra spem id quod credebat &c. Summa huius rei in eo consistit, vt credatur promissioni sinè omni dubitatione: Hęc fides plùs valet ante Deum, quàm omnia alia opera, licèt & illa fieri necessariò debeant. Deus mentiri non potest, immò hoc est impossibile, Hebr. 6. Ideò quoniã illa promissio, de qua hîc agitur, non hominis vel angeli, sed Dei verbum sit, ob id illi credere & fidem habere debemus: qui ergò fidem non habet, is DEVM mendacem facit, 1. Iohan. 5. quod summum est peccatum & blasphemia.

DE DILECTIONE ET EIVS OPERIBVS.

Cap. 27.

NOtandum primò, quòd ipsa dilectio est fructus spiritussancti, teste Apostolo ad Galatas quinto, vbi eam inter fructus spiritûs primo loco ponit, quam operatur spiritussanctus in iustificato, cui sint iam condonata peccata, suggerendo illi, quàm habeat propitium DEVM, quòd ex magna dilectione dedit pro nobis & nostra salute filium suum vnigenitum, Iohan. 3. Roman. 8. qui sanguine suo nos liberauit, & sic facit lætam conscientiam: Deindè operatur idem spiritussanctus in nobis, vt vicissim nos DEVM diligamus. Ex tali dilectione omnia libenter facimus: amanti enim omnia facilia sunt, & omne bonum atque obedientiam præceptorum eius facimus, sicut admonemur à Ioanne, 1. Ioan. 4. Diligamus DEVM, quoniam ipse prior dilexit nos &c. sic ex beneficentia DEI, quam fecit nobis DEVS in CHRISTO, & iam per fidem apprehendimus, ipse spiritussanctus operatur hunc fructum suum, sicut & alios. Deindè fides licèt iam antè dilectionem apprehendat gratiam CHRISTI in primo gradu gratìs sinè aliquo addito à nobis & ex nobis, id est, sinè timore & dilectione nostra. Hæc enim in secundo gradu infunduntur, quandò in iustificatione datur spiritussanctus, qui secum portat hos suos fructus, quos Apostolus Galat. 5. describit, dicens: Fructus autem spiritûs est, Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Attamen sinè dilectione apprehensa iustificatio per fidem non retinetur, sed iterùm amittitur, si non adfuerit dilectio: nam cùm scienter peccamus contra conscientiam, iterùm expellitur spiritussanctus, amittitur fides, dilectio & apprehensa iustificatio in baptismo. Vbi enim non est dilectio & conscientia bona, hîc iam certò fides antè est mortua. Iacobus enim dicit, quòd Iac. 2. sicut corpus sinè spiritu mortuum est, ità & fides sinè operibus, id est, dilectione & obedientia mandatorum DEI, & sinè cõscientia bona mortua est, & 1. Iohan. 3. Qui non diligit, manet in morte, id est, non habet vitam fidei seu viuam fidem: ergò vbi non est dilectio cum suis operibus, ibì non est vera fides, quæ acceptet promissionem efficaciter de CHRISTO: fides vera, dico, non historica, qualis est & in dæmonibus. Si ergò non aderit dilectio, & bona opera cum obedientia mandatorum DEI, quæ retinent fidem & spiritumsanctum, nulla sequetur salus. Ideò illa ꝓpositio verissima est, quòd nullus homo adultus sinè dilectione & bonis operibus saluabitur: sicut sinè naturali cibo & potu nemo potest viuere vitã, ità nec fidem retinere sinè illis potest: attamen non saluamur per dilectionem & bona opera, sed ex gratia propter IESVM CHRISTVM. quemadmodùm Iohannis tertio scriptum est: Sic enim DEVS dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Actor. 10. Huic omnes testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credũt in eum. sicut etiã cibus & potus non dant vitam, ità opera non dant salutẽ, sed Deus dat, at potiùs illa conseruant vitam, id est, salutem retinent dilectionis

opera

opera, nè amittatur. Non minùs igitur dilectio & bona opera necessaria sunt iustificato ad salutem, quàm cibus & potus naturali vitæ conseruandæ. Deindè hoc certissimè credendum est, quòd qui in peccatis scienter contra conscientiam & legẽ Dei perseuerat, ille nondùm est conuersus ad Deum, sed est adhuc inimicus Dei, & ira Dei manet super eum, licèt iactet se fidem habere. Nam sic est doctrina Apostolica Galat. 5. 1. Cor. 6. Ephes. 5. Rom. 8. quòd quicunque, licèt fidem habeant, hęc fecerint, id est, opera carnis, auaritiam, luxuriam, mollitiem, fornicationem, &c. illi regnum Dei non possidebunt. Ideò Deus vtrunque in iuramento compræhendit, Ezechiel. 18. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed magìs vt conuertatur, & viuat. Vt conuertatur, inquit. vbì ergò nulla est conuersio, ibì quoquè nulla est gratia, nec vita, id est, remissio peccatorum. Ideò si quis fuit in gratia, & rursus scienter contra Dei præceptum agit, ille perdit & conturbat spiritum Dei sanctum, Ephes. 4. amittit gratiam & iustitiam, & cadit in irá Dei: & si iterùm non fuerit conuersus, cadit in perpetuam pœnam & damnationẽ, sicut Saul, Iudas & pleriq; alij. Clara enim vox est Pauli Rom. 8. Si secũdùm carnem vixeritis, moriemini, id est, Si malis concupiscentijs vestris obedieritis, & eas perseceritis, sequetur mors, id est, æterna pœna & damnatio. Et puniẽtur huiusmodi peccata non solùm æternaliter in futura vita in gehenna, vbì erit fletus & stridor dentium, Matth. 8. 13. 22. 24. 25. sed etiam cum amarissimis pœnis corporalibus morbis & dolorum cruciatibus, quibus corripiũtur tales peccatores, sicut Dàuidis adulterium & homicidium horrenda & miserabili peste fuit punitum, 2. Reg. vlt. Ex prædictis intelligitur, quòd bona opera necessaria sunt ad vitam & salutem æternam conseruandam ac retinẽdam, quæ nobis promissa est gratìs propter Christũ, & per illum solum promerita, & in hunc finem Deus etiam illa præcepit Matth. 5. & 6. quarè licèt vita æterna donetur propter sanguinẽ Christi & remissio peccatorum, attamen sic sunt necessaria opera bona & inchoata noua vita, ità vt si non sint in corde, non esset appræhensio & retentio diuinæ gratiæ. Nam tametsi causa iustificationis non est à nobis, sed extra nos, id est, in sanguine Christi: attamen appræhensio vel acceptio diuinæ gratiæ est in nobis, & retentio illius per opera & virtutes spiritussancti, est in nobis: ideò dicitur Apocalyp. 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitę. In qua sententia duo compræhenduntur: primum, quòd in hac vita oportet inchoari & esse initium ad salutẽ æternam, id est, noua generatio, quæ consistit in fructibus spiritussancti, id est, timore Dei, dilectione, gaudio in Deo, & pace in conscientia, & alijs fructibus: & sicut Christus dicit, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & me Iesum filium tuum, Ioan. 17. Alterum, vt nè ab eo deficiamus ante obitum nostrum, sed cõstanter in eo vsque ad mortem perseueremus, id est, in noua vita, dilectione & consciẽtia bona: quod si non fecerimus, amittitur spiritussanctus & gratia Christi, sicut dictum est. Porrò hæc inchoata obedientia licèt nõ mereatur iustificationem, placet tamen Deo in iustificatis, ex quo credunt, quia Deus acceptet personam propter fidem Christi: hæc fides facit, vt Deus sibi placere sinat imperfectam nostram obedientiam legis & aliorum bonorum operum: & non solùm placet illi hæc obedientia, sed etiam meretur præmia in hac vita spiritualiter & corporaliter iuxta diuinum consilium, & maiora præmia in futura & æterna vita secundùm gradus laborum, 1. Cor. 3. & 15. sed illa pręmia oportet discernere ab his, quæ solùm ex Christi sanguine nobis donantur, nempè remissio peccatorum, donatio spiritussancti, vita æterna siue cælum. Est igitur verũ, quòd in nobis debet inchoari vita noua: nam in eum finem etiam donatur spiritussanctus iustificatis cum suis fructibus efficiendis, Galat. 5. quia oportet inesse dilectionem, timorem, continentiam, pacem, obediẽtiam præceptorum, spem, mansuetudinem, &c. & necessaria sunt ad salutẽ, quia sinè illis non retinetur gratia: nam peccata & opera quæ militant contra Deum & eius legem manifestè, si adfuerint in homine, tunc ibì est contemptus Dei, & nondùm facta est conuersio ad Deum, sed qualis arbor est, tales sunt & fructus eius, Matth. 7. Ab omnibus ergò conceditur & docetur, quòd si opera charitatis non sequuntur fidem, tunc fides non est vera: ideò Apostolus ait Gal. 5. In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neq; pręputium, id est, nulla opera, nullus cultus, nullum prorsus vitæ genus valet ad ꝓmerendam iustificationem, sed fides ante omne opus. hìc taxat Iudæos, qui sua iustitia legis volunt saluari. Deindè inquit, hęc

Gal. 5.

fides valet quæ per charitatem operatur, id est, quæ non est ociosa: vt si quis dicat, si sola fides iustificat, faciam igitur quæ volo, abijciam opera. Non sic impij, non sic, dicit Dauid. licèt enim fides sinè operibus nos iustificet, tamē de fide vera loquitur, quæ postquàm te iustificauerit, non manet aut hæret ociosa, sed est per charitatis opera operosa. Ideò Augustinus serm.237.de tempore, dicit, quid est credere? Respon. Hoc facere quod credis. audire enim solùm verbum, non est credere, sed custodire & facere. Luc.11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Verbum enim auditum, si viuum est in corde & operatur, hoc ipsum est fides. Psalm.118. Viuifica me secundùm verbum tuum &c. Tota igitur vita Christiana hoc loco à Paulo depingitur, scilicet esse fidem erga Deum intùs, & foris charitatem seu opera erga proximum: vt sic homo, totus sit Christianus intùs & foris: intùs coram Deo, foris coram proximo & hominibus, quibus fides tua nihil prodest, sed dilectionis tuæ opera prosunt. Et licèt sit necessaria inchoata dilectio ad salutē, attamen debet fides & fiducia in filium Dei perpetuò locari, quòd propter ipsum solum recipimur in gratiam: nam vbi talis fides deficit, ibi non potest dilectio, refugium ad Deum, & vera inuocatio esse aut consistere, sed semper erit dubitatio & timor, an Deo placeant nostra opera, an ipsi simus Deo accepti, néc ne: ideò hæc fides mediatoris, quoniam placemus Deo propter Christum, operatur consolationem, dilectionem, inuocationem, orationem, &c. quia nouit primò personam esse acceptam Deo propter CHRISTVM, deindè & opera ipsius: ideò hæc inchoata obedientia etiam dicitur iustitia operum, sed non in hoc sensu, quasi propterea persona habeat remissionem peccatorum, aut quasi persona in iudicio DEI sit absque peccatis, sed quòd DEVS hanc operum iustitiam & inchoatam nouam vitam in hac infirma natura, propter filium suum acceptare & appræmiare vult in hac & post hanc vitam. Retinet ergò dilectio & inchoata noua vita iustificationem, ob id Apostoli semper post doctrinam iustificationis, docuerunt etiam dilectionem & bona opera, quatenùs retineretur iustificatio, 1.Corin.5. Pascha nostrum immolatus est CHRISTVS &c. & 1. Petri. 2. Peccatis mortui iustitiæ viuamus. Hebr. 8. ad seruiendum DEO viuenti. sic Apostolus ad Roman.2. Galat.1. docet iustificationem, deindè de operibus dilectionis, quæ retinent illam. Hæc doctrina de fide & dilectione, vera est & conformis Patribus &c. Item dilectio retinet & facit, vt communicemus & participemus promeritam salutem, quam fides appræhendit: alioquī nihil prodesset appræhendisse.

Psal.1.

DE CONSCIENTIA PERTVRBATA PECCATIS. Cap. 28.

HIC tria notare oportet: primò, quomodò conscientia oppressa & anxia de admissis peccatis, se iterùm erigere debet ad Deum: Deindè, quomodò Deo proponat meritum & hostiam Christi: tertiò, quomodò nunc petere & optare debeat gratiam & misericordiam propter illam hostiam, id est, CHRISTVM, & non propter suam iustitiam aut propriam dignitatem. Primò, quatenùs conscientia perterrefacta & in certamine cum peccatis laborans consoletur ac liberetur, oportet ante omnia recurrere ad scripturam, & inuestigare propter quid DEVS velit misereri, peccata dimittere, & gratiam suam exhibere peccatori: & statim occurrent ei Apostolica verba Roman. 3. vbi dicitur, Quem CHRISTVM constituit propitiatorem per fidem in sanguine eius: quæ verba sic exponit S. Ambrosius, In CHRISTO disposuit DEVS se propitium futurum humano generi, si credat: nam etiam sanguis ipsius precium est pro peccatis totius mundi, & hoc precium est multò nobilius & preciosius, quàm omnis iustitia humana: ergò DEVS propter Christum, & non nostram iustitiam & meritū, remittit peccata gratis, & quidem sic gratis, vt nō propter nostra merita, sed Christi, remittat DEVS peccata: solus CHRISTVS hanc gratiam remissionis & salutis meruit: distribuitur autem nobis gratis propter fidem in illū, sicut inquit Apostolus Roman.3. Iustificati gratis gratia ipsius per redemptionem, id est, propter redemptionem ipsius Christi. Sed hæc particula gratis, non excludit pœnitētiam: nam oportet illam præcedere opus iustificationis, quia nullū impœnitētem de peccatis deus iustificat: ideò iubet primo loco prædicare pœnitentiam, i. cōtritionem de peccatis, atq; cessationem à vitijs, & deindè prædicare gratiam & remissionē peccatorū propter

propter nomen suum, Lucæ 24. Marc. 1. Non ergò particula gratis, excludit pœnitentiam, sed solùm meritum nostræ pœnitentiæ, nè quis putet nos pœnitentia nostra mereri remissionem. Ideò particula gratis, totum beneficium trãsfert in Christum, nec etiam excludit baptismum, neque fidem: illa enim media sunt, quæ accipiunt hanc gratiam iustificationis, vt fides & Sacramentum certificãt acceptam iustificationem: neque fides nostra, neque Baptismi opus merentur iustificationem & gratiam, sed accipiunt seu appræhendunt: at effectus gratiæ, id est, iustificationis, gratis exhibetur propter Christum ex misericordia: fides & sacramenta, media sunt quibus accipimus beneficia CHRISTI: sed misericordia Dei distribuit effectiuè hæc omnia. Nec etiam particula gratis, excludit bona opera, & fructus sequentes iustificationem: nam ista necessariò oportet sequi iustificationem, alioquì ipsa non retinetur: sed hoc excludit, nempè meritum nostrum iustificationis, eò quòd eam opera non merentur, quam iam gratis ante omnia opera in baptismo accepimus. Hæc ideò dicuntur, vt perturbata conscientia è peccatis: sciat propter quam causam sibi contingat remissio, gratia, & liberatio à peccatis, hoc autem fit propter solum CHRISTVM, vt vbiquè docet Scriptura, Act. 10. & 1. Iohan. 2. & Iohan. 3. Sic pater dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic igitur percipit conscientia, nullum esse aliud medium ordinatum, non angelos, non opera, non homines, propter quæ DEVS velit remittere peccata, sed propter hoc vnicum meritum, scilicet CHRISTVM, super quem posuit om̃ia peccata nostra, Esai. 53. Ex quo iam sequuntur duo: Primum, vt intelligamus, quàm grauis res sit peccatum, & quàm vehementer Deus peccato irascatur, quòd etiam nemo omnium vel angelorum vel hominum, pro illo potuerit satisfacere vel Deum placare, nisi mors proprij & vnigeniti sui filij: deindè elucet hinc & manifestatur maxima & ineffabilis gratia & dilectio Dei patris erga mundum, quòd non angelum vel aliam creaturam, sed vnigenitum suum filium victimam habere voluerit ad nostram salutem. Hæc oportet turbatam conscientiam in animo pensare de peccatorum remissione. Secundò, quandò anima in certamine peccatorum anxiatur, tunc oportet nos DEO primùm prætendere CHRISTVM & meritum eius passionis. Nam Christus non est frustrà mortuus, sed propter peccatores, sicut vbiquè de illo testatur scriptura. Galat. 1. Dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt redimeret nos ex hoc seculo nequam. Ad Ephes. 5. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam DEO in odorem suauitatis: hanc oblationem, id est, Christum & precium pro peccatis totius mundi, oportet Deo proponere, & ab illa hostia haurire consolationem, & cogitare, si CHRISTVS est mortuus propter peccatores, & tu es etiam peccator, ergò & pro te mortuus est: & sic consurgit in anxietate, & sentit refrigerium conscientia. Sic fecit mulier Chananæa Matth. 15. quæ se quoquè numerat cum peccatoribus, & petit misericordiam filiæ suæ. Est ergò & hoc necessarium scire conscientiam nostram, nempè quòd CHRISTVS sit hostia & precium pro peccatis omnium. Hoc enim qui ignorat vel non credit, non saluabitur. Hanc oblationem figurabant omnia animalia occisa in veteri Testamento atque pro hostijs oblata, scilicet quòd CHRISTVS deberet esse vera illa futura hostia pro peccatis nostris mactanda: ob id iam cessàrunt omnia alia sacrificia legis, & solùm hoc vnicum CHRISTI sacrificium stat pro peccatis totius mundi vsque ad finem mundi: ideò non est alia via salutis & remissionis peccatorum, nisi virtute illius vnici sacrificij fiat. Tertiò, non est satis conscientiæ perturbatę, quòd sciat quòd Deus propter Christum velit misereri & exaudire orationes nostras, & quòd filius sit precium & hostia pro peccatis nostris, sed oportet etiã optare propter hunc CHRISTVM gratiam, misericordiam, remissionem & vitam, propter hunc dico Christum, & non propter vlla alia opera aut merita nostra. Si em̃ quis propter propria opera, merita aut iustitiam suam peteret remissionem & vitam æternam, illi CHRISTVS frustrà passus esset, Galat. 2. & dicit 5. cap. Si circũcidamini, id est, si circuncidamini propter salutem & remissiõem, tum CHRISTVS nihil vobis proderit. Quarè plurimùm differũt, velle habere salutem propter Christum, & velle habere propter propria opera & merita: non quòd debeant negligi bona opera, quæ maximè exi-

guntur à iustificatis: sed quatenùs imperfecta sunt, eò illis adimitur iustificatio, & transfertur in Christum: ibi conscientia certa & tuta est, Rom. 4. Qui ergò ob propria merita cupit & quærit remissionem & salutem, is pluris facit suam iustitiam & merita, quàm Christi iustitiam & merita, vel saltem æquat. Periculosum quoquè est, plùs amare cælum & dona Dei, quàm ipsum Deum, & magis nostra præmia & merita quàm Christi, cùm tamen Christus doceat Luc. 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia serui inutiles sumus, &c. Gratiam ergò & misericordiam Dei solùm petere debemus propter ipsum Christum & illius sanguinem: nam hæc gratia & misericordia Dei propter Christum, remittit peccata pœnitenti & credenti, & donat vitam gratis sinè vllo alieno merito. Sed sunt varia dona gratiæ & misericordiæ Dei, quæ Deus fidelibus & in hac & post hanc vitam secundùm gradus laborum distribuit, sicut Apostolus ait 1. Corinth. 3. Vnusquisque mercedem accipiet secundùm laborem suum. & 1. Corinth. 15. Differt stella à stella &c. Sed hæc dona gratiæ & misericordiæ Dei, quæ ex mera gratia pro operibus bonis nobis fidelibus distribuuntur secundùm gradus laborum, distinguenda sunt ab ipsa gratia & misericordia Dei essentialiter, quæ effectiuè remittit peccata, & donat gratiam propter Christum, qui illam solus meruit, & propter illum solum distribuitur: nam hanc gratiam nemo mereri potest. gratia enim non cadit sub merito, Rom. 11. Oportet quoquè, vt conscientia anxia in certamine peccatorum & Sathanæ, se consoletur maximè illa particula gratis, quod singulariter Paulus exprimit Rom. 3. gratis iustificati gratia ipsius. nam ratio naturalis aliter cogitare non potest, nisi secundùm quod lex dicit, quæ lex etiam impressa est naturæ, scilicet quòd illi accipiunt gratiam, misericordiam, remissionem, salutem, qui benè operati sunt, qui iusti, qui sancti sunt, qui legē seruārūt &c. sic semp arguit ratio naturalis cū lege, nec aliter arguere potest ex sua conditiōe: ideò consciētia naturaliter dubitat, an Deus etiā indignis & qui hæc nō promeruerint, velit misereri. Igitur oportet vt se hîc cōscientia cōsoletur per illam particulam, gratis, quam Apostolus non semel exprimit, & debet in corde simpliciter constituere, quòd Deus velit remittere peccata gratis, liberè, & sinè nostro merito, sed solùm propter Christi meritum & sanguinem. Dum conscientia hoc nunc credit, & tota fidutia cupit sibi exhiberi gratiam propter Christum, & non hæsitat se hoc certò accipere: nam Deus qui hoc sic ordinauit, statuit & promisit, mentiri non potest, Hebr. 6. cap. tunc verissimè accipit remissionem & liberationem ab anxietate peccatorum & à desperatione, & lætanter dicit cum Simeone iusto: Nūc dimitte seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace. Sed inquis: Nihil ergò facit opus hominis cum fide? an non respicit hoc etiam Deus? Respon. Omninò, quia scriptum est, Oculi Domini super iustos, & aures eius &c. Sed tu non debes ponere fidutiam tuam super opus tuum, sed super solum Christum: exempli gratia: credis tibi remitti peccatum propter Christum, hoc cupis corde orando, ieiunando, &c. Hic licèt circa fidem facis hæc opera, attamen non fidutiam habere debes, quasi hęc opera mereantur remissionem, aut quòd Deus propter hæc opera illam tibi donat, sed fidere & credere debes, quòd propter Christum donetur: nam propter illum ꝓmissio facta est, hic certus es, non verò de operibus: Sunt tamen hęc opera tua circa fidem testes & argumenta, quàm verè cupias gratiam & remissionem propter Christum, & efficacior est hæc fides: & quanquàm Deus propter fidem in Christum, & propter ipsum solum exhibet gratiam remissionis, tamen & hæc opera non fiunt gratis: remunerat enim illa Deus ex sua gratuita bonitate & promissiōe. Nam vtrunque habet suam promissionem: tam fides quæ credit in Christum, & appræhēdit gratiam, quàm opera, quæ circa fidem & cum fide aut ex fide fiunt, habēt sua specialia præmia: saltem, nè tribuatur operibus impetratio gratię: hoc enim derogaret honori ipsius Christi. Differunt enim maximè hęc duo, mereri gratiā operibus, & operibus ex gratia factis mereri dona varia gratię Dei: primum nō approbatur, sed alterum: nam gratiam siue beneficium Christi, remissionē, salutem &c. nemo mereri potest, alioqui Christus frustrà passus fuisset, si alius quispiam posset mereri: Sed fructibus gratiæ, id est, bonis operibus mereri dona in hac & post hanc vitam, id approbat: quarè nostra opera non merentur primò gratiam, sed dona varia merentur gratię.

Luc. 2.

Psal. 33.

De

DE DVBIIS TIMORATAE CONSCIENTIAE.

Cap. 29.

Notantur hîc tria potissimùm, nempè qualia sint illa, quæ angustiant timorosam conscientiam: deindè, quomodò conscientia sese consoletur, & repellat omnia dubia & scrupulos: postremò, quomodò hominis illius voluntas, qua non acceptat promissionem Dei, damnabitur.

Ac primò inter omnia ea, quæ timorosam conscientiam inuadunt in vita, duo sunt: Primum, an etiam Deus misereatur malis & indignis peccatoribus, an illos etiam acceptet: deindè cogitant multi, etiamsi dignus esses & probus, quia tamen non es prædestinatus ad salutem, sed Deus speciales amicos ad hoc elegit, & fortasse nô te, & sic dubitant, vtrùm & ipsi sint in numero prædestinatorum, sicut Cain dixit Genes. 4. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. quasi dicat, Ego indignus sum vt recipiar in gratiam prædestinatorum, DEVS tantùm dignis veniam
Matt. 27. Act. 1. concedit: Sic Iudas quoquè desperauit & laqueo se strangulauit, cogitans se non cum cæteris apostolis prædestinatum ad salutem, &cæt. Sic ratio nostra iudicat. Sic & Philosophi gentiles statuunt DEVM tantùm dignioribus & maioribus congregationibus fauere & propitium esse, & non curare inferiora & indigniora. Secundò, vt ergò nunc conscientia timorosa liberetur ab huiusmodi dubijs, iussit
Matt. 28. Marc. 16. CHRISTVS discipulis suis, vt prædicarent quòd Deus neminem velit excludere à sua misericordia & gratia, qui modò resipiscat & credat in Christum, sed sicut Sol in toto cælo omnibus illucescit & liberè conceditur, vt omnes eius luce vtantur, sic liberè & in communi iussit proponi Euangelium omni creaturæ, id est, gratiam & misericordiam DEI propter Christum, & promisit se exhibiturũ omnibus credentibus verbo & promissis eius gratiam & misericordiam. Hæc est illa bona annunciatio, id est, Euangelium, quòd Deus pater cælestis vult omnibus in communi credentibus & pœnitẽtibus exhibere propter Christum gratiam suã gratis. Sic ergò primum dubium timorosæ conscientiæ, quandò dubitat vtrùm Deus etiam indignis peccatoribus velit misereri, excluditur, quòd Christus filius DEI venit in mundum non propter iustos, sed peccatores, vt illos ad pœnitentiam vocaret, Lucæ 5. Matth. 9. Non est opùs medico valentibus, sed venit ad saluandum quod perierat. Et ideò CHRISTVS sæpè cum peccatoribus & publicanis cibum sumpsit, quòd velit etiam misereri indignis & peccatoribus. Sic Apostolus 1. ad Timot. 1. consolatur timorosam conscientiam: Fidelis sermo & dignus omni acceptatione, quoniam CHRISTVS venit in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum: Sed ideò sum consecutus misericordiam, vt in me primò ostenderet IESVS Christus oẽm patientiam &cæt. Et Lucæ 19. Venit filius hominis quærere & saluũ facere quod perierat. Ideò iussit Christus hoc Euangelium, id est, communem gratiam DEI, quam exhibere vult DEVS pater propter Christum credentibus & pœnitentibus, vbiquè & omni creaturæ prædicari: Marc. 16.
Ergò maximè & inprimis peccatoribus, qui tali gratia opùs habent. Ideò conscientia timorosa debet se erigere, & credere huic promissioni & euangelicæ consolationi & læto nuncio, scilicet quòd Deus pater propter Christum velit peccatoribus, indignis & malis, modò pœniteant, credant, vitam emendent, remissionem peccatorum dare, & quòd Christus propter peccatores venit in mundum & mortuus est. Prædicare igitur Euangelium, est aliud nihil, nisi publicè omnibus denunciare & proponere hanc gratiam & misericordiam Dei propter filium Christum: nemo ab hac gratia excluditur. Sed adhuc cespitat & trepidat timorosa conscientia, dũ cogitat: Benè quidẽ, sed si satis pœniterem, iustusque fierem, tunc fortè mihi contingeret hæc gratia & misericordia. Respon. Deus constituit propitiatorem, id est, Christum per sanguinem ipsius propter illum gratis, & non propter tuam dignitatem vult tibi distribuere hanc gratiam. Accede ergò ad Deum, & cupias propter hunc propitiatorem Christum tibi concedi hanc gratiam & misericordiam, & non propter tua merita aut satis dignam pœnitentiam. Pœnitentia tua exigitur ante acceptationem iustificationis, sed non propter tuam pœnitentiam quamuis rigidissimam iustificaberis, sed propter Christum: illa enim opera sequentia, fructus sunt iustificationis, quæ retinent illam, haud efficiunt, at declarant potiùs & testantur. Alterum dubium timorosæ conscientiæ de prædestinatione, excluditur per hoc, quòd DEVS omni creatu-

tæ & in vniuerso mundo iussit annunciari gratiam Euangelij: non vult Deus, vt te occupes stulta tali cogitatione, vtrùm sis prædestinatus & de numero saluandorum néc ne, sed vult & iubet te credere Euangelio & verbo & promissioni eius: ideò tales cogitationes contemnere oportet, & audire filium Dei, & illi credere, qui di-
Matth. 11. cit, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. & Rom. 10. Omnium est vnus Dominus, diues in omnes qui inuocant illum: quicunque ergò inuocauerint nomen Domini, &c. ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi, non aliquorum tãtùm, 1. Iohan. 2. & 1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire &c. Ecce Deus omnibus in communi offert gratiam suam & salutem, & neminem excludit. Ergò ad omnes ex æquo spectat promissa beneficentia Christi, ideò oportet omnes respicere ad verbum Euangelij, quod omnibus in communi proponitur, & neminem excludit: & non imaginabimur proprias cogitationes vel iudicium rationis in re salutis. Verbum Dei audire debes, & credere illius promissioni, non tuam rationem & iudicium cogitationum tuarum in causa iustificationis sequi: secundùm verbum DEI iudicare debemus, non secundùm cogitationem ratiocinationis nostræ. Tertiò, quoniam Euangelium ostendit, quomodò huiusmodi dubia scrupulosæ conscientiæ eximantur & excludantur, sequitur quòd sola hæc voluntas, quæ non vult fidere aut credere Euangelio, nec acceptare hãc gratiam, illa damnabitur. Iohan. 3. Qui non credit, iam iudicatus est: is enim primò reputat Deum mendacem, quia non credit quòd Deus propter Christum filium velit misereri peccatoribus pœnitentibus, sicut promisit & ordinauit. Rom. 3. quem constituit propitiatorem &c. Et hoc grauissimum est peccatum, Deo non credere: Deindè ille idem contemnit Deum, qui gratis omnibus hominibus tam magnas & imméſas diuitias offert in Christo: ideò Spiritussanctus arguet mundum de hoc peccato, Iohan. 16. qui non credunt in Christum &c. Nam qui credunt promissioni diuinæ, illi eam acceptant, & sese cum hac consolantur, illis datur Spiritussanctus in tali momento, quo credunt. Galat. 3. Accepistis Spiritumsanctũ per prædicationem fidei. quandò enim fides Christi ex prædicatiõe verbi proponitur, quicunq; illam acceptauerit, is statim & Spiritumsanctũ accipit, qui operatur posteà in eo suos fructus, Gal. 5. Ideò hæc noua natiuitas tria continet, remissionem peccatorum, iustificationem, (id est, quòd Deus nos propter Christum iustos reputat) & Spiritumsanctum cum vita æterna.

DE GRATIA DEI ET MERITO NOSTRO. Cap. 30.

NOtandum est hîc primò, quæ sint illa quæ Deus sinè merito nostro ex sola gratia, id est, misericordia sua propter Christũ tribuit æqualiter fidelibus: deindè, quid mereãtur iustificati fructibus fidei & hoc dissimiliter: postremò, quòd diligenter distinguenda sunt gratia, fides, & fructus gratiæ siue fidei. Primò igitur hoc clarũ est, quòd Deus dat omnibus æqualiter solem, pluuiam, &c. sinè omni merito nostro, Matth. 6. qui facit Solem suum oriri super bonos & malos. hic nullum est meritum, hîc non plùs participat dominus quàm seruus, diues q̃ pauper, sed æqualiter omnibus distribuitur: idq; Deus facit ꝓpter immensam suam bonitatem. Sic vnus est Christus, quemadmodùm & vnus Sol, propter illum in baptismo ex æquo omẽs iustificamur, si pœnituerimus. statuit enĩ Deus pater illum propitiatorem Rom. 3. quòd propter illum sinè merito gratis vult misereri, & non imputare peccatum. Rom. 4. illa autem iustificatio æqualis est, non enim plùs de remissione peccatorum & promissione diuinæ salutis accipit Cæsar vel rusticus, vir aut mulier: nec melior est baptismus diuitis, quàm pauperis: nec minoris efficaciæ in seruo, quàm in domino. Sicut enim omnes ex æquo vnũ habemus Christum, sic etiam & idem baptisma. Quandò igitur huc respicitur, scilicet ad illam gratiam, quam Deus propter Christum confert æqualiter, ibi non valet meritũ, nec distinctio aut respectus personarum: nam laicus infimus æquè accipit Sacramentum Eucharistiæ in tanta efficacia, sicut Cæsar, & hoc idem audit & percipit ex Euangelio Cæsar. Hæc enim est gratia Dei, id est, misericordia qua omnibus ex æquo & sinè alicuius merito hæc bona distribuit, Sacramenta, baptismum, Eucharistiam, remissionem, &c. Ideò in hac re omnes Christiani sumus pares, nec alius præfertur alij. Nam æqualis est efficacia gratiæ in omnibus, qui solùm vnum Chri-

Christum & vnam eandemq; fidem habet. Et in hunc finem dicitur, quòd omes Christiani habentes vnam & eandem fidem, sint æquales, Gal. 3. omnes vos vnum estis in CHRISTO &cæt. & sic omnes sinè vllo merito accipiunt ex mera gratia hæc DEI dona per fidem, nempè Sacramenta, iustificationem & promissionem salutis: nam nemo potest mereri baptisma suum, nec Eucharistiam à seipso, nec fidem, nec salutem. Sed hæc à Deo propter CHRISTVM exhibentur sinè merito nostro propter fidem in ipsum, & nobis omnibus ex æquo communicantur in baptismo antequàm aliquod bonum opus fecimus. Quarè fieri Christianum, contingit nobis ex gratia sinè merito nostro. Deus primò nobis offert & donat sua bona credentibus gratis, antequàm homo fructus aliquos fidei Deo offert vel facit ad laudem DEI, Philip. 1. Efficimur igitur Christiani & participes iustificationis ante omne meritum nostrum per fidem, sicut terra Solem & pluuiam sinè merito suo. Vt igitur iusti fiamus, & remissionem peccatorum accipiamus, & vitam æternam, id non efficit nostra iustitia aut meritum, sed est merum & gratuitum donum DEI, ex misericordia nobis propter CHRISTVM exhibitum. Et patet error quorundam, qui operibus & meritis suis hoc volunt asscribere, cùm tamen illa gratia, id est, remissio peccatorum, vita & salus, sint immerita misericordia, & non cadant sub merito, Roman. 11. & illa priùs accipere & habere oportet, antequàm aliquod opus facere possimus: ergò gratis accipiantur necessè est: per fidem autem in CHRISTVM appræhenditur hæc gratia, id est, iustificatio & vita æterna. Si enim hæc homines possent acquirere suis meritis, tunc CHRISTVS gratis venisset, Galat. 2. Secundò, quanuis ex sola gratia immerita efficimur Christiani, & per fidem appræhendimus æqualiter omnes sinè nostro merito remissionem & vitam æternam, sinè omni respectu personarum, quo ad internam conditionem, est tamen aliquod meritum in fructibus hominis iam iustificati & existentis in gratia. nam præter hoc quod quis Christianus est per fidem & sacramenta perindè, sicut Cæsar est Christianus, tamen etiam aliquod officium exercet, siue prædicando, siue regendo Rempublicam, siue orando noctes & dies, ieiunando, eleemosynam dando, &cæt. hæc & similia exercitia & fructus fidei in homine iustificato, habent sua præmia promissa in scripturis, 1. Corinth. 3. Vnusquisque mercedem accipiet &cæt. In his autem fructibus est dispar & inæquale meritum seu merces. Nam Paulus ait, sicut differt stella à stella in magnitudine & claritate &c. & in his præcedit vnus Christianus alium, nempè in præmijs in hac & post hanc vitam consequendis. 1. Cor. 15. Sunt enim multæ mansiones in domo Patris, Iohan. 14. Huiusmodi autem fructus facimus, quandò iam antè accepimus gratiam, nè illam mereri videamur, vt soli CHRISTO filio Dei, propter quem nobis illa gratis confertur, relinquatur sua gloria, ille enim saluum faciet populum suum, Matthæi 1. & Luterus ipse fatetur super 6 & 7. caput Matthæi, dicens: Quandò fit sermo de huiusmodi fructibus, qui sequuntur gratiam & remissionem peccatorum, concedo quidem vt nominentur meritum siue merces, sicut etiam de præmio fructuum loquitur Scriptura Hierem. 31. Est merces operi tuo. & 1. Corinth. 15. Labor vester non est inanis in Domino. Hebræ. 10. Magnam habebitis remunerationem, Matthæi 19. Lucæ 18. Marci 10. Iohan. 5. & iterùm Matthæi 5. Merces vestra copiosa est in cælo &cæt. Sed huiusmodi merita siue mercedes referédæ sunt ad fructus fidei, qui sequuntur gratiam DEI immeritam, non quòd illi capitale bonum mereantur, nempè gratiam & misericordiam illam, quam nobis DEVS pater gratis promittit & donat propter CHRISTVM, id est, iustificationem, placationem iræ DEI, remissionem, salutem & vitam æternam. Sed sicut terra non germinat, nisi priùs acceperit humorem desupèr, sic oportet nos primùm per fidem appræhendere gratiam promissam propter CHRISTVM, & posteà germinare seu ferre fructus fidei, & hi fructus habent posteà sua præmia accidentalia. Primum præmium, Id est, gratia DEI & remissio, gratis datur à DEO: alterum, id est, fructus fidei & opera, nos facimus ad laudem DEI & gratiarum actionem, eò quòd nobis dedit gratiam filij sui. Si autem hi fructus fidei non sequantur gratiam acceptam & fidem, gratia illa non retinetur, & per consequens homo ille non saluabitur. Si autem sequantur, tunc retinetur gratia, & illi habebunt sua præmia.

Ter-

Tertiò, diligenter hæc duo distinguenda sunt, gratia & fructus gratiæ siue fidei, siue fides & fructus fidei. Gratia est totum illud, quicquid Deus nobis sinè merito nostro propter Christum donat, sicut est remissio peccatorum, euangelium, Sacramenta, &c. Actor. 15. gratia domini nostri Iesu Christi. Roman. 3. gratia saluati estis, &c. Hic fides sola appræhendit illa sinè merito nostro: ideò est gratia, quia nemo meretur, sed propter Christum gratìs datur in baptismo per fidem. Quo fit, vt iam simus ex gratia iustificati, filij Dei facti, accepti à deo, & habeamus promissionem salutis propter Christum, antequàm aliquod bonum opus fecimus, aut facere potuimus: & sic totum illud gratia & misericordia est, non meritum nostrum. hoc totum nobis Deus propinat & donat sinè merito nostro. Actor. 10. propter nomen IESV Christi. Rom. 6. donum Dei vita æterna. Ephes. 2. Gratia saluati estis per fidem. nam fides hoc credit, appræhendit, & tenet constanter. quarè maximè hoc notandum est, quòd DEVS nobis dat gratìs illam gratiam priùs, quàm faciamus quicquam. Hic autem gratia significat beneficium Dei, quod nobis gratìs sinè merito nostro exhibetur, id est, immerita misericordia, qua Deus remissionem peccatorum tribuit, & vitam æternam: breuiter, quicquid nobis Deus gratìs dat, gratia est: deindè postquàm iam gratiam DEI accepimus, id est, remissionem peccatorum gratìs & promissionem vitæ æternæ, & iam baptizati & iustificati sumus, tunc etiam debemus facere fructus gratiæ siue fidei, i. bona opera, dare eleemosynam, orare, ieiunare, vigilare, &c. & illos fructus facimus cum adiutorio gratiæ Dei: & hìc gratia pro adiutorio accipitur, & hi fructus fidei secundùm gradus etiam sua habent præmia hìc & in futuro. Sed hìc non debemus miscere illa, scilicet quasi velimus fructibus, id est, operibus mereri remissionem, vitam æternam, &c. quam iam antè accepimus ex gratia in baptismo propter Christum gratìs, sed meritum huc dirigendum est, scilicet ad fructus qui sequuntur iam acceptam gratiam, ità quòd gratia semper maneat per se, & separetur à nostro merito. Nam quo ad iustificationem non compatiuntur se gratia & meritum, sed fructus gratiæ & meritum se compatiuntur. Primò igitur omnium Deus dat gratiam nobis gratìs, deindè nos facimus fructus gratiæ, quos deo offerimus, & illi habent ex promissione in Scriptura expressa sua præmia. Efficimur itaque primò filij Dei, & accipimus remissionem peccatorum: deindè gratiam sequi debent fructus &cæt. & sic dicitur illud gratia Dei, hoc autem meritum nostrum. Opera enim vel merita nostra non præcedunt gratiam, sed sequuntur, sicut fructus ex arbore nascuntur, non arbor ex fructibus. Opera quoquè non iustificationem, id est, remissionem respiciunt, sed gloriam in futura vita ex gratia: sic enim ait Apostolus Ephes. 2. Conditi ad bona opera &cæt. Differunt etiam plurimùm, mereri & retribui: non meremur iustificationem in baptismo, nec Sacramenta, nec remissionem, nec vitam æternam: hæc omnia fluunt ex merito CHRISTI: sed Deus promittit passim in Scriptura retributionem pro fructibus fidei seu pijs operibus. Matth. 5. Merces vestra copiosa est in cælo, &cæt. Insupèr si pij fructus non sequantur fidem, sed vita carnalis, tunc illa fides falsa est, & non retinet essentiale bonum, id est, gratiam Dei, remissionem peccatorũ, iustificationem, vitam æternam, quę omnia gratìs in baptismo per fidem accepimus. nam Apostolus ait, si secundùm carnem vixeritis, post acceptam iustificationem, moriemini: id est, vitam æternam nõ possidebitis. Licèt igitur fructus fidei sequãtur, non tamen merentur illa essentialia, sed Deus vult illis fructibus retribuere hìc & in futura vita debita ac condigna præmia.

QVARE DEVS PER MEDIA VVLT DISTRIBVERE MERITVM CHRISTI, ET NON GRATÌS IMPVTARE PECCATORI. Cap. 31.

PRimò notandum, ex quo est solus vnus redemptor Christus, & vna redemptio amarissima eius passio, qua ipse meruit sufficienter toti mundo salutem & remissionem, nec est in mundo aliquod opus, quod possit mereri iustificationem, & cùm deus nõ indigeat nostris operibus, nostris medijs, quærat aliquis, cur ergò exigit à nobis peccatoribus media in distributione beneficiorum Christi, nempè fidem exigit, Sacramenta, obedientiam præceptorũ, orationem, eleemosynam, cæremonias, &cæt. cur sic grauat homines, quos saluare vult,

cum

cum tali onere, cùm hoc æquè posset gra-
tìs & sinè omni medio vel labore, sola im-
putatione distribuere homini peccatori
beneficium ac meritum Christi, nec vllum
tamen opus aut medium hominis, quan-
uis absolutissimum & perfectissimum, hoc
posset mereri, nempè iustificationem? Re-
spon. Posset quidem Deus absoluta sua po
tentia sinè omni medio, fide, obedientia
præceptorũ, cultu & religione, & sinè in-
uocatione om̃ia dare, vt triticũ sinè agri-
cultura rustici, sanitatem sinè cura medici,
gubernare imperia sinè Cæsare & magi-
stratu &c. Sed hoc facere non vult, sed or-
dinauit media, per quæ ipse Deus, Deus
inquam, omnia facit & operatur. Rom. 13.
quæ à Deo sunt omnia, ordinata sunt: ipse
1.Cor.12. operatur omnia in omnibus, Ephes. 1. Sic
non agricultura rustici dat triticum, nec
radices herbarum sanitatem, sed Deus dat
& confert hanc virtutem ex sua omnipo-
Eccl 38. tentia. Deus enim creauit, id est, ordina-
uit medicum & medicinam ad necessita-
tem hominis. Sic ordinauit magistratum,
per quem Deus conseruat regna, ciuitates
& politias, nè sese inuicèm perdant, Rom.
13. Nisi enim Dominus custodiêrit ciuita-
tem, frustrà vigilat, id est, magistratus, qui
custodit eam, Psal. 126. Sic iussit hominẽ
terram colere, dicens: In laboribus come-
des ex ea, spinas & tribulos germinabit ti-
bi, id est, nisi tu eam colueris &c. Genes. 3.
Sic quoquè Deus non vult hominem per-
petuò hic viuere, sed statuit eũ semel mo-
ri, vt posteà ad æternã vitam reuolet, quã
Christus acquisiuit. Sic posset Deus homi-
ni dare salutẽ & vitam æternam sinè om̃i
medio, id est, sinè fide, baptismo, pœniten-
tia, eucharistia, cõfirmatione, obseruantia
præceptorũ suorũ, sinè cultu, religione &
cæremonijs, &c. sed nõ vult, ideò statuit
Marc.16. media & ordinauit in scriptura, scilicet, q
Matt.28. crediderit & baptizatus fuerit, &c. q man-
Rom.10. data eius seruauerit, qui ipsum inuocaue-
rit, qui illum solùm coluerit &c. per hæc &
huiusmodi media alia vult Deus distribue-
re salutem & vitam æternam huiusmodi,
& non sinè medijs illis: & quidem gratìs
vult distribuere, hoc est, non propter me-
dia illa, sed propter aliud, id est, propter
Christum, non tamen sinè medijs. Et illa
media vult Deus ex gratia nobis imputa-
re, tanquàm ipsa digna essent ad appræ-
henda beneficia Christi. etsi enim posset
nos Deus sinè morte CHRISTI saluâsse,
tamen hoc noluit, sed misit filium suum
in mundum, vt is pateretur mortem, vt sic
omnes nos virtute illius operis vnici atq;
victimæ Christi reciperemur in gratiam,
& saluaremur. Hoc igitur Christi opus,
seu magnum illud medium Christus no-
bis per alia media distribuit, id est, per fi-
dem, sacramenta, opera, cultum &c. quæ
media Deus imputat nobis tãquàm digna,
licèt non sint in sua natura digna, quæ ap-
præhendant Christum & salutem: sed De-
us imputat illa ex gratia digna, vt appræ-
hendant: & sinè illis non vult imputare,
neq; distribuere nobis gratiam Christi, id
est, iustificationem, remissionem, salutem
& vitam æternam. At quarè hoc, inquis?
Prima causa est Dei voluntas beneplacẽs, Causa I.
quam ipsam vlteriùs inquirere velle, est
indisciplinati & superbi animi. Esai. 45.
Nunquid dicet lutum figulo, cur me sic
finxisti? & Rom. 11. inuestigabiles sunt viæ
eius &c. Nemo igitur hanc causam quære-
re debet. Secunda causa est, quoniã Deus II.
vult agnosci & celebrari. ideò enim ratio-
nalẽ creauit hominem, & nõ irrationalem
sicut equũ & mulum, quibus nõ est intel- Psal.31.
lectus. Voluit enĩ Deus aliquot creaturis
esse cognitus, vt agnosceret & glorificare-
tur ab eis, & vt eius beneficia agnoscerent
& colerentur, sicut angelis & hominibus.
Ideò ordinauit fidem, quæ crederet Deũ
esse, & q vnus esset in essentia, trinus in p-
sonis: q creâsset in principio cælum & ter-
ram, & om̃ia visibilia & inuisibilia &c. de-
indè, quia cecidit homo primus Genes. 3.
misit Deus in terrã filium suũ, vt esset redẽ-
ptor & victima pro peccato illius lapsûs
primi hoĩs: & sic ordinauit fidem in filiũ,
quæ crederet esse filiũ Dei, conceptum de
Spiritusancto, natũ ex Maria virgine, & vt
nos Deo iterùm recõciliaremur, & in gra-
tiam pristinã restitueremur, ex qua Adam
nos eiecit, passum esse turpissimã mortem,
& iterùm resurrexisse, & ad cælũ ascẽdis-
se, & sedere nũc ad dexterã Dei patris sui,
tanq̃ Dñm & victorẽ peccati, Sathanæ, seu
serpentis, mortis æternæ & inferni. Hæc fe-
cisse Christum pro nobis, nobis inquã, fir-
miter credere exigit Deus: & hoc est me-
diũ, quod dicitur fides in Christũ. Ideò vt
hoc homo posset credere, donat Spiritum
sanctum Deus, qui cõgregat Ecclesiã in il-
la vnitate fidei & cõmunione sanctorũ: il-
los certificat de remissiõe peccatorũ, & de
futura resurrectiõe ac vita æterna propter
Christũ. Sinè huius fidei medio neminem
vult saluare Deus, iuxta illud Hebr. 11. Sinè
fide impossibile est placere Deo &c. Dein-
dè nè homo esset omninò ociosus, & obli-

uisceretur Dei sui,& nõ glorificaret eum, ordinauit & dedit Deus decẽ pręcepta Decalogi, Exod. 20. quibus esset occupatus per vitam suã, & haberet primò,quomodò Dei voluntatẽ perficeret, & obediret sicut seruus domino, & creatura creatori suo: in decalogo enim quasi in tabula depicta est voluntas Dei, quid velit aut nolit nos facere,& quid debeamus proximo nostro &c. Hæc autem præcepta non ideò dedit, vt per ea salutem mereamur: hoc enim Christo relinquitur,sed vt ipsum sic glorificaremus, tanquàm grata creatura creatorem suum: deindè, vt per hæc retineremus acceptũ Christi beneficium, nẽpè remissionẽ peccatorum,reconciliationem cũ Deo, promissam vitam æternã, & nè hæc per negligentiam peccatorũ amitteremus: Nã Adam quoquè acceptam originalem iustitiam perdidit,Gene. 3. Sic homines Deũ offendentes tẽpore Noe,diluuio puniti sunt. sic Saul,Iudas,& alij iustificationis gratiã amiserunt. sic angeli ipsi ob peccatũ ceciderunt &c. Nè ergò & nos contra voluntatẽ eius faceremus,& offenderemus iterùm,& amitteremus fauorem & iustificationẽ acceptam, ostendit nobis Deus suã voluntatẽ in decalogo. Et sic Deus fidẽ ordinauit,quæ apprænhendit iustificationẽ,gratiam Dei,remissionem &c. & decalogũ qui retinet illa: atq; sic per hæc media,& non propter hæc media,sed propter filium suum gratìs vult distribuere & donare salutẽ & vitam æternam, remissionẽ,gratiam,iustificationem,&c. Per fidem igitur & Sacramenta exhibet nobis Deus Christi beneficia, per obseruantiam verò decalogi,ieiuniũ,orationẽ, eleemosynam &c. retinemus illũ fauorem Dei erga nos: per cultũ religionis & cæremoniarũ ostẽdimus nostram gratitudinẽ,subiectionem & laudem erga Deum: Hæc om̃ia Deus sic ordinauit & voluit, & quãuìs nihil nobis debeat Deus,promisit tamẽ illa nobis imputare pro iustitia, nempè fidem & opera obediẽtię legis,licèt in se perfecta nõ sunt, &c. & vult illa remunerare p̃mijs æternis, id est,vult nobis hæc media & opera imputare tanq̃ digna q̃ apprænhendant distributionem gloriæ ex gratia. Hæc igitur vnica virtus & efficacia passionis Christi in baptismo daſ, in cõfirmatione confirmatur, qui pœnitẽtia recuperatur, in Eucharistia cõfortatur,in ordine denunciatur, in matrimonio retinetur, in vnctione extrema inuocatur,&c. Sic om̃ia Sacramẽta ad hoc sunt instituta & valent, vt vnica passio & mors Christi nobis subueniat: & hæc est Dei voluntas,qua sic gratìs per media, nõ tamẽ sine medijs, vult distribuere meritũ Christi. Porrò hæc propositio, nẽpè q̃ Deus statuit propter Chr̃m misereri nobis,i. cõdonare peccata & iustificare, & nõ propter mea opera, dupliciter potest intelligi: primò sic, q̃ Deus propter Chr̃m & eius opus velit simpliciter misereri, iustificare, saluare gratìs sinè omni medio & dispositione hominis, i. pœnitẽtia, fide, obseruãtia p̃ceptorũ, &c. tanq̃ si equũ aut truncũ iustificaret, quasi nullum opus aut mediũ hominis respiciat. Sed hoc falsum est,& cõtra Euangelicam scripturã: nam Euangeliũ docet pœnitentiã & fidẽ. Marc. 1. Pœnitemini,& credite Euangelio, & inanis esset scriptura,q̃ nobis legẽ DEI faciendã proponit,& exigit obedientiã à nobis. Pœnitere igitur, latum mãdatũ est,& totã vitam cõpræhendit, sicut & fides. nam illa duo ex æquo durare debẽt, & simul per totam vitam. sunt eñ duo cognata siue connexa, pœnitentia & fides. sicut eñ omni hora credimus, ità quoquè omni hora pœnitere debemus, i. cessare à peccatis. Quocunq; ergò tẽpore speramus & credimus Dei misericordiã, eodem & pœnitentia & cessatio à vitijs adesse debet. nã fides est fiducia cõsequendæ misericordiæ propter Chr̃m: at hæc fiducia est vana, si adhuc viuitur ac pergitur in peccatis: qui ergò dicit, q̃ Deus vult propter Chr̃m misereri sinè omni respectu mediorũ & dispositionis hominis, i. sinè fide & pœnitentia, ille errat: altero modo sic intelliguntur hæc verba: Deus per media propter Christum vult misereri, i. iustificare & saluare, ità q̃ media necessariò exigantur, Chr̃s tamẽ sit causa iustificationis & salutis,& nõ media, i. neq; fides, neq; opera, & sic Deus p̃pter Chr̃m iustificat, & nõ propter media, idq; ex gratia aut imputatiuè. Exẽpli causa: diues per mediũ petitoris propter Deũ dat eleemosynã: mediũ est petitoris seu pauperis accessus ad domũ diuitis: causa, cur datur à diuite eleemosyna, est Deus: & sic per mediũ p̃pter Deũ datur eleemosyna. q̃ si non esset mediũ, i. petitio pauperis, diues non daret eleemosynã: & cùm iã dat eleemosynã, non dat propter conditionẽ pauperis, sed propter Deũ. Sic Deus pater per mediũ, i. veram fidẽ hominis, propter Chr̃m dat iustificationẽ & salutẽ, si homo fidelis nõ esset, non daret Deus. Causa aũt propter quã Deus dat, est Chr̃s, & licèt Deus dat homini adferẽti fidẽ, iustificationẽ

& sa-

& salutem, non tamen dat propter conditionem hominis fidem habentis, sed propter Christũ. Et sic per media Deus omia dispensat. Apostolus ait 1. Corinth. 3. Ego plantaui, Apollos rigauit, Deus aũt incremẽtum dat. Ideò adhuc gratìs datur, quod datur: id est, propter aliquod aliud, quàm est opus ipsum vel mediũ nostrũ, hoc est, propter Christũ: attamẽ necessariò exigitur mediũ, quòd sinè illo nõ datur gratia & beneficium Dei. Sic docet Christus Lucæ 17. Cùm feceritis omnia quę præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Sic ergò loquendũ est, Deus propter Christũ filium iustificat & saluat per media, nẽpè per fidem & pœnitentiam: nõ ità loquendum, vt carnales hæretici volũt: Deus simpliciter propter Christũ sinè respectu mediorũ iustificat & saluat. Verum igitur est, Deum per media iustificare & saluare gratìs propter Christum: gratìs, hîc excludit meritum mediorum, & transfert in Christum: & ideò sic gratìs iustificamur & saluamur. Nam hæ propositiones, Deus propter Christum dat remissionem & salutẽ: &, Deus dat gratìs remissionẽ & salutem, idem sunt: nã dictio gratìs, solùm causam iustificationis adimit operibus, & trãsfert in Christum: non aũt tollit opera & media nostra. Item, Deus dat propter Christũ salutem. Et, Deus imputat nobis opera nostra, tanq̃ iusta & meritoria ex gratia & ꝓpter Christum: nam semper Christus causa est, & non opera remunerationis & meriti. Maximè ergò hoc attendendum est, ꝙ Deus qui promisit remissionem peccatorum, etiam iubet pœnitere, Marc. 1. Qui vult dare salutem propter Christum, etiã iubet credere in filiũ, & seruare eius præcepta, Matth. 7. qui nos vult comedere de fructibus terræ, idem dixit, In labore manuũ tuarũ comedes ex ea, Gene. 3. qui vult custodire & regere subditos, dixit p Apo-
Act. 20. stolum: Attendite vobis & vniuerso gregi &c. qui vult dare auxilia nobis in aduer-
Psal. 49. sis, dixit: Inuoca me in die tribulationis &c. q vult dare necessaria corporis, dixit:
Matth. 6. quandò oraturi estis, dicite: Pater noster &c. Panẽ nostrũ quotidianũ da nobis &c. Atq; sic Deus oĩa dat per media & ordinẽ quendam. Vndè veteres dixerũt in versu: *Omnia dat Dominus, sed non per cornua taurũ.* At tu animalis homo, vis habere iustificationem, salutem, & remissionem propter Christum sinè pœnitentia & cessatione à vitijs, vis intrare regnum cælorũ sinè obseruantia mandatorum Dei. Sed, crede mihi, Deus non irridetur, neque suum ordinem frangi vult: exigit enim hæc media à te, etsi propter ea non distribuat tibi, sed propter Christum. Breuiter, Deus nõ propter media, sed Christum dat salutẽ, & tamen vult media illa remunerare gloria æterna & salute: quarè si non attuleris fidem & pœnitentiã, non erit remuneratio.

DE POENITENTIA ET REMISSIONE PECCATORVM PROPTER CHRISTVM.

Cap. 32.

PRimò, pœnitentia est immutatio mentis, & operis ab eo, quod anteà placuit, & fuit contra præceptum DEI. Sic Magdalena Lucæ 7. mutauit mentem & opus, & doluit de eo quod fecerat. Sic Matthæus in teloneo, & Zachæus & alij qui cessârunt à peccato, & renunciabant prioribus factis suis: non redijt vel Magdalena ad meretricios amatores, nec Matthęus ad telonium, neque Zachæus, nec Paulus, nec Dauid ad priora peccata &cæt. ideò veteres definiẽrunt pœnitentiã, ꝙ ipsa sit, ꝑterita peccata plãgere & dolere, & ampliùs ea nõ cõmittere. Qui ergò in fornicatione, adulterio, inuidia, auaritia, crapula &c. vsq; & vsquè pergit, nec cessat, nec pœnitet, aut confitetur in anno vel semel &c. quia altera pars veræ pœnitentiæ nõ adest: est enim prima pars, dolere de admisso: altera verò, cessare & dignos fructus pœnitentiæ facere: ille nõ consequetur remissionem peccatorũ. Noua ẽm & immutata vita & noui motus sequi debent pœnitẽtiam: alioquì ipsa nõ est vera. Nã Christus ipse dixit adulteræ: vade, & noli ampliùs peccare, Ioh. 8. & Iohan. 5. dixit ad sanatũ circa piscinãi Vade, & noli ampliùs peccare, nè tibi deterius quid cõtingat: id quod cõmuniter fit, sicut Christus declarat de expulso Sathana, qui rediens, alios septẽ spiritus nequiores se adducit. Est aũt pœnitere, se agnoscere peccatorẽ. Rom. 3. omnes peccauimus &c. & Spiritussanctꝰ per scripturã arguit oẽs, & monet ad pœnitentiam. Deindè cùm fides sit fiducia consequendæ misericordiæ & remissionis peccatorũ propter Christũ, ideò qui non pœnitet, & cessat à vitijs, hic nõ consequitur illam misericordiam: quarè non sufficit, Credo in Christũ, aut, ego propter Christum spero me assecuturũ remissionem &c. sed requiritur etiã dolentia & pœnitentia de commissis peccatis, id est, cessatio à vitijs: & tunc propter Chrm,

& nō tuam contritionē vel pœnitentiam, sequit remißio peccatorū. hoc enī mediū exigitur. Fides ergò in Chrm, non est vera fides, neq; efficax ad impetrandā remißionē sinè cessatione à vitijs: dicere ergò, q̄ credas te habere remißionē propter Christū, & non curas pœnitentiæ medium, id est, pœnitentiā per quā efficax est sanguis Christi, erroneū est. Insupèr, cùm peccatū hæret in natura, opùs est assidua pœnitentia & remißione, id est, vt semper ingemiscas & doleas, te nō sic diligere, obedire p̄ceptis, timere Deū, orare, ieiunare, &c. sicut deberes. & licèt non semper externis factis violamus legem Dei, attamen internis motibus ac prauis & immundis cupiditatibus peccamus. Ideò hæc est interna & euangelica pœnitentia, dolere de interna illa mentis corruptione & immūditia, sicut Dauid dixit Psal. 50. Et peccatū meū cōtra me est semper. Illa ergò quotidiana & venialia peccata, qnibus obruimur, fide in effusum sanguinē, cùm pro distributione petimus, sicut Christus docuit Matt. 6. vt orem' nobis dimitti peccata nostra &c. tolluntur: hæc assidua & interna pœnitentia docetur, nè glorieris de tua iustitia & sanctitate operū, vt semper timeas Deum. Psal. 142. Non iustificabit in cōspectu tuo omis viuēs. hæc igitur peccata quotidiana, tollūtur quotidiana absolutione, i. auditione Euangelij, quod denunciat Christi passionem, pacē, &c. Si credas verbo per fidem, efficaciam verbi cōsequeris. Omni igitur die sic pœnitere oportet. Agnitio igitur nostræ infirmitatis & peccatorū, dolor, cōtritio & oratio pro dimißione exigitur, nō vt hæc per nostrā agnitionem & dolorem tollantur, sed quia Deus requirit hæc media in adultis: in paruulis verò nō est ratio, nec agnitio peccatorum: Deus talia media non exigit à paruulis, qui confitentur confeßione Ecclesiæ aut patrinorum: & sic remittitur illis peccatum virtute sanguinis Christi, infunditur illis Spiritussanctus cū suis fructibus &c. Prætereà qnoquè notandū est, q̄ alia res est cū pœnitētia post lapsum, & alia cū pœnitentia baptismali: in pœnitentia baptismali, solùm per fidem in mortē Christi pœnitēti peccata dimittuntur sinè cōfeßione, absolutione, & satisfactione &c. Sed lapsi à iustificatiōis gratia, si rursus iustificari volunt, tum nō solùm fides in Chri sanguinem exigitnr, quia Christus satisfecit pro peccatis totius muudi, sed etiam pœnitentia illa post lapsum, quæ cōtritionē, cōfeßionē, satisfactionē per ieiunia, orationē, eleemosynā & alia exercitia spiritualia cōtinet, exigitur, per quā remißio distribuitur: non qdem tollunt culpam, i. offensam Dei. Nā Deum reconciliat solus sanguis effusus Chri: attamē pœnam temporalem aut mitigant aut tollūt: sed neutrū horū distribuitur, si non adfuerint talia media: per hæc enim est efficax sanguis Christi ad tollendam æternā pœnam & culpā, i. iram Dei, insupèr est efficax hìc ad mitigandā & & tollendā pœnam temporalē. Ex quo patet, q̄ leuiter quidam p̄dicent de pœnitentia, dum docetur solùm, q̄ Christus satisfecit pro peccatis tuis: crede in eū solum: nihil est quòd te maceres & crucies cū satisfactiōe aut operibus: sunt humanæ traditiones &c. cùm tamē hæc omia sint ferè verbotenus in Scriptura expressa. Nemo aūt ex nobis tribuit his nostris medijs virtutē remißionis, sed omia relinquūtur efficaciæ vulnerū Christi: attamē hæc media sic sunt necessaria, q̄ sinè illis non erit efficax in nobis paßio Christi, i. nihil iuuabit nos, q̄ Christus pro nobis passus est, nisi in peccatis nostris talia remedia adhibuerimus. Insupèr nō valet illa conclusio, mea cōtritio est insufficiēs, & cōfeßio omniū peccatorū impoßibilis: solus Chrs satisfecit, ad qd ego cōfeßio, contritio, aut satisfactio mea? Respon. Deus exigit à te hoc, quod p̄stare potes adiutorio Spiritussancti: acceptauit Deus cor contritū Dauidis, cōfeßionē poßibilē, cùm diceret: Qm̄ iniquitates meæ supergressæ sunt caput meū, & sicut onus graue grauatæ sunt sup me, libera me à sanguinibus, i. homicidio &c. & fructus dignos pœnitentiæ, cùm diceret, Docebo iniquos vias tuas, & os meū annūciabit laudē tuā, lachrymis meis stratum meū rigabo, panē meū tanq̄ cinerē manducabā &c. Fidelis aūt est Deus, qui nō patiet vos vltrà tētari q̄ potestis, 1. Cor. 10. Facere ergò hoc debemus quod poßumus, & nō tam leuiter excusare nostrā licentiā, & oīa reijcere in fidem Chri. Exigit enī Deus nō solū cessationē à peccatis, sed etiā fructus dignos pœnitentiæ, Matt. 3. & illa quoquè habent sua præmia, quia per illa est efficax sanguis Chri, quo ad remißionē peccatorū, & distributionē gloriæ ex gr̄a propter eundē Christū. Porrò de satisfactiōe hoc credit Ecclesia, q̄ satisfactio coram Deo pro peccatis totius mundi, est sola vnica mors seu propitiatoriū opus Chri, 1. Ioh. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Esai. 53. Ipse peccata nostra portauit & cæt.

Psal. 37.

Psal. 50.

Psal. 50.

Psal. 6.

Psal. 101.

Mors

Mors igitur Christi, est generalis & prima satisfactio pro pœna æterna & culpa seu offensione corã Deo: nulla alia potest hic reperiri satisfactio coram Deo præter illam. Nam si posset alia dari, Christus non fuisset mortuus: posuit autem in eum iniquitatem omnium nostrũm. Alia satisfactio est erga hominem, scilicet vt proximo vel fratri tuo, quem offendisti, reconcilieris, Matth.5. rem ablatam iniustè restituas, aut pro ea satisdes: corpus tuũ, quod luxuriæ & ebrietatis vitijs coinquinâsti, per castigationem abstinentiæ & continentiæ repurges &c. Facias proximo tuo sicut tibi fieri velis, Matth.7. adiuues proximum tuum in necessitate constitutum, iuxta illud 1.Ioh.3. Non diligamus tãtùm verbo & lingua, sed opere & veritate. Hãc satisfactionem exigit Deus erga hominem & proximum nostrum, ità quòd sinè illa non erit efficax in nobis Christi satisfactio: nam sic iubet te orare Christus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, Matt.6. Lucæ 6. Remittite, & remittetur vobis: non quòd nostra remissio mereatur remissionem à Deo, sed quoniam Christi satisfactio non appræhenditur nec distribuitur sinè illa. Non enim liberat vel absoluit te Chr̃i satisfactio, nè reddas proximo quod suum est, nè satisfacias iuramento aut voto facto magistratui, prælatis Ecclesiæ, vel nè restituas rem alterius ablatã, vel famam per te læsam sarcias &c. Placant igitur pia opera Deum in fide Christi facta, & satisfactio nostra Deo placet, quia passim in Scriptura præcipitur, satisfaciunt etiã pro pœnis temporalibus, quæ alioqui Deus infligeret, sicut dicit Apostolus 1.Cor.11. Si nos ipsos dijudicaremus, non dijudicaremur à Domino. Ionæ 1. & 2. Crediderunt viri Niniuitæ, & p̃dicauerũt ieiunium &c. & vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt. Sic quoquè de his fructibus pœnitẽtiæ Deus loquitur per prophetã Ezechielem cap.18. Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouũ, id est, aliam nouam & spiritualem vitam, non carnalem, viuite: & reuertimini, & viuite. Magna est ergò carnalium & sectariorum hominum cæcitas, quòd ità paruifaciant sua delicta, & licèt conscij sibi grãdium criminum, tamen non confitentur nec plangunt, & dicũt se esse peccatores, & nullus tamen plãgit facto ipso: etsi agnoscunt se aliena rapuisse, non tamen restituunt aut de ꝓprio satisfaciunt: & cùm sciant se in fornicatione aut adulterio vixisse, non tamen confitentur nec cessant &c. at non sufficit vulnerato ad sanitatẽ, vt spicula è vulnere extrahantur, sed oportet etiam remediũ adhibere sanando vulneri, id est, non solùm ampliùs nõ peccare, sed etiam occasiones vitare, nè vulnus illud recrudescat.

DE VNICO OPERE PROPITIATORIO. Cap. 33.

SCiendum igitur est, in toto mũdo solum vnicũ esse opus propitiatorium aut sacrificium propitiatoriũ, id est, tale opus, quod tollit peccata mundi, donat nobis Spiritumsanctum, & vitã æternã meretur, scilicet opus mortis Christi, sanctissima victima crucis. Esa. 53. Ipse vulneratus est propter peccata nostra. Hoc vnicum opus dicitur opus gratiæ, vel sacrificium gratiæ, quia solum meruit ac meretur adhuc fidelibus remissionem & vitam æternam. Iohã.1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Et, de plenitudine eius accepimus omnes. Nullum ergò opus aliud in toto mũdo potest habere hanc virtutem & honorem, ꝙ mereatur coram Deo remissionem peccatorum toti mundo & vitam æternam. Et quicunq; in toto mundo volunt iustificari & saluari, per huius vnici operis virtutẽ saluari oportet, & non ex merito vllius iustitiæ propriæ aut operis quantuncunq; sanctissimi: non omniũ martyrum effusus sanguis, nõ omniũ hominum orationes, ieiunia, non omnes Missę, peregrinationes hoc efficere vnq̃ possunt, quod mors Christi semel effecit: nec ab initio mundi tale opus propitiatoriũ factum est, quòd meruisset remissionem coram Deo & vitam æternam, sed agnus occisus est ab initio mũdi, id est, oẽs virtute illius operis quod futurum erat, & nunc consummatũ, saluati sunt, & præsentes hodiè, & futuri cum præteritis saluantur. solus Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi. Non dedit Deus operibus humanis illum honorem, vt mererentur aut mereri possent remissionem & salutẽ, sed imposuit hoc vnico illi operi propitiatorio. Nostris quidem operibus Deus imposuit, vt vel per fidem & sacramenta appræhenderemus virtutem huius vnici operis, vel vt receptam virtutem ope-

ris illius vnici retineamus per obedientiam præceptorum, vel vt opera nostra fiant ad laudem & glorificatiõem, & ad gratiarum actionem Deo, ad seruiendum & benefaciendum proximo, ad castigandum corpus nostrum in vigilia, oratione, ieiunio, & pœnitentia &cæt. hæc Deus nostris operibus imposuit, non aũt vt essent opera propitiatoria, id est, quæ mererẽtur remissionem peccatorum coram Deo, vitam æternam, & vt satisfacerent pro peccatis &c. hæc reseruantur solius Christi vnico operi crucis. Ex quo fit, quòd conscientia sæpè turbatur ex ignorantia Euangelij: vult enim & imaginatur ratio, opera nostra esse propitiatoria, & mereri remissionem ac salutem, si fecerit ea: Si autem non fecerit, tunc vult desperare de salute consequenda, quasi non habeat Deum propitium ac placabilem &c. atque sic Christi sui obliuiscitur, non cogitat de ipsius vnico opere propitiatorio, ꝙ in eo solo consequamur remissionem & salutem. Immò sic cogitare debes, si Deus posuit sup Christum filium suum omnia omniũ peccata, Esaiæ 53. ergò & ego, qui in ipsum credo, ponam mea peccata super illum. Si enĩ ad meam conscientiam respexero, nõ constabo ante faciem Dei. Nemo ergò illa tribuere debet suis operibus, sed semper sese consolari in cõscientia sua cum opere illo propitiatorio Christi. hoc nunq̃ deficit nobis, nec frustrat: manet semper virtus istius, donec fides manserit in mundo. Ideò etsi in operibus nostris deficimus, non tamen propterea damnati sumus, quia adhuc habemus maximum illud opus præ omnibus operibus, nempè propitiatoriũ, per fidem nostram in Christum. Hoc verò opus Christi, gratis nobis distribuitur per fidem sine dignitate & merito operum nostrorum: & hoc ideò, vt Apostolus ait Rom. 4. vt promissio salutis consequendæ propter Christum sit firma. Nam si promissio illa penderet ab operibus nostris, id est, quòd tunc efficeremur participes promeritæ salutis per Christum, cõscientia nunquàm esset certa vel quieta. Nam lex, id est, opus semper accusat, quia minùs fecimus quàm debuimus: ideò promisit nobis Deus se gratis velle nos recipere propter Christum: nam ipsius causa sumus iustificati. hæc promissio firma est, quia Deus mentiri non potest, Hebr. 6. Sic Ephe. 2. Gratia (id est, gratis) estis saluati per fidem, & non ex operibus, nè quis glorietur. Ergò fides appræhendit gratis virtutem operis illius propitiatorij. Præterea fides est primum opus, quo accedimus ad Deum, Hebr. 11. ideò fit, vt per solam fidem in verbum Dei, & per Sacramenta à Deo instituta, participes efficiamur gratiæ Christi atque fructuum dominicæ passionis: & sic ante omne opus oportet fidem adesse: hæc personam iustificat primò, & appræhendit virtutem operis CHRISTI, in cruce ante omne opus & obseruantiam præceptorum DEI. Meritum igitur Christi non propter obseruantiam præceptorum & operum appræhenditur ac distribuitur nobis: nam iam in baptismo ante omne opus nostrum per fidem facti sumus participes, & iam habemus distributa merita Christi: igitur fides sola in DEI misericordiam propter Christum, appræhendit participationem virtutis operis propitiatorij. Hæc aũt ideò fit, vt gratiæ per Christum promeritæ præconiũ & honor maneat saluus & integer. Nam si Deus deberet permoueri nostro aliquo opere, quasi antecedẽte aliquo merito, vt distribueret nobis suæ passionis merita, iam non esset pura & tota gratia, Rom. 11. Si ex operibus, iam gratia nõ est gratia. Deindè nos mercenarij efficeremur, & oculo nequã ad mercedem respiceremus, nõ ad puram & nudã Dei misericordiã pendentes, nec Deũ propter semetipsum diligentes, sed vt distribueret nobis sua merita. Quia ergò gratia salui facti sumus, Ephe. 2. Act. 15. cõsequitur ꝙ propter nullũ opus id fit, sed solã fidem ante omne opus, hæc Christi merita apphendit in baptismo & sibi applicat. Licèt aũt fides sola apphendit per verbũ & sacramẽta Christi merita gratis, necessaria tamẽ sunt opera, i. obseruantia pceptorũ, oratio, ieiuniũ, &c. Nĩ fides non aboleret, sed statuit legẽ, Ro. 3. Habent ergò opera aliud officium, quàm vt iustificent, scilicet ꝙ retinent iam apphensam iustificationẽ: nam sinè obediẽtia legis ac bonorũ operũ non retinẽtur merita Christi in cruce impetrata. peccata enĩ excludũt Ro. 8. Si secundùm carnẽ vixeritis, 1. Cor. 6. Ephe. 5. Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis, scilicet cõtra legẽ Dei: & qui talia agunt, regnũ Dei nõ possidebũt: ergò iustificatio bonis operibꝰ, obediẽtia legis Dei retinetur, nõ meretur, nec obseruãtia pceptorum apphendit merita Christi, sed fides sola, & quidẽ gratis, sed tamen necessariũ est, vt statim fidẽ sequatur hæc obedientia, & fides nõ maneat sola, sed vt illi accedat dilectio & fructꝰ dilectiõis: & sic

fides

fides per dilectionẽ fit operoſa, Galat. 5. & hoc ideò, vt retineatur iuſtificatio ſiue meritũ Chriſti, non vt iuſtificet. Participatio igitur meritorũ Chriſti per fidẽ & Sacramenta appræhẽſa, obſeruationẽ facit præceptorum: confertur enĩ cum fide Spiritusſanctus, & ille facit nouos motus cordis & voluntarios ad obſeruãtiam præceptorum ſinè fide, nec plena fit obſeruatio præceptorũ aut imputatio, nec ꝓcepta ſinè fide foris facta participãt meritũ Chriſti, nec cum fide obſeruata participant & appræhendunt merita Chriſti, ſed ſola fides ante oĩa operatur at non retinetur hæc appræhenſio, ſi nõ ſequitur obedientia legis Dei &c. Fit igitur participatio primò fide in Chriſtũ: eſt igitur obedientia legis immediatè & neceſſariò adhibenda propter retentionem meriti Chriſti, quod fides antè appræhendit. Sicut enim merita hominis non meruerunt electionem, de qua dicitur Epheſ. 1. Elegit nos ante conſtitutionẽ mundi, ſed quia iam gratìs electi, vt eſſemus & bona operaremur, ideò gratia, & non merita noſtra primum habent locum. Sic etiam inquit Auguſtinus de prædeſtinatione ſanctorum, elegit nos Deus in Chriſto ante conſtitutionem mũdi, non quia per nos ſancti & immaculati futuri eramus, ſed quia prædeſtinauit elegitq; vt eſſemus. Sic fides primùm appræhendit gratiam, id eſt, meritum Chriſti: & hoc appræhenſo, ex illo confertur gratia ꝙ iuſti permanemꝰ, & faciamus bona opera: ideò opera ſequuntur iuſtificationem, non autem præcedunt. Præterea ſequũtur quoquè præmia certa poſt opera ex promiſſione & gratia, 1. Cor. 3. Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundùm laborem ſuum. & Matth. 16. Reddet vnicuique iuxta opera ſua. ſed hæc præmia non ſunt remiſſio peccatorum, gratia, vita æterna. nam iſta ſunt dona, quæ abſque merito gratìs donantur credenti propter Chriſtũ. Sunt verò alia præmia corporalia & ſpiritualia, vt patet in decalogo Exod. 20. Leuit. 26. Deut. 28. habet enĩ lex ſua promiſſa præmia. At Euãgelium gratìs promittit & exhibet nobis Chriſtum per fidem. Iohan. 3. Vt omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam &c. & Actor. 10. huic oẽs prophetæ teſtimonium perhibent, in nomine eius accipere remiſſionẽ peccatorũ &c. Huic ergò operi propitiatorio ſolum relinquere oportet tanq̃ illi ꝓpriũ, quod ſemel omnibus & toti mundo meruit remiſſionẽ & ſalutem: ſemel, inquã, & vnico opere in cruce acquiſiuit & promeruit remiſſionẽ & ſalutẽ: nec poteſt iterũ aut ſecundò mereri per aliquod opus hoĩs. Ideò cautè agendũ eſt, nè dicatur aut credatur ꝙ operibus mereamur iuſtificationẽ, remiſſionẽ & ſalutem: hoc enĩ derogaret Chr̃o, qui ſemel & ſolus meruit illa: nos aũt fide, operibꝰ & ſacramentis nihil aliud efficimꝰ, niſi ꝙ participes fiamus vnici illius operis, & nobis applicemus ꝓmeritam ſalutẽ, & illã retineamus. Veræ igitur ſunt huiuſmodi ꝓpoſitiões, bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutẽ retinendã: Et, bona opera ſunt vtilia, & ſeruiũt ad ſalutẽ: Et, bona opera retinent ſalutẽ &c. illæ cõcedunt Chr̃o ſuum honorẽ, ꝙ meruerit ipſe theſaurũ ſalutis vnico ſuo opere ꝓpitiatorio. Sed illę ꝓpoſitiones falſæ ſunt, Bona opera noſtra merentur ſalutẽ, &, Deus ꝓpter opera noſtra tanq̃ cauſam dat ſalutem &c. hæ enĩ excludunt Chr̃m & euangeliũ, quę nobis gratìs denunciant ſalutem ꝓpter Chr̃m, non aũt ſic gratìs, nè fiant bona opera: nã illa neceſſariò exiguntur poſt fidẽ, nè peccemus: ſed ideò gratìs, quia nõ ꝓpter noſtra opera tanq̃ cauſam, ſed gratìs ex miſericordia Dei propter Chr̃m filium, ità vt Chriſtus cauſa ſit diſtributionis ſalutis, nõ opera noſtra. Poſtremò, hoc vnicũ opus ꝓpitiatoriũ eſt integrũ & perfectũ, & ſolũ ſufficiẽs ad noſtram iuſtificationẽ & ſalutem: non enĩ eget auxilio operis noſtri: dixit enĩ in cruce, Conſummatũ eſt, i. plenè & perfectè opus redemptiõis oĩbus hominibus in toto mũdo credentibus. Hoc ergò opus Chriſti vnicũ, ſua virtute totã confert vim & virtutẽ atq; efficaciam ſalutis ac meriti: non eſt igitur neceſsè, vt meũ opus iungatur huic operi Chr̃i, quô ſic hæc duo ſimul vel mereantur, vel diſtribuant meritũ Chr̃i. Ob id cautè loquendũ eſt ſic, Opus meum meretur vitã æternam ex gratia: nã ſic nõ loquitur Scriptura, ſed eſt opinio Doctorum: alioquì & opera noſtra fierent ꝓpitiatoria, i. mererentur ſalutem, & hoc maximè derogaret vnico operi crucis Chr̃i, qui honorẽ ſuum non vult dare alteri, id eſt, nulli operi humano concedere illã efficaciã aut dignitatem merẽdi ſalutẽ æternam. Non igitur cõſentaneum eſt ſcripturæ, cõiungi opera noſtra operibus Chriſti, vt hæc duo nos ſaluent, & non ſolùm vnicũ opus Chriſti ꝓpitiatorium: eſt enĩ vnus mediator Dei & hominũ, 1. Tim. 2. vnicus ꝓpitiator, 1. Ioh. 2. Sunt quoquè oĩa opera noſtra eucharistica, i. laudis & gratiarũ actionis ſacrificia, aut quia teſtantur fidẽ,

Iohan. 19.

vt martyria sanctorum,persecutiones,aduersitates, oratio, vigiliæ, eleemosynę, vita monastica.&c. & in summa quicquid homo facere potest,non sunt opera propitiatoria, id est,quæ mereantur remissionē & salutem:hoc enim solum vnicum opus propitiatorium Christi (id est, mors eius in cruce) meruit: & quotquot saluantur, virtute illius vnici operis propitiatorij saluantur,non virtute propriorum operum nostrorum: ad hoc enim solùm ordinantur opera,vt appræhendant & participent hanc promeritam salutem,sicut fides: vel vt conseruent appręhēsam gratiam,nè iterùm perdat,&c. sicut est obedientia legis: merentur autem præmia magna, sed accidētalia in hac & post hanc vitam. Hoc igitur opus propitiatorium,saluificum opus, & gratiæ meritorium opus coram Deo,id est,mors Christi,secum patitur alia opera, legem,cæremonias,sacramenta, præcepta &c.sicut Dominus patitur secum seruum, sed non vt sibi sit æqualis:ità opera nostra non sunt æqualia, & multò minùs maiora hoc vnico opere propitiatorio Christi. Et quemadmodùm nō patitur Dominus, vt seruus sibi præferatur aut æquetur: ità non patitur secum Christi opus propitiatorium nostra opera tanquàm paria sibi, vt illis tribuatur iustificatio, id est, remissio peccatorum,salus & vita ęterna:at si retinent conditionem seruorum,id est,si fiducia salutis & iustificationis non locatur in nostris operibus, cæremonijs, legibus, regulis &c.sed si fiunt in alium finem, vel vt appræhendant,vel vt retineāt iustitiam Christi,non dico vt mereantur,tunc compatiuntur se.Et quanquàm nemo locat fiduciam salutis in vllo opere suo,non tamē reijcere debemus opus,sed falsam persuasionem,non laborem operum tuorum,sed fiduciam. Est enim omnibus hominibus quodammodò insitum,vt quicquid fecerint,hoc putent mereri vitam æternam, & remissionem peccatorum:& maximè quidam religiosuli per fidelem ignorantiam in monasterijs imaginātur sibi se p rigidā obseruantiam regularum paupertatis,solitudinis,nocturnarum vigiliarum,orationum &c.cælū mereri,cùm tamen hoc vnico operi ꝓpitiatorio Christi adscribi debeat.si enim hæc nostra opera essent propitiatoria,túc non opùs haberemus Christi opere propitiatorio.non igitur obedientia præceptorum,vigiliæ,orationes,regulę &c. merentur remissionem, sed retinent virtutem & efficaciam operis propitiatorij,id est, meriti Christi. Sic ipsa sacramēta non sunt opera propitiatoria,sed vasa gratiæ, ex quibus fides apprǽhendit promeritam salutem. In summa,oīa nostra studia,actiones, pietatis exercitia, sacramenta, opera &c. ad hoc tendunt & fiunt,vt participes & digni efficiamur promeritę salutis,& vt eā retineamus:aliás eā nihil proderit nobis. Hæc igitur doctrina semper est tenenda, nè fides locetur post facta opera,id est,vt putem vel credā tunc Deum mihi fore propitium & fauentem, quandò hoc vel illud fecero &c.hoc enim pertinet ad opus Christi,qui nobis Deum propitium reddidit per propitiatorium suum opus &cæt.

DE FALSO INTELLECTV CARNALIVM HOMINVM, QVI DICVNT, OPORTET VT propria fides me saluet ac iustificet.Cap.34.

HOC tempore frequēs est in ore hominum quorundam sermo, Necesse est vt fides propria mea me saluet: aliàs non saluabor: oportet fidem meam omnia efficere &c. Sciendum itaque est,quòd sola Dei misericordia propter Christum,eò quòd is factus est victima ꝓ nobis,saluari nos oportet sicut dicimus,cupio saluari per passionem & mortem Christi, propter illum ꝓmissio facta est salutis: ipse Christus solus hanc salutem promeruit morte & sanguine suo. Rom.4. Mortuus est pro peccatis nostris &c.& Actor.15.inquit Petrus,gratia Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluari,id est, ꝓpter sanguinem ipsius effusum, i. in virtute sanguinis ac mortis Christi. Virtus ergò effectiua,fons & origo saluationis nostræ,sita est in sanguine & morte Christi,vt in causa efficienti.Deindè ex eo quòd fides propria non est ipsa mors vel sanguis Christi,neq; deus,liquet, quòd fides mea propria me simpliciter nō saluet,sed oportet vt aliud aliquid existat, quod me saluet, id est,sacrificium & mors Christi:in hoc sita est virtus & causa effectiua,non in fide. Est enim mors Christi, misericordia Dei,& gratia res extra me:fides autem propria est res in me,id est,in corde meo existens,tanquàm optima quędam virtus,sicut etiam est dilectio.Si ergò fides propria me saluaret, tunc salus esset fundata super opus hominis,& non super rem extra nos,id est,mortem & passionem Christi.

Chriſti. Prætereà, fides vt eſt virtus theologica, ſicut & ſpes & charitas, non ſaluat ſua virtute, nec iuſtificat: ideò error eſt cũ dicitur, fides mea me ſaluat, quaſi ipſa ſaluator meus eſſet, aut quaſi Deus propter fidem meam tanq̃ opus virtuoſum me ſaluaret, ità vt fides eſſet cauſa effectiua ſaluationis & iuſtificatiõis meæ: ſed hoc derogaret morti & paſſioni Chriſti, qui ſanguinem ſuum effudit in ara crucis, vt nos ſaluaret: eſt igitur ille ſanguis effuſus cauſa effectiua & origo ſaluationis noſtræ. Chriſtus enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris, 1.Ioh. 2. Rom.3. quem propoſuit propitiatorẽ in ſanguine ſuo. & Eph. 5. qui dedit ſemetipſum hoſtiã pro nobis in odorẽ ſuauitatis. Igitur nõ propria mea fides me ſaluat effectiuè, ſed ſola mors Chriſti hunc habet honorem. Nam fides noſtra ꝓpria habet aliud officium, quàm quòd per ſe ſaluet, ſcilicet ꝙ appræhendit id quod me ſaluat, hoc eſt, acceptat & ſibi applicat gratiam, meritum & redemptionem Chriſti, & facit nos participes ſaluationis iam ꝓmeritæ per mortem Chriſti, id eſt, fides noſtra appræhendit aliquid quod eſt extra hominem, & non intra hominẽ. Ideò fides dicitur ſaluare & iuſtificare ratione appræhenſiõis & ſibi appropriationis. appropriat enim nobis rẽ quæ non noſtra erat, ſed extra nos, id eſt, meritum Chriſti, redemptionẽ, gratiã & fauorem Dei &c. Id verò ſic patet: fides eſt ex auditu verbi Dei de Chriſto in hunc mũdum miſſo, nato, paſſo & reſuſcitato, &c. nã Deus promiſit in verbo ſuo, ꝙ propter Chriſtum vellet miſereri & dare ſalutẽ hominibus. Ioh.3. Sic Deus dilexit mundum, &c. Coloſſ.1. Complacuit patri omnia reſtaurare per ipſum & quæ in cælis, & quæ in terris ſunt. Item Eſa. 53. Poſuit ſuper eũ omnia peccata noſtra. & iterùm, Propter peccata populi mei percuſſi illũ, id eſt, vt eſſet victima, propter quã Deus nobis parceret, & noſtrĩ miſereretur. Gal.3. vt nos à maledicto legis liberaret, factus eſt maledictũ, ſicut ſcriptum eſt Deut. 21. Maledictus omnis qui pendet in ligno, & 2.Cor. 5. qui peccatum non fecit, factus eſt peccatum, id eſt, hoſtia pro peccato, vt nos efficeremur iuſti coram Deo propter ipſum. Hæ ſunt promiſſiones in verbo Dei nobis propoſitæ: ſed non poſſum capere eas alia via aut modo, niſi per fidem, id eſt, quòd credo in corde meo ſic eſſe, & cupio mihi exhiberi ea quæ promittuntur in verbo Dei. Et ideò fides appræhendit rem aliam, quàm ipſa per ſe eſt, nempè gratiam Dei & meritum Chriſti, & ſolùm reſpicit ad verbum Dei & promiſſiones eius, & cupit ſibi ità fieri iuxta verbum Dei: & ſic fides ratione appræhenſiõis gratiæ & meriti Chriſti dicitur ſaluare, nõ ratione ſuæ virtutis, inquantùm eſt virtus: ſed infinitis modis maior eſt gratia & meritũ Chriſti, quàm fides mea propria. Fides ergò, propterea quòd credit ſic eſſe, vt verbum Dei dicit, & quia cupit illa & appræhendit, dicitur iuſtificare & ſaluare. Deus autem eſt qui iuſtificat per fidem gentes, vel fide circuncisos, Roman.3. Eſt igitur fides veluti inſtrumentum, per quod Deus nos iuſtificat & ſaluat. Deus enim qui nos iuſtificat, ipſe remittit peccata, donat ſalutem æternam propter Chriſtum: fides mea non remittit peccata, nec donat Spiritumſanctum aut ſalutem, ſed ſolùm appræhendit & ſibi applicat propter Chriſtum hoc quod Deus confert. Quòd ſi inquis, Dicitur Lucæ 7. Fides tua te ſaluum fecit, & Roman.3. Arbitramur hominem fide iuſtificari, & Epheſ. 2. gratis ſaluati eſtis per fidem. Matth. 8. leproſo dicitur, fides tua te ſaluum fecit. & idem in multis alijs locis fit aut dicitur, ergò fides mea ꝓpria me ſaluat ſua virtute. Reſpon. hoc verbum, ſaluare, malè exponitur pro beatitudine, quaſi fides hominis ſaluaret aut mereretur ſalutẽ. ad quid enim veniſſet Chriſtus? nunquid fides mea Chriſtus eſt? aut mors & ſanguis illius? ideò ſic valet hæc propoſitio, fide ſeruati eſtis & liberati à peccatis, id eſt, quia credidiſtis in Chriſtum, quoniam ipſe eſt ſaluator & redemptor noſter, quòd ob eundem Chriſtũ Deus nõ vult imputare vobis peccata veſtra, ſed donare ſalutem æternam, idq; nõ propter fidem propriam, tametſi fides exigitur tanq̃ inſtrumentũ & mediũ, per quod Deus opus ſuũ perficit, attamẽ non ꝓpter fidem noſtrã tanq̃ cauſam, ſed ꝓpter Chriſtum: ità virtus ſalutis transfertur in ſanguinem Chriſti, & non in fidem noſtram. Præterea Deus per nullum aliud opus iuſtificat hominem, niſi per fidem. nam fides eſt primum & potiſſimum opus hominis, Iohan. 6. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit pater in mundum. fides igitur eſt & opus Dei, quoniam ipſe donat & offert gratiam per verbum: & eſt opus hominis, quoniam homo conſentit verbo DEI: hanc verò fidem ſequuntur alia opera, id eſt, obedientia legis, ieiunium, oratio, eleemoſyna &cæt.

at fi-

at fides non naſcitur ex operibus, ſed ex verbo Dei. Roman. 10. fides eſt ex auditu, opera autem ſequũtur & naſcuntur ex fide, & fides per charitatem operatur, Galat. 5. quod ità fit, nempè fides appræhendit Chriſtum gratìs cum omnibus diuitijs ſuis, poſt cuius appræhenſionem naſcitur dilectio ad Deum, tanq̃ ad pium patrem, gratioſum & miſericordem Deum, ꝙ ſibi ità gratìs remittit peccata, promittit ſalutem, donat Spiritumſanctum, acceptat pro filio & hærede, Roman. 8. & hæc dilectio nunc vltrà parit bona opera, obedit legi Dei, orat, ieiunat, &c. omnia ad laudẽ Dei & gratiarum actionem, nõ in finem iuſtificationis & ſalutis, quia iam omnia gratìs appræhenduntur in Chriſto. Rom. 8. qui dedit filium, quomodò nõ omnia cũ filio?
Galat. 5. ob id dicit Apoſtolus, fides quæ per dilectionem operatur, id eſt, obedientiam legis: non dicit, fides iuſtificat per charitatem: ſed dicit, operatur. Eſt igitur pro regula obſeruãdum, ꝙ Deus ſolùm propter ſanguinem Chriſti nos iuſtificat, id eſt, remittit peccata, donat Spiritumſanctum, & vitam æternam: nam vnicum eſt opus propitiatorium, Eſai. 53. & hoc ſola fides appræhendit. ob id om̃ia alia opera bona hominis, nõ ſunt opera propitiatoria, id eſt, remiſſionis peccatorum & promeritoria gratiæ & ſalutis, ſed hoc ſemel per Chriſtum expeditũ eſt: ſed in eum finem ſunt neceſſaria, vt appræhenſum theſaurum, id eſt, promeritam ſalutem per Chriſtum retineamus, & laudes Deo faciamus, Matt. 5. Philip. 1. & gratias agamus, & è diuerſo proximo noſtro propter Chriſtum benefaciamus, ſicut accipimus à Deo, ità propter eundem Chriſtum benefacere proximo debemus. nã hoc præcipit Deus, vt diligamus proximũ noſtrũ, ſicut nos ipſos, Matth. 22. Poſtremò, ex quo fides non eſt cauſa ſeu virtus effectiua, q̃ nos iuſtificat, ſed Deus propter Chriſtum, ſequitur ꝙ multo minùs opera bonis quantumcunquè ſpecioſa & ardua, habere poſſunt hãc dignitatem, ꝙ iuſtificẽt, aut virtutem vel efficaciam habeant merẽdi ſalutem. Cùm enim fides ſit nobiliſſimũ opus inter om̃ia opera hominis, & tamen nõ habet efficaciam iuſtificandi aut ſaluandi effectiuè, multo minùs ergò opera quæ ſunt inferiora fide. Et dicitur fides ideò nobiliſſimũ opus, quia ipſa primum eſt opus omnium operum hominis, & ſola credit & appræhendit verbũ promiſſionis diuinę: & quia ſinè hoc ipſo opere fidei impoſſibile eſt placere Deo, Hebr. 11. fides appræhendit diuitias Chriſti, ſed ſemper Deus donat hæc gratis propter Chriſtũ. Ex quo ſequitur primò, quæ ſit cæcitas rationis noſtræ, quæ pluris æſtimat opera ſua, quàm fidẽ: in opera eñ intuetur humana fragilitas, & ſeipſam quodammodò effert, & non poteſt à natura ſua intelligere, niſi fortè à Spiritusancto edoceatur, nempè ꝙ fides ſola (quanuìs non per ſe, ſed per donum Dei) appræhendit ex verbo Dei promiſſam ſalutem æternam, gratiam & fauorem Dei, iuſtificationem, remiſſionem peccatorũ, vitam æternam, quę ipſa ſunt merita & beneficia ſanguinis Chriſti, propter quem etiam iſta homini fidem habenti conferũtur gratìs ex miſericordia Dei. Deindè ratio humana non intelligit, quęnam ſint illa, quæ fides appræhẽdit, nempè quę ſunt, vt iam dictum eſt, remiſſio peccatorũ, iuſtificatio, ſalus æterna, & gratia Dei: ſed vult adhuc illa mercari ſuis operibus, quaſi fides ad ea appræhendenda non ſufficeret: tertiò: difficulter intelligit ratio, nec ſatìs percipit, vim & efficaciam fidei, nempè ꝙ fides in vno momento appræhendit Chriſtum cum omni ſuo merito & beneficijs, id eſt, cum remiſſione peccatorũ, iuſtificatione, gratia Dei, ſalute & vita æterna: deindè quia neſcit ordinẽ, quomodò fides præcedens omnia opera, & ante opera appræhendit iuſtificationem, remiſſionem peccatorum, promiſſam ſalutẽ & vitam propter Chriſtũ &c. ità ꝙ nõ ſit opùs mercari illa noſtris operibus, ſed ſolùm ad retentionẽ valent. Quartò, quia neſcit ratio ordinatum finem, in quem debẽt fieri opera bona, & quarè debeant ſeruari præcepta. Nã ità eſt humanæ fragilitati inſitũ, vt quàm primùm audit mentionẽ de operibus ꝙ exigantur in Scriptura, & ꝙ neceſſariò debeant ſequi & fieri, ſtatìm vult inferre inordinatum finem, ſcilicet quaſi hæc fiant propter regnum cælorum, & ꝙ per ea mereamur gratiam & ſalutem æternam: non autem cogitat de alio ordinato & debito fine, ſcilicet ꝙ fiunt ad retentionem gratiæ Dei & ſalutis æternæ promiſſæ: aliàs enim hæc iterùm amitterentur, deindè ad laudem Dei, ad gratiarũ actionem, ad caſtigationem corporis, ad ſeruiendum proximo &c. Non habent igitur neq; opera, neq; fides noſtra propriã vim effectiuam, cauſam, vel virtutem ſaluandi aut iuſtificandi: ſed ſolus Deus effectiuè & principaliter iuſtificat, Rom. 3. fides verò appræhendit ſalutem & iuſtificationem,

nem, opera aũt retinent & custodiunt &c.

DE NOVA RENASCENTIA SPIRITVALI. Cap. 35.

Notandum est primò, q in scriptura sæpè fit mentio de noua renascentia, vt Ioh. 3. Oportet nasci denuò. Galat. 5. Neq; circuncisio, neq; præputiũ aliquid valet, sed noua creatura. & Iaco. 1. Initium creaturæ eius &c. & 1. Ioh. 5. Omne quod natum ex Deo, vincit mundum, 1. Ioh. 4. Qui diligit fratrẽ, ex Deo natus est. Rom. 8. primitias spiritûs accipimus &c. At quid nũc est renasci ex Deo? Deus enim homines nõ generat. Respõ. nouũ hominẽ, qui factus & genitus est, facere nemo potest, sed oportet illũ crescere & nasci: sicut agricola nõ potest facere arborẽ, sed arborẽ oportet suapte natura nasci ex terra, itã nos non sumus quasi iam facti filij Adam, sed nati, & peccatũ à patre & matre traduximus. Sic nõ possumus per opera impetrare, vt filij Dei simus, sed oportet nos de nouo nasci. Deindè scimus q omne quod crescit, ex semine crescit, & nihil sinè semine suo crescit: ergò oportet etiã nouum hoĩem crescere ex semine. Sed quod est semen hoc? Respon. est verbũ Dei. 1. Petr. 1. ex eo quia nunc estis creatura noua renati, nõ ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbũ Dei viui, permanentis in æternum: ideò decet vt nũc aliter vitã ac mores instituatis, vt sicut anteà vixistis in odio, nũc viuatis in dilectiõe: si anteà vixistis in immunditia, fornicatione &c. nũc viuatis in castitate & cõtinentia &c. Sed quomodò fit eiusmodi renascentia? Primò dicit Petrus, q per semẽ simus renati: nã nihil crescit sinè semine. Si nunc antiqua natiuitas venit ex semine, ergò oportet & nouã natiuitatẽ crescere ex semine: Semen igit primæ natiuitatis fuit caro & sanguis Adæ corruptũ peccato, & ex illo oẽs prima natiuitate generamur: est ergò hoc semen corruptũ & infectum peccato, & sic fit q oẽs nascimur peccatores, & in Adam oẽs peccauimus, Rom. 5. ideò dixit propheta Psal. 50. Eccè enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis, id est, in corrupto semine concepit me mater mea. Aliud itaque semen quo iterùm & de nouo renascimur, est verbũ Dei, quod est semen incorruptibile, & venit ex æterno verbo Dei, id est, filio eius IESV Christo: illud verbũ totum est vndè viuimus, hoc est cibus & potus animæ atq; vita nostra. Psal. 118. Viuifica me secundùm verbũ tuum, & Lucæ 4. Christus de hoc cibo dixit, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo &c. Sicut ergò omẽ illud quod nascit & crescit, totũ suum esse habet à semine, sic anima nostra à verbo Dei. Est igitur verbum Dei semen, per quod de nouo nascimur: sed quomodò hoc fit, vt homo renascatur, cùm iam sit senex, Iohan. 3? primò emittit Deus verbum suum & Euãgelium, facitq; vt semen eius cadat in corda hominum: vbi ergò hoc verbum, id est, semen in corde coalescit, & insitum hæret, ibi est Spiritus sanctus, qui facit nouum hominẽ, & ibi fit planè alius & nouus homo, aliæ cogitationes, verba & opera &c. Sic totus homo interior immutabitur & creatur in nouũ hoĩem. vndè dicitur, Emittes verbũ tuũ, & creabunt. Sic dictum fuit Sauli, spiritus Dñi transiliet in te, & immutaberis in virũ alium. & 1. Cor. 13. Paulus dicit, cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, nunc autem &c. Deindè hoc semẽ est incorruptibile, id est, æternum: nã omne naturale semen cùm vel in terrã, vel in animal cadit & concipitur, mutatur & non manet semen. Iohan. 12. Nisi granum frumenti in terram cadens, mortuum fuerit &c. Sed hoc semẽ verbi Dei viuentis, non mutatur: ideò sicut semen est æternum, itã & in æternum conseruat in vita æterna quos generauit, sic dicit Esai. 40. Verbum tuum Domine manet in æternum. Insupèr licèt vox quæ profert verbum hoc, citò ex ore transit per aërem, energia tamen vel virtus intellectiua, veritas Domini, quæ fuit compræhensa in voce, manet perpetuò: ideò dicit Apostolus ad Rom. 1. Non erubesco Euangelium, est enim virtus Dei in illo, quæ saluat nos quotquot in illum credimus: sic vox ipsa foris manet, dũ annunciatur Euangelium, sed virtus vel nucleus verbi, quæ saluat nos, cadit intrò in cor hominis, & manet alta mente repostum vsq; ad mortẽ, & tunc cessabit fides, & videbimus in re, quod hic credidimus: ideò dicitur 1. Cor. 13. Nunc manẽt fides, spes, charitas, tria hæc: sed maior horum charitas est: & videmus nũc in speculo & quasi in ænigmate &c. Sic nascimur de nouo ex hoc semine, scilicet verbi Dei. Est igitur verbum Dei Euangelium, quod seminatur inter nos: Deus est seminator. emamus itaq; & appræhendamus hoc semen, quod Deus nobis quotidiè offert: nec est quod dicas, hoc verbum longè à te remotũ esse. dicit enim Moses Deut. 30. Verbũ quod ego

Psal. 103.
1. Reg. 9.
Psal. 118.

ego tibi prædico,non est longè à te,&cæt. vt longè post illud curras, vel vt in altum afficendas,vel trás mare nauiges: sed propè est tibi verbû,nempè in ore & corde tuo: & hoc est verbum, si quis crediderit quoniam Iesus dominus est,& ꝙ pater suscitauit eum à mortuis,is saluus erit:corde creditur ad iustitiam,&c. Verbum citò volat, & momento citiùs profertur: sed virtus & energia eius in cor hominis descédens, nó potest perire aut intermori, nec etiam te permittit mori,id est, damnari: quàm diù tu in illo pédes,tam diùte seruat,sicut etiam dixit Christus Ioh.8.Amèn amèn dico vobis,si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum. Igitur dum audio,quoniam Christus est mortuus pro peccatis meis,Ro.4.ꝙ peccata mea à me transtulit,& cœlû promeruit,& oĩa se donaturum promisit, tunc audio euangelium: sed vox quidem illius citò transit, sed tamen quum ceciderit in cor & apprehenditur,tunc nunquàm potest excidere: hanc veritatem nulla creatura potest conuellere,neq; inferorum portæ ei præualere poterunt. Si Christus viuit & manet in æternum,ergò & qui credit verbo eius,viuet in æternum, sicut dixit ad Martham Iohan.11.Ego sum resurrectio & vita. qui credit in me, etiāsi mortuus fuerit, viuet. Hoc quoquè sciendum est, ꝙ semen hoc, id est, Verbum Dei, aliquãdò cadit solùm in aures, & non in cor, sicut cùm auditur concentus musicus vel Symphonia organi, tunc sonus tantùm in aures incidit, & non descendit in cor,nec cor aliquid de illo sono apprædendit, sed falté aures audiunt: sic quoquè apud paucos verbum Dei fructificat,sed solùm ad aures perueniũt:nó recolunt hoc in corde, sed vbi in cor hominis inciderit,indè non redibit vacuum, Esai. 55. sed sicut pluuia fructificabit. Sic verbum Dei non in auribus fructum facit, sicut nec pluuia in lapides cadens:sed si in cor inciderit,frugiferum erit, Psal.118. In corde meo abscondi eloquia tua. Atq; sic verbum domini nos de nouo regenerat, & ad vitam æternam conseruat.

DE FALSO INTELLECTV RATIONIS HVMANAE CIRCA GRATIAE MERITVM.

Cap. 36.

Apostolus Petrus Actor. 8. arguit Simonem, eò quòd volebat precio emere donum Spiritusſancti, inquiẽs: Cor tuũ non est rectum coram Deo. Ità est spiritualis simonia, velle gratiam & dona Dei emere operibus vel propria iustitia. Est enĩ quædam naturalis humanæ rationis peruersitas, vt per aut post opera sua fidem in deũ habeant, & putent quòd suis exercitijs ac operibus Deum propitium faciant, vt donet gratiam & dona propter illorum opera. Nam pleriq; homines postquàm fecerunt aliquod opus, tunc fiduciam habent quòd Deo placeant, quòd condonet illis peccatum,quòd eos saluet &c. sicut etiam sibi persuadent,dum ieiunârunt,orârunt, eleemosynam dederunt,tot Missas audiêrunt,tot annos in monastica vita fuerunt, &c. nemo autem credit vel pōderat quòd purè & solùm propter Christũ filium Dei & illius victimam crucis ante omnia opera nostra,sicut patet in paruulo baptizato & gratis iustificato ante omnia opera:sed fallit seipsam ratio, quia reproba est circa fidem Christi, de qua fidei peruersitate Paulus dicit 2.Tim.3.reprobi circa fidem. Nam si verus es Christianus,ità oportet te credere & cogitare, nempè Deum ante omnia opera tua tibi esse propitium propter Christum,& te iustificare gratis: deindè,vt per illam fidem opereris bona, ità vt sit gratiæ præuenientis quòd placemus Deo,non nostræ virtutis.Præterea nullus potest placere Deo, quia operatur bona: sed operatur bona, quia placet Deo, sicut Pharisæus ille Luc. 18. ieiunauit, eleemosynas dedit,id est, bona opera fecit: sed quoniam ante hæc opera sua nondùm erat iustificatus fide,non placuerunt Deo opera ipsius: at publicanus iam fide iustificatus,fecit bonam pœnitẽtiam, & accusauit seipsum,& iustificatus descẽdit, & placuit Deo. Sic causa bonorũ operum debet esse fides,vt placeant Deo, alioquì non placebunt, non autem opera sunt causa fidei, vel vt placeamus Deo.Sic igitur cõtra hûc errorem rationis humanæ, quæ se iactat cum suis operibus,orat in Psal.18. Dauid: Si meĩ non fuerint dominati, id est, meæ cogitationes & institiæ &c. tunc immaculatus ero,& emũdabor à delicto maximo. Deindè ex hoc fundamẽto, scilicet quòd operib⁹ nostris volumus mercari vel mereri remissionem, salutem & gratiam,& ꝙ fundamentum ponimus super propriam iustitiam, ortæ sunt tot superstitiones & alia multa,q́ cum vera fide pugnabant,eò quòd homines non aliter sciebant, nisi ꝙ opera ipsorũ & cæremoniæ eos saluarent. Non enim intellexerunt veram sententiam scri-

am scripturæ Apostolicæ,quid sit hoc nomen gratia, nempè quòd sit immerita misericordia Dei, quæ promittitur & exhibetur gratis omni credenti propter Christum. & ad Rom. 11. expresse dicitur, Si ex operibus gratia, iam gratia non est gratia. fides ergò vera contemnit omnem propriam iustitiam, & soli Christo adhæret, quē agnoscit pro victima, Esai. 53. Vt autem rem clariùs intelligas, accipe similitudinē: Si Deus tibi optionem offerret & diceret, ecce habes hic duas vias coram te: elige nunc vnam: vtrùm velis potiùs meam gratiam & æternam beatitudinem ac remissionem peccatorum gratis habere & dono datam sinè omni tuo labore & merito, solùm propter victimam & mortem filij mei, an verò velis cum tuis operibus hæc ipsa venari & mereri, & tamen non impetrare? an non harum melior est via prima? omninò. Quis verò neget opera nostra esse imperfecta, & non appellandum esse ad nostram iustitiam & opera? Psal. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si enim ex lege (id est, operibus nostris) est iustitia, Christus frustrà mortuus est. & Christus vocat gratis omnes, & dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &cæt. Cæterùm non hîc contendimus, nè fiant bona opera, sed de ordine contendimus, scilicet vt fides præcedat, vt ante omne opus credas tibi esse propitium Deum propter victimam Christi, & propter hanc te recipere remissionem, gratiam & salutem: posteà vt obedientia legis & bona opera sequantur, immò hæc necessariò subsequi oportet: sed fides primò ante omne opus cupit & appræhendit gratis ex gratia Dei beneficia Christi, id est, ea quæ propter victimam Christi promittuntur, nempè remissio peccatorum, iustificatio, salus æterna: hæc ante omne opus bonum appræhēduntur & fiunt tanquàm nostra propria per fidem: & sic illa gratia accepta per fidem ante omne opus, sumus iusti imputatiuè, sicut Abraham credidit, & reputatū est illi ad iustitiam, Gene. 15. Rom. 4. & habemus remissionem peccatorum & acceptationem ad vitam æternam. hæc enim præcedunt omne opus nostrum. Et nunc secundo loco post fidem debet sequi necessariò obedientia legis, id est, fideles iustificati debent facere legem: nam fides non abolet legem, Rom. 3. Deindè nō retinetur gratia accepta & beneficium Christi, nisi obedientiam præstiterimus legi diuinæ: peccata enim faciunt iterùm amittere appræhensam gratiam per fidem. Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, &c. 1. Corinth. 6. Ephes. 5. Galat. 5. manifesta sunt opera carnis &c. qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Sunt ergò bona opera siue obedientia legis, grati & Deo acceptabiles fructus fidei, qui ipsam tanquàm arborem sequuntur, non præcedūt: retinent gratiam Dei, non merentur. At dices, quid ergò proderunt opera, si fides ante omne opus appræhendit remissionem, gratiam, Spiritumsanctum, vitam æternam & totam beatitudinem? Respon. Differunt hæc, gratia Dei, id est, immerita misericordia Dei: Et, dona gratiarum: necessè est igitur, vt ipsa gratia primò cōferatur, id est, oportet vt Deus primò faueat propter Christum, in quem credimus, antequàm conferat aliquod donum: deindè dona illa vel sunt corporalia, vel spiritualia, sicut patet Leuit. 26. Deuter. 26. Exod. 20. Vbi multa promittuntur obseruatoribus legis &c. etiam dona spiritualia, vt sapientia ieiunanti Danieli, victoria Mosi oranti & Iudith, abundantia rerum corporalium, sicut lecythus olei viduæ Sareptanæ, longa vita obedientibus filijs &c. Et hæc opera nostra merentur in hac vita & post hanc vitam. At gratiam ipsam quæ est remissio peccatorum, Spiritussanctus, vita æterna, &cæt. non cadunt sub merito humano operum nostrorum: sed hæc gratis conferuntur propter fidem in Christum, quia ipsa gratia est immerita misericordia, & Deus ipse est misericordia, sicut etiam Iohannes dicit, Deus charitas est. Ideò oportet illa distinctè intelligere, nè fiat mixtura operum, scilicet vt simul fidem & opera iungamus & connectamus, vt sic simul mereantur remissionem & salutem, quasi non sufficiat sanguis Christi, aut quòd tribuat hęc propriæ iustitiæ & operibus, id est, mercationi gratiæ, & nolūt gratis accipere remissionem. Hæc communiter solent dici & defendi propter ventrem, sed est contra veritatem &c. Non igitur iudicio rationis hîc standum est. ratio enim sic iudicat: qui facit bona opera, hic est iustus coram Deo, & saluabitur, & acquiret magna præmia. Sic etiam philosophia docet, quòd exercentes virtutem, id est, facientes bona opera, fiunt iusti, iustis aūt deputata sunt sua præmia &c. sed scriptura sacra, quæ est illuminatrix rationis nostræ, (nam Spiritussanctus

3. Reg. 17.

1. Ioh. 4.

ctus per scripturam ædificat fidem) multò aliter nos docet, immò eiusmodi docet, quæ ratio appræhendere nequit, illa fides intelligit, appræhendit & tenet, sicut patet in omnibus ferè articulis fidei: ergò fides intelligit internam immunditiem, & cupit ideò gratis propter Christum, gratiam ac beneficium Christi: sed ratio humana, quia non intelligit illam internam immunditiam, & putat se legi satisfacere operibus externis sinè motibus internis spiritualibus, Ro. 7. Lex spiritualis est &c. ideò fit quòd ratio humana sibi persuadet, se mereri posse gratiam Dei, cùm tamen illa gratis primò ante omne opus nobis conferatur.

DE ACCEPTATIONE SIVE APPRAEHENSIONE SALVTIS ET IVSTIFICATIONIS. Cap. 37.

AD salutem æternam consequẽdam tria sunt necessaria: primũ, pœnitentis fides. illa enim ex promissione, quæ facta est in Christo, appræhendit remissionem & imputationem iustitiæ gratis: deindè opera bona hominis iustificati, illa quoque ex promissione & misericordia Dei appræhendunt vitam æternam: tertiò, vt causam illam misericordiæ qua nobis peccata condonantur, & vita æterna distribuitur, non transferamus vllo modo in opera nostra vel media, sed in Christum. Primò enim Deus nulli vult dimittere peccata, nisi pœniteat & abstineat à peccatis suis. Lucæ 13. Nisi pœnitentiam habueritis, oẽs similiter peribitis. Matth. 3. & 4. Pœnitentiam agite. Lucæ 5. Non veni vocare iustos, &c. deindè licèt nostra pœnitentia exigatur necessariò, non tamen propter nostram pœnitentiam tanquàm causam, vult remittere peccata & iustum reputare, sed propter Christum, propter illum promisit se nobis misereri. Actor. 10. Huic oẽs prophetæ testimonium perhibent &cæt. Lucæ vlt. prædicare pœnitentiam in nomine eius. Qui ergò dolet & cessat à peccatis suis, & tunc confugit ad Dei misericordiam promissam propter Christum, talis pœnitens fides, non carnalis & secura, appræhendit iustitiam Christi. Postremò, fides sinè pœnitentia non valet, quam hodie docent & iactant carnales Euangelistæ, qui putant se appræhendere Christi meritum sinè pœnitentia & emendatione vitæ, sed viuunt in operibus carnis, Galat. 5. Illi autem non fidem habent, nec iustitiam appræhendunt, sed sunt de illorum numero, de quibus Apostolus ad Titum ait: Confitentur se nòsse Deum, factis autem negant. & Matthæi 7. dicit Saluator, Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum. differt ergò carnalis illa fides à pœnitentiali fide. altera enim non est vera fides, nec accipit promissionem Christi. Quoniam igitur nostra pœnitentia non est causa iustificationis, sed misericordia Dei, ideò dicitur quia gratis iustificamur, & fides pœnitens solùm ad promissam misericordiam respicit, non ad suam pœnitentiam. Secundò, nullum opus hominis quanuis speciosum & sanctum, ex sua dignitate & bonitate potest acceptare aut mereri vitam æternam. Nam Christus ait Lucæ 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, quoniam serui inutiles sumus &cæt. nam quòd opera bona accipiunt & merentur vitam æternam, hoc contingit ex Dei promissione & ordinatione, ipse enim hoc promisit operibus nostris, non propter ipsorum bonitatem vel sanctitatem, sed propter suam ipsius bonitatem, misericordiam ac gratiam, vt laudetur gloria gratiæ suæ, Ephes. 1. Promisit enim nobis Deus, se velle appræmiare opera nostra vita æterna: ergò promissio est causa, non ipsa opera operata, etsi maximè exigantur, Matthæi 19. Lucæ 18. vbi dixit Petrus, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, &c. Respondet Christus affirmans: Amèn dico vobis, quòd vos qui secuti estis me fide & opere, reliquistis domum, fratres, sorores, &c. propter nomen meum, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Eccè promissio vitæ æternæ pro imitatione Christi & pro operibus. & Paulus 1. Timoth. 4. dicit: Pietas in Deum & proximum, habet promissionem vitæ quę nunc est, & futuræ. & Iohan. 5. Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ. & Matthæi 25. Venite benedicti patris mei, possidete regnum quod vobis &c. quoniam esuriui, & dedistis mihi manducare. 1. Corinth. 3. Vnusquisque enim mercedem accipiet secũdùm suum laborẽ. Hæc est veterum Patrum & ecclesiæ catholicæ doctrina & fides, quòd Deus propter suam promissionem & propriã suam ipsius bonitatem & propter Christum donare & distribuere vult vitam æternam nobis,

bis, si pia fecerimus opera, si mandata eius seruauerimus, & in timore eius & sanctitate vixerimus: non autem vult propter ipsa opera nostra, quasi propter eorum dignitatem, sed potiùs propter suam bonitatem & misericordiam gratuitam, quoniam ipse sic promisit, statuit & ordinauit: ipsi enim licet facere de suo quæ vult, Matthæi 20. Christus promeruit nobis & remissionem & vitam æternam, & hanc ipsam Dei patris erga nos tam piam voluntatem & fauorem, & tali medio, nempè fidei & bonorum operum, statuit Deus pater distribuere Christi beneficium ex misericordia, quæ misericordia sola causa est, quatenùs hæc distribuantur. Ex quibus prædictis sequitur primò, quòd qui non pœnitet & credit, hic non appræhendit remissionem: & qui post Baptismum non seruat Dei præcepta, nec facit bona opera, quòd nec is appræhendit vitam æternam: nam ille aliam formam & modum quærit salutis consequendæ, quàm qualem Christus instituit, quòd per pœnitentiam & fidem vult distribuere iustificationem, sed is sola fide sinè pœnitentia vult appræhendere. Christus obseruanti præcepta, & omnia sua relinquenti, & pia opera exercenti, promisit distributionem vitæ æternæ: ille autem vult habere vitam æternam sinè obseruantia præceptorum, sinè pijs operibus &c. Tertiò, quoniam credimus & docemus, quòd causa illa, quarè Deus miseretur & donat vitam, non est vel fides, vel pœnitentia, vel opera: non enim sunt condignæ passiones huius temporis &cæt. Rom. 8. Sed causa est ipse Christus, propter quem est promissa misericordia. Ideò primum non derogamus passioni & merito Christi, nam dicimus quòd propter solùm eius meritum hæc distribuantur nobis: nostra autem opera, fides, pœnitentia, media sunt, quæ appræhendunt & acceptant hæc beneficia Christi, id est, vitam æternam, remissionem, &cæt. non autem sunt causa vel meritum. Deindè conscientia quia solùm respicit ad promissionem propter Christum factam, nec fidutiam locat super opera propria, tanquàm super fundamentum, illa optimè quietatur in promissione diuina, nihil ampliùs desiderat, quàm promissionem illam Dei impleri, etiamsi omnia fecerit opera, non tamen operibus, sed promissioni diuinæ confidit atque credit: & sic propter hāc promissionem Dei, quam pluris facit, quàm omnia opera sua, sperat consequi vitam æternam: aliud est enim facere opera: & aliud, propter ipsa opera velle habere vitam æternam. Nos facere debemus bona opera, sed propter ipsa nō optamus salutē, nec ibi sistimus, sed propter Dei promissionem & pactum nobiscum. Hæc promissa gratuita causa est, & non opera nostra: attamen si opera negliguntur, tunc nec gratuita Dei promissio vitæ æternæ consequetur vel efficax erit: hanc doctrinam catholicam (quam omēs meritò scire debent) quia ignorant Sectarij, ideò grauant catholicos magnis & impudentibus mendacijs. Summa, quotiès patres loquuntur, quòd opera mereantur vitam æternam, hoc sic intelligendum est, quòd ipse Christus sic promiserit, quòd sic ei placuerit vitam æternam distribuere, ità quòd ipsa eius gratuita promissio causa est, & non dignitas, sanctitas aut bonitas quorumcunque operum, & quòd ille qui pro calice aquæ frigidæ promisit mercedem Matthæi 10. quòd tamen omnium operum est vilissimū, etiam pro maioribus operibus maiora & digna præmia promisit: quis verò esset tam demens, vt diceret haustum aquæ frigidæ esse causam cælestis mercedis, & non potiùs ipsam promissionem diuinam? Redditio igitur promissionis, non opera operata, sed eius bonitas, misericordia, & Christus ipse causa est. Quòd enim opera nostra habent sua præmia & promissiones, non ex sua dignitate habent, sed ex Dei misericordia & gratuita promissione, & hæc est simplicissima fides ecclesiæ catholicæ. Nihil enim habemus nisi quod Deus dat, & hoc quod dat, non tenetur dare: nihil enim nobis debet Luc. 17. quæcunque ergò Deus dat & promittit, misericordia est, non nostrū meritum propriè: quicquid ergò accipimus & speramus nobis donari, mera est gratuita promissio & misericordia: tota igitur contentio componitur, quandò docemus opera nostra esse meritoria & conducibilia ad salutem, hoc est, propter promissionem, quia CHRISTVS dixit sic, qui ipsa est veritas: deindè quòd causa huius promissionis non sunt opera, sed DEI misericordia & bonitas propter CHRISTVM: & sic non nobis, sed Deo tribuimus gloriam totam, qui dat opera, & promittit pro eis dona ex sua misericordia, &cætera.

DE CORPORE CHRISTI MYSTICO.

Cap. 38.

PRimò sciendum est, quòd Christus habet duplex corpus: vnum naturale, alterum mysticum siue spirituale. Primũ corpus genuit Maria, Lucæ 2. verum Deum & hominẽ, & illud corpus seruile assumpsit Christus filius Dei propter nostram salutem, &c. & in illo corpore semel passus est, mortuus & sepultus, & resurrexit, & in eodem corpore ascendit ad cælos, & sedet ad dexteram patris &c. Sicut etiã de illo reali corpore loquitur, quandò dixit Matthæi 26. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hic sanguis qui effundetur: tradidit ergò hoc corpus in mortem crucis pro nostra salute, Rom. 4. in illo fuit patri obediens vsq; ad mortem. Omnis igitur salus nostra soli passioni, quam tulit pro nobis in cruce, Christo in naturali corpore existenti & patienti adscribenda est: nã hoc ipso opere propitiatorio meruit toti mundo propitiationem, remissionem & vitam æternam: ob id enim credimus remissionem peccatorum & vitam æternam, quia Christus natus est in humano corpore & in eo passus, vt victima esset Deo patri pro nobis, Esai. 53. Iugiter ergò recolendum est, quæ pro nobis Christus fecit in naturali suo corpore, quæ nobis meruit, & quòd in eo consummauit voluntatem patris, cùm diceret: Consummatum est, & quòd in hoc corpore non ampliùs patitur aut moritur Christus, Roman. 6. sed clarificato illo, resurrexit & sedet ad dexteram Dei patris. Alterum verò corpus Christi dicitur mysticũ siue spirituale, & est ecclesia siue congregatio omnium credentium in toto mundo, qui vnquàm in Christũ crediderunt, aut credituri sunt, aut qui sunt in cælo, aut adhuc super terrã. Est verò huius mystici corporis, id est, Ecclesiæ caput ipse Christus, sicut testatur Apostolus 1. Cor. 12. Colos. 1. Ephe. 1. quòd ipse est caput ecclesiæ, nosq; membra eius: ipse est vitis, nos palmites, Ioh. 15. Sicut ergò omnia quæ habet palmes, ex vite habet, ità & nos omnia quæ habemus & speramus, à Christo capite nostro sunt & veniunt: & sicut corpus viuit, quàm diù caput viuit: influit enim in membra inferiora, sic Christus caput Ecclesiæ immortale existens, etiam corpus & membra ipsius vitam æternam habebunt. De illo mystico corpore dicit Apostolus Ephes. 4. Vnum corpus, vnus spiritus, &cæt. at multo magis Christus Deus curat hoc mysticus quàm naturale, & magis adamauit hoc mysticum quàm naturale: nam propter mysticum corpus voluit in naturali corpore nasci, pati, mori &c. Tradidit semetipsum pro nobis hostiam, Ephes. 5. Hoc prętereà caput Christus nos tanquàm mẽbra adunat & coniungit in naturali corpore: quo fit, vt quicquid caput habet, id etiam omnia membra habeãt & fruantur: è diuerso quicquid membra habent, hoc & capitis est, vt sicut dum caput naturale existit sanum, lætantur omnia membra, sed si dolet, tunc omnia membra dolent &c. Ità Christus est caput, & omnes fideles sunt membra, & habent sanctam conuersationem per fidem, vt omia sint communia cum capite & membris, sicut sunt cõmunia omnia quę habẽt sponsus & spõsa: sic Christi capitis nostri iustitia, mors, victoria, nostra fiunt per fidem: ità corpus Christi mysticum communicat & fruitur & apprehendit per fidem omnia illa quæ Christus in naturali suo corpore meruit & acquisiuit, id est, totum thesaurum passionis Christi. nam Deus non solùm Christum filium suum, sed etiam omnia cum filio donauit Ecclesiæ, id est, corpori suo mystico. Insupèr, quàm diù in nobis durat vera fides, & certamen contra peccata & Sathanam, tam diù manemus incorporati Christo, quæ incorporatio fit primitùs in Baptismo, vbi incorporamur huic capiti mystico, & efficimur illius membra: sed quàm primùm peccamus sinè pœnitẽtia contra legem & mandata ipsius, & in peccata mortalia incidimus, tunc perdimus hanc communionem mystici corporis, & nos ipsos ex ea excludimus, & efficimur putrida membra, non participamus ampliùs, nec communia habemus Christi beneficia, nec participamus aliorum sanorum adhuc membrorum, id est, Ecclesiæ bonis operibus, orationibus &cæt. Vndè dicitur 1. Iohan. 1. qui peccat letaliter, ex diabolo est, i. tunc nõ habet ampliùs cõmunionem bonorum vel Christi vel Ecclesiæ. Prætereà, quotiès nosipsos excommunicamus per peccata, donec sic mansẽrimus sinè cessatione & pœnitentia, non erimus participes donec redierimus per pœnitentiam cordis, & iterùm de nouo acceperimus & intrauerimus communionem, id est, in merita passionis Christi nos iterùm insinuauerimus, idq; aut per pœnitentiam, confessionem & cõtritionem, vel

Iohan. 19.

vel per sumptionem eucharistiæ, quę ideò instituta est, & dicitur communio, vt dum contrito corde & firma fide sumo eucharistiam; certificor, me iterùm assumptum in communionem bonorum Christi & ecclesiæ, id est, meritorum passionis & mortis CHRISTI. Vndè dixit Ambrosius: quia quotidiè pecco, ideò quotidiè communico. Hanc autem communionem intramus primò per fidem in baptismo, & confortamur in ea per eucharistiam: at si illam perdiderimus per peccatum, quo nos ipsos excommunicamus, tunc per pœnitentiam & contritionem cordis recuperamus, & certificamur per Christum & sacramenta, quòd iam iterùm recepti sumus ad communionem & gratiam Christi. Sic sanat Christus iterùm infirma membra corporis sui mystici. Et hæc est magna gratia Christi, quòd corpus suum mysticum pro quo mortuus est, & pro omnibus satisfecit in cruce, sic vult sanare, curare, seruare, nec pati vt vllum membrum pereat vsque ad diem nouissimum: & de hoc corpore Christi mystico rectè dicitur, quòd qui extra hoc corpus, id est, extra ecclesiam & communionem bonorum Christi & sanctorum Ecclesiæ innentus fuerit, is non saluabitur. Nam sinè capite & merito Christi nullus saluabitur. Ex hoc intelligimus, quàm sit pium & salutare, sæpiùs communicare & confiteri, quia quotidiè peccamus, & nosipsos excommunicamus. Omnes igitur vsurarij, adulteri, fornicatores, raptores, &c. 1. Corinth. 6. Galat. 5. Ephes. 6. non participant vel communicant bona Christi, ideò oportet eos cessare à vitijs, & dignam pœnitentiam agere: hæc communio salutaris exigit cessationem à vitijs. Porrò in mystico corpore adhuc omnia facit Christus, quæ fecit in naturali corpore, id est, adhuc prædicat per ministros sanctos & vocatos ecclesiæ, facit miracula per sanctos & illorum reliquias: adhuc orat, vigilat, ieiunat per sanctos & religiosos ministros & Christianos. Adhuc patitur, flagellatur, vulneratur, crucifigitur, &cæt. non in sua persona, sed in membris corporis sui mystici. dicit enim Matthæi 25. quod vni ex minimis meis fecistis, hoc mi-
Zach. 2. hi fecistis. & Zachar. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Quicquid factum aut illatum fuerit membris corporis Christi mystici, siue bonum, siue malum, hoc Christus reputat sibijpsi esse factum aut illatum: & sic etiam passio CHRISTI in corpore illo mystico nondùm est completa: agnus ab initio occisus est, & hodiè occiditur vsque ad nouissimum diem. Sic ait Apostolus ad Colos. 1. Nunc gaudeo in passionibus quas perfero propter ministerium verbi, quod exerceo in vobis, & adimpleo passiones CHRISTI in carne mea, pro corpore eius, quod est ecclesia. Christus patietur vsque ad nouissimum diem in corpore suo mystico, id est, in membris: naturalis corporis Christi passio fuit tribus diebus consummata, sed spiritualis eius passio in corpore mystico longè durabit vsque ad nouissimum diem. Quicunque ergò aliquid patitur propter veritatem & confessionem nominis Christi, hic implet aliquam portionem de spirituali passione Christi, & tandèm in nouissimo die erit perfecta, vbi dominus iudicabit & damnabit incredulos cōtemptores passionis suæ, quā tulit in corpore naturali. Deindè iudicabit & vindicabit DEVS omnes illos, qui Christum in spirituali seu mystico corpore occiderunt, martyrizando eius fideles sanctos, & persequendo eos vsque ad sangui-
nis effusionē. Vndè habetur in Apocalyp. Apoc. 5.
Vidi sub altare clamantes, vindica Domine sanguinem nostrum, qui effusus est. Ecce, inquit Christus Matthæi 23. mitto ad vos Prophetas & Scribas, & occidetis eos &cæt. sic membra Christi mystica occisa fuerunt iam indè ab Abel iusto vsque ad Zachariam, scilicet in corpore eius spirituali. Ex quo patet, quàm graue sit peccatum, persequi & occidere vnctos Christi. Nec verò hinc putandum est, quòd huiusmodi passiones & persecutiōes, quas tolerant fideles propter cōfessionem nominis Christi, ipsis mereantur remissionem peccatorum & vitam æternam: nam si hoc fieri posset, Christus gratis mortuus est: igitur hæc merita omnia sunt naturali corpori Christi relinquenda. habebunt verò membra corporis sui mystici condigna præmia in æterna beatitudine, vt Christus Ipse ait, Beati qui perse-
cutionem patiuntur propter iustitiam &c. Matth. 5.
Porrò sicut caput omnia etiam agit quæ membra agunt, & cooperatur membris in omnibus actibus, sic caput nostrum Christus nobiscum orat, ieiunat, operatur bona, quatenùs efficiamur participes illius thesauri, quem meruit naturali corpore in sacrificio crucis pro toto corpore

mystico. Duplex igitur meritum Christi est: vnum, personæ illius, & hoc meruit nobis remissionem & salutem, sicut articuli fidei sonāt, Natus pro nobis & passus: ob id credo remissionem peccatorum & vitam æternam: Alterum verò meritum est in corpore mystico, quo vt caput cooperatur membris, & ideò opera nostra sunt Deo grata: merentur quoquè retentionem promeritæ salutis, sicut eandem fides appræhendit. Item quòd Deus promittit illis præmia in hac & post hanc vitam corporaliter & spiritualiter, mitigant pœnas temporarias: sunt enim hæc bona nostra opera signata signo Christi seu virtute ipsius, & ideò valent coram Deo, &cæt. At dices, si caput nobiscum orat, ieiunat, seruat præcepta, cur non etiam huiusmodi nostra bona merentur vitam æternam? Respon. quia Deo sic complacuit, vt per solius Christi mortem & passionem reconciliaret sibi omnia, quæ in cælis & quæ in terris sunt, Colos. 1. & vnicum voluit mediatorem, 1. Timoth. 2. propitiatorem, 1. Iohan. 2. victimam, Esai. 53. quæ esset omnibus modis pura, munda & perfecta & inculpabilis, propter quam velit iterùm misereri toti generi humano, & dare remissionem & salutem æternam, & ideò Christus talis existens, nobis illam reconciliationem, remissionem & salutem meruit, & hunc solùm possumus obijcere iræ DEI. Insupèr, quoniam caro nostra nondùm est plenè purgata, & motus mentis nostræ non sunt adeò puri & perfecti, manet quædam interna immunditics in nobis, donec vixerimus, etiamsi CHRISTVS Spiritusancto nobis cooperatur, qui licèt sit perfectus, attamen quia caro ex parte nostra fragilis manet, ob id non possumus asscribere meritum salutis aut remissionis operibus nostris, quod debet ex omni parte esse perfectum & mundum. Nam & sancti orarunt dimitti sibi debita, Mathæi 6. veruntamen licèt fiant cum infirmitate, tamen DEVS non vult imputare nobis hanc infirmitatem, neque tamen vult operibus nostris hanc asscribi dignitatem, quasi iustificent aut saluent: hoc enim soli sibi & merito Christi asscribendum est: communicat tamen per fidem, & adiuuat per obseruantiam præceptorum, vt retineatur & nobis prosit ad salutem. Meruit igitur Christus toti corpori mystico salutem ex æquo, pro omnibus tolerans mortem, & vult vt totum suum corpus participet ipsius promeritā salutem: ideò omnes petimus communionem & participationem, & sic membra orant pro commembris suis tam hic in ecclesia militante, quàm in futura triumphante. Vna est enim Ecclesia, licèt diuersos habeat status. Istius ergò capitis nostri meritum vt possit nobis distribui, vtimur varijs medijs pro viuis & defunctis.

DE DVPLICI PASSIONE CHRISTI.
Cap. 39.

Audiuimus iam Christum duplex habere corpus, nempe naturale ex Maria virgine, & mysticum seu spirituale, id est, Ecclesiam & omnes Christi fideles: pro quo notandum, quòd etiam duplicem habeat passionem: alteram in naturali corpore, alteram in mystico. Illa passio naturalis corporis, per se manet in sua dignitate, virtute & efficacia, nec eget nostris passionibus, quia hæ nihil iuuerunt Christum in sua passione ad opus redemptionis & saluatiōis, solus Christus naturali sua passione in corpore & sanguine naturali effuso, hæc omnia nobis expediuit semel & sufficienter. Sic enim docet nos Symbolum, Qui conceptus est de Spiritusancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, &cæt. quis hic iuuit Christum in sua passione? an non solus ipse hęc omnia fecit sinè operibus nostris? immò fecit hæc solus, antequàm in vtero nos formati essemus: & ideò per prophetam Esaiā inquit: Torcular solus calcaui &cæt. Præterea sicut solus passus est, & solus opus redemptionis & saluationis perfecit, & populum suum liberauit, Matthæi 1. ità quoquè à sola eius passione & merito venit & fluit remissio peccatorum, vita & salus æterna: ideò credo remissionem & vitam: sed quomodò credo? hoc enim quod credo, non facio nec mereor operibus: ideò quia credo quòd certus sum de remissione peccatorū & salute æterna, quæ ex alieno merito & passione est, nēpè CHRISTI: ergò propter passionem Christi, quæ ideò facta est, vt salus nobis credentibus cōtingeret, credo, & certus sum de remissione peccatorum, sicut ipse dixit Iohan. 3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat &c. Est igitur diligen-

Esaiæ 63.

genter notandum, quidnam Christus fecit & meruit nobis in naturali sua passiõe. Corpus autem Christi mysticum non potest dissolui vel per passionẽ, vel per mortem naturalem, eò quòd Apostolus dicit 1. Cor. 13. Charitas nuuquàm excidet, sed manebit etiam cessantibus fide & spe. & ideò piorum defunctorum animæ non separantur ab Ecclesia, quæ nunc est corpus & regnũ Christi, vt dicit Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 9. est quoquè spiritus immortalis, & non moritur, idq́ue ex beneficio & passione Christi: nam Christus dicit, Qui credit in me, vitam habebit æternam, id est, erit immortalis. Ergò mors illa naturalis corporis & sanguinis non dissoluit illam vnitatem spiritûs, nempè corpus hoc mysticum Christi, & sic in spiritu semper viuimus hîc & in futura vita cum beatis. Porrò Apostolus 1. Cor. 12. inquit, si quid patitur vnum membrũ, compatiuntur omnia membra: & si gloriatur vnum membrum, congaudent & reliqua: ex illo nunc credit Ecclesia primò, quoniam sancti sunt nostra commembra, & iam sunt in cælo, quatenùs & pro nobis infirmis commembris adhuc in terra existentibus exorent Deum, vt velit etiam nostri tanquàm suorum commembrorum misereri, & remittere eis peccata: inquit enim Christus Ioan. 16. Petite, vt gaudium vestrum sit plenum. Si autem nunc debet esse gaudium ipsorum plenum in cælo, alioquì non essent perfectè beati, ideò orant etiã pro cõmembris suis, vt tandèm ad illorum consortium tanquàm vnũ membrũ ad alterum venire faciat. Cum ipsis enim sumus, ait Augustinus, vna ciuitas, qui sunt in cælestibus cõstituti, qui vt nos quoquè immortales simus & beati cum ipsis, cupiunt & diligunt. Prætereà Christus adhuc mysticè patitur vsque in diem nouissimũ: crucifigitur, blasphematur, flagellatur. Qui proximum diligit, Christum in eo digit, qui est caput communis corporis: qui ergò odit aut iniuria afficit fratrem suum, non solùm hominem odit, sed etiam Christum iniuria afficit, quia ille est membrum corporis eius. Nam si quis aliquod membrum mutilaret, aut vulnus in corpore infligeret, quid putas cogitat caput istius corporis & mẽbri? Jtà quotiès lædis Christianum, aut persequeris vel odio afficis, totiès lædis membrum Christi corporis mystici: si occidis Christianum aut mutilas, eccè membrum Christi corporis mystici occidisti & dehonestasti; an putas quia hoc non vindicabit Christus, qui dicit Deut. 32. Mihi vindictã, & ego retribuam? Propter Christum igitur deponenda est omnis inuidia & ira erga proximum nostrum: quanto minùs ergò ipsum vulnerare debemus? quia proximus noster est est membrum corporis Christi, & multo magìs diligit Christus membrum suum mysticum, id est, hominem Christianum, quàm dilexit membra naturalis sui corporis, quæ vulneranda, fodienda & flagellanda præbuit pro mysticis membris saluandis &c. Rom. 12.

QVOMODO EXTREMA CONSOLATIO CONSCIENTIAE NOSTRAE SIT CHRISTVS.

Cap. 40.

SCriptura iubet nos degustare Christi dulcedinem in corde nostro, & non solùm nomen eius audire auribus corporalibus. Sic enim ait Psal. 33. Videte & gustate quoniam suauis est Dominus: Beatus vir qui sperat in eo, id est, se consolatur in eo. Sed ais, quomodò gustatur Christus? Respon. quandò corde & verè sinè omni dubitatione credo, quòd Christus seipsum mihi dono dedit, & meus est factus: nam pater donans filium, quomodò non omnia cum filio? Rom. 8. & mea peccata ipsius fiunt, & vita ipsius & iustitia, mea est vita & iustitia: quãdò ergò hoc in corde pondero & penitiùs considero, tunc incipio gaudium habere de hoc dono gratis mihi dato, nempè quòd Deus pater mihi donauit filium suum, & omnia sua beneficia & diuitias cum illo. si enim exhilaror in corde, si quis mihi donat aurum & argentum, quarè non multò magìs gauderem de tam immenso & æterno thesauro donato, id est, Iesu Christo cum omnibus suis diuitijs. Anima igitur nostra tunc maximè exhilarescit, quãdò Christus cum sapore suo incipit in nobis sentiri & dulcescere in corde, dum cogito quòd se totum mihi dederit, ꝑ me tam horribilia passus sit, & omnia sua mea fecerit, & promiserit Ioan. 12. vbi ipse est, & ego sim in æternum. Qui autem non ponderat hæc beneficia, sed solùm audit vel legit superficialiter, quòd debeo in Christum credere, quòd pro me passus sit, &c. & non pensat quòd sibi, sibi inquam, mortuus & passus sit, vel qui vult

ad propria opera vel merita respicere, & indè sperare salutem animæ, illi in corde adhuc nondùm dulcescit, nec sapidus est Christus:ideò 1. Pet. 2. admonet Apostolus, vt quia gustamus dulcedinem verbi & Christi, vt nunc deincèps pergamus in bona conuersatione & vita, & sic etiam admonet vt videamus & pensemus, quòd Christus se cum omnibus suis donis dedit,& pater quoquè dedit filium,& gustemus quàm suauis est Dominus: ille non confundetur,& iste cibus est animæ: quo si vtatur infirmus in articulo mortis, confortatur:& hic cibus conseruat & durat ad vitam æternam. Porrò hic ratio humana sæpè nititur annihilare hanc dulcedinem Christi,idque ex suggestione sathanæ, in conscientia territa, nempè quandò non verba Dei,sed virtutem verborum Dei ex corde aufert, quæ ipsa virtus parit dulcedinem Christi,scilicet dum audimus verbum DEI Ioan. 3. Sic pater dilexit mundum, vt ei vnigenitum suum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam,hoc quidem superficialiter audimus, & verum esse concedimus:sed tunc tollimus virtutem, quandò conditionem annectimus ex ratione nostra,dicentes, oportere etiam & necessariũ esse,vt bona opera faciamus, eò quia dicitur quòd fides sinè operibus mortua est, Iacob.2.atque sic ratio humana recidit ad sua opera,& sic Christus incipit vilescere, & saporem dulcedinis æternæ amittere, quandò illi non tota gloria & salus relinquitur,sed simul etiã in opera nostra trãsfertur,& de illis dicit Apostolus 2. Tim.3. habentes speciem pietatis vel veritatis, quia allegant verbum & scripturam,virtutem autem eius abnegantes,illos deuita. Videtur enim difficilimum & absurdum esse rationi humanæ, planè desperare de propria sua iustitia, & eam in infimo loco habere,nec vult se totaliter Christo committere, & in ipsum solum confidere, sed semper assuit suam propriã iustitiam, sanctitatem, opera bona &c. & ea vult conferre cum Christi iustitia & operibus, & sic ex vtrisque sperare salutem, & non soli & vni Christo relinquere gloriam & honorem saluandi. Ideò oportet hæc omnia reijcere,& dicere cum Apostolo 1. Cor. 2. nihil noui me scire, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Prætereà tametsi hoc verum sit, quòd opera nostra necessariò exigantur,eò quòd fides non abolet legẽ, sed statuit,Rom.3.attamen non in eum finem fieri debent, vt sint quoquè causa vnà cum fide iustificationis & salutis: sed in eum finem, vt apprehendant iustificationem per fidem gratis & retineant, eò quòd iustificatio & salus promerita semel per Christum,aliâs nõ retinetur,sed amittitur per mala opera, sicut Paulus dicit Rom.8.Si secundùm carnem vixeritis,moriemini.1.Cor.6.Gal.5. Ephe.5.manifesta opera carnis,q̃ regnũ Dei non possidebũt. Pari modò se habet cum particula illa,gratia,sicut Petrus dicit Acto.15. Gratia Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, id est,ex misericordia & gratia Dei propter Christum gratis, id est, sinè additamento operum nostrorum.sed hic ratio humana argumentatur:Si vis ad vitam ingredi,serua mandata &c.

Matt.19.

ità quoquè se habet de fide,cuius tamen virtutem ratio nostra abnegat,& sua opera assuit. Tenenda est igitur firmiter virtus verbi Dei, & indè nascitur dulcedo Christi,& fit Christus dulcis in perturbata conscientia.Conscientia autem perterrefacta à iudicio Dei de peccatis,dum sic pensat beneficia Christi, tũc incipit quasi ex fame suæ iustitiæ vel operum saporem & refectionem quærere in Christo, quia conscientia nihil libentiùs audit,quandò angustiatur de peccatis,nisi Christum passum pro se & resuscitatum: passum,vt esset victima pro nobis:resurrexisse,vt nobis remitteret peccata, & iustificaret,& à morte liberaret & sathana.huic comparatur illud Luc.1. Esurientes,quasi defectu propriæ iustitiæ, dum sese agnoscunt peccatores, impleuit bonis Christi: & diuites, in propria sua iustitia volentes suam statuere iustitiam, Rom. 10. dimisit inanes.esurienti igitur in peccatis & defectu iustitiæ suæ, dulcis cibus est Christus: vbi autem quis satur sibi esse videtur proprijs operibus, huic Christus non sapit, vt patet in Pharisęo & publicano, Luc.18. Porrò ex his liquet causa, quarè tam paucis hominibus benè sapiat verbum Dei, euangelium &c. quia nemo verè & ex corde pœnitet,& ponderat peccata sua,nemo agnoscit infirmitatem,& ideò illis non sapit Christus. Hic autem oportet Christum in medio latronum pendere,& Christum solum apprehendere dimissis latronibus,qui quærunt occidere animã nostrã & damnare:vnus est pręsumptio ꝓprię iustitiæ & operum, & designatur per credulum latronem. nam propria iustitia occidit &

dit & rapit animam, nè passione & sanguine & merito Christi saluetur: alter latro, est desperatio de venia peccatorum suorum in extremis, dum cogitat sicut Cain, maiora esse peccata sua, quàm vt veniam mereatur: & designatur per malum & incredulum latronem. Moriturus igitur aut viueos peccator, semper intueri debet Christum in medio latronum pendentem. illius enim iustitia melior est, quàm vllius hominis super terram. deindè eius misericordia maior est peccato. Rom. 5. si abundauit delictum, multò ampliùs gratia. ideò conscientia debet in solo Christo conquiescere, Galat. 2. Viuo ego, sed iam non ego, viuit verò in me Christus. quasi diceret, viuo in fide filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: non abijcio gratiam Dei. Si enim per legem iustitia, ergò Christus frustrà mortuus est. Gustare igitur CHRISTVM, est cibus qui solùm exaturat animam, sicut dicit propheta Psal. 16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. ideò admonet Christus, vt hunc cibum quæramus.

Gene. 4.

QVOMODO ANIMA SECVRA EST DE PROPITIATIONE IN CHRISTO. Cap. 41.

CHristum esse propitiationē nostrā & pro peccatis totius mūdi, testatur Iohannes epist. primæ cap. 2. & Paulus Roman. 3. quem proposuit propitiatorem in sanguine suo &c. hæc igitur propitiatio non solùm referenda est ad opus propitiatorium in cruce, sed etiam referenda est ad totam vitam nostram, vt quotiès nobis opus fuerit, vt ipsum inuocemus, & per illum impetremus gratiam & propitiationem apud Deum patrem. Non discedit aut cessat ab illo opere propitiationis nostræ Christus vsque ad finem mundi, eò quòd semper durat eius efficacia passionis: dixit enim ipse, se nobiscum fore vsq; ad consummationem seculi, Matthæi vltimo cap. Est igitur CHRISTVS nobis datus à patre in duplex adiutorium: primò, quòd sua morte & passione se offert pro peccato ipsi patri, vt velit nostrī misereri, remittere peccatum, donare gratiam & Spiritum sanctum, vitam æternam omnibus credentibus, & pro eo exponit filius precium, id est, facit se victimam patri, Ephes. 5. Christus dilexit nos, & obtulit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Hoc opus solus perfecit Christus, & non habet adiutorem secum, propter illius solutionem pater omnia sibi reconciliauit, Roman. 5. quæ in cælis sunt & in terra, & propter hoc opus solùm parta est nobis remissio peccatorum, & salus ac vita æterna promissa: & propter nullum aliud opus neque Angeli, neque prophetæ, aut martyris alicuius. Et quoniam Deo patri semel persolutum & satisfactum est pro peccatis totius mundi, illa persolutio adhuc durat & durabit vsque ad nouissimum diem, & efficax est in credentibus & pœnitentibus, ex quo sequitur quòd salus & vita æterna non potest iterùm mereri aut persolui per aliquod opus hominis vel angeli, prophetæ &c. conscientia igitur hoc tenens & credens, certa est de remissione & propitiatione, quia fundatur super firmam petram, id est, mortem Christi, Roman. 4. & non super propria merita aut iustitiam. Ideò nemo mortalium debet hoc verbum, mereri, trahere ad sua opera, & illis hoc tribuere, quod solus Christus semel meruit, & intrauit sancta sanctorum, & reperit æternam redemptionem, Hebr. 9. Est igitur hæc vna satisfactio primum adiutorium, quo Christus animæ nostræ subuenit. Deindè donatus est nobis Christus à Deo, tanquàm coadiutor nostrarum petitionum apud Deum patrem, vt illud impetremus quod petimus, & in coadiutorem & cooperarium operum nostrorum: & hæc omnia nō ad promerendam salutem & remissionem æternam, sed vt promeritam illam salutem per Christum participemus, & nobis applicemus, & applicatam retineamus per studia bonorum operum, Heb. 4. Habemus pontificem magnum, qui penetrauit cælos, id est, ascendit, sed quare? vt appareat vultui Dei pro nobis. est ergò nobis datus in pótificem animarum nostrarum, 1. Petr. 2. vt nostras preces offerat Deo patri, & nobiscum oret, sicut etiam dicit Ioh. 16. Petite in nomine meo, id est, propter me, & dabitur vobis. Ergò quotiès angimur aut conturbamur, oramus & clamamus ad patrē, vt nos propter Christum dignetur exaudire, & Deus pater eò quia Christus nobiscum orat, exaudit nos, ꝓpter filiū, & ideò Ecclesia concludit omnes collectas per Dominum nostrum IESVM Christum.

Sic orat & cupit pro corpore ſuo myſtico cæleſtis ille pontifex: non ſolùm igitur redemit nos CHRISTVS, ſed etiam adiuuat adhuc, & perpetuò vſq; ad finem mundi, vt participes fiamus promeritæ ſalutis: deindè omnes noſtras tribulationes & anguſtias alleuiat ipſe apud patrem. Deindè iuuat nos in omni opere bono perficiendo. nam dicit Iohan. 15. Sinè me nihil poteſtis facere. & Iohan. 15. Ego ſum vitis, id eſt, caput corporis myſtici, vos autem palmites, id eſt, membra. Chriſtus ergò facit hoc nobis, quod vitis palmitibus: palmes enim non fructificaret vuam, ſi non præſtaret virtutem vitis: ſic nos ſinè Chriſto nihil poſſumus facere. ipſe enim donat, vt bona opera faciamus: ex hoc venit, quòd bona operamur, & ideò Deo grata ſunt. dat enim non ſolùm fidem, ſed etiam gratiam & adiutorium ſeruandi & retinendi gratiam Dei. Igitur CHRISTVS nobiſcum omnia facit, & adiuuat, orat, ieiunat, dat eleemoſynam, ſpiritum dilectionis Dei & proximi confert, vt teſtatur Eſaias 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. 1. Corinth. 15. ait Apoſtolus, Ego plùs omnibus laboraui: ſed non ego ſolùm, ſed gratia Dei mecum. ſic ad Roman. 8. Deus adiuuat infirmitatem noſtram. Sicut ergò vitis cooperatur vuæ, ſic CHRISTVS vitis noſtra cooperatur in nobis bona opera, vt credamus in ipſum, Deum timeamus, diligamus, proximo faciamus ſicut nobis ipſis, obediamus eius præceptis, oremus, vigilemus &c. nam ex nobis non ſumus ſufficientes facere aliquid, id eſt, ſinè eius adiutorio, propter quod datus eſt nobis.

FINIS.

DN. CONRADI CLINGII THEOLOGI ET ECCLESIASTAE QVONDAM ERFORDIENSIS LIBER VNVS, CONTINENS Confutationes Mendaciorum aduersùs Librum IMPERII, vulgò INTERIM, editorum:

CVM ARGVMENTORVM IN SINgula capita Indice.

COLONIAE
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni,
Anno M. D. LXIII.

CAPITVLORVM SEV ARGVMENTORVM IN SEQVENS VOLVMEN CLINGII ADVERSVS MENDACIA Sectariorum contra librum Imperij, INTERIM, Catalogus.

ERRATA.

Pagina 140, columella 1, linea 25, legatur sic, Cap.68. Pag.142, col.1, linea 21, legatur, Cap.69. Pag.143, col.1, linea 53, legatur, Cap.70.

D. CONRADI CLINGII THEOLOGI ET ECCLESIASTAE ERFORDIENSIS LIBER VNVS, CONTINENS CONfutationes Mendaciorum à Sectarijs aduersùs librum Imperij, vulgò INTERIM, editorum.

DE HOMINIS CONDITIONE ANTE LAPSVM. Cap. I.

DEus ęternꝰ pater, hominē à principio creauit ad imaginē & similitudinem suā, Gen. 1. ad imaginem, id est, vt esset creatura intelligēs, & rationem habēs, id quod cæteris animantibus non fuit cōcessum: ad similitudinem verò, quòd eum sinè omni peccato, malitia, superbia, mendacio, malis cogitationibus &c. Deus ęternus creauit: sicut ipse Deus est intelligens, & peccato carens, ità & hominem ad suam imaginem & similitudinem creauit. Atq; sic Deus hominem in creatione speciali gratia decorauit, & originali iustitia ità perfecit, vt esset in omnibus viribus corporis & animæ iustus & integer, & nulla mala vel inordinata motione afficeretur: sed vt in ipso caro spiritui, & inferiores vires superioribus, id est, animæ, quę semper ad bonum alliciunt, pareret. Cùm autem iam animus hominis tali modo à Deo formatus esset, permisit eum Deus in manu consilij sui, Ecclesi. 15. eousquè etiam, vt esset penès ipsum tam bonum quàm malum eligendi copia. Quòd si tunc homo ista consilij sui libertate benè vsus fuisset, & mandato, quod ei Deus dederat, paruisset, nec de fructu vetitæ arboris comedisset, Gen. 2. tunc omnia ista bona ac iustitiam primę naturę, quam in creatione accepit, sibijpsi & toti posteritati cōseruâsset, nec vel ipse, vel posteri eius defecissent vnquàm in benè beateq; viuendo: porrò nec fame aut siti, calore aut frigore, dolore aut morbis, nec ipsa morte affligi potuisset: quin omnia mala & peccata, tum ipsas pœnas, quę sunt stipendium peccati, Rom. 6. vitare nō minùs ipse, quàm posteritas eius, potuisset. Ad quid autem condita fuerit natura humana, & quæ dignitas & puritas fuerit hominis, in qua conditus erat, ipsa lex Decalogi ostendit, quam Deus primò menti in creatione impressit: & talis futura fuisset humana natura, qualē ipsa lex describit, id est, plena agnitione Dei, semper celebrans eum, semper obediens Deo, semper in cūctis operibus eius pręsentiam & gubernationem intuēs, iustum ordinem in omnibus actionibus obseruans, sinè vlla praua cupiditate, sinè vllis calamitatibꝰ, afflictionibus, & morte. Hîc fuisset dilectio Dei ex toto corde, tota anima, & totis viribus: fuisset pura adoratio, inuocatio & celebratio nominis sui, diligēs obseruatio Sabbathi & cultûs diuini: fuisset & secūdæ tabulæ obseruatio, de proximo suo non minùs quàm seipsum diligendo: fuisset honor parentum, & reuerentia maiorū: nullus ibì occisor, mœchus, falsarius, aut cōcupiscens rem alienam &c. Sed sicut angeli nobilissimæ creaturæ in cælo obtemperât in singulis & minimis Deo, sinè omni peccato aut resistentia, & se mutuò diligunt & amant: sic etiam fuisset natura humana à prima suî creatione, si hanc imaginem & similitudinem Dei retinuisset. Ità habet textus Gen. 1. Vidit Deus cūcta quę fecerat, & erant valdè bona. Dei enim perfecta sunt opera. ob id nullū malum, quia Deu. 32.
Imperfectum est, cōcreatum fuit cum natura humana: omne enim malum, & quicquid est imperfectum in homine, hoc ex accidenti est, non ex ipsa prima creatione. Omnipotens Deus vt ipse est in se bonus & perfectus & carens omni peccato, ità quoquè hominem creaturā & plasma suū esse voluit, nempe rectum, integrum, sanctum, & originalem, qua eum decorauit, iustitiam seruantem. Illa autē iustitia originalis aliud nihil est, nisi imago Dei, id est, intelligentia & ratio boni & mali, cognitio omniū rerum & creaturarū. Deindè illa innocētia absq; omi vitio & peccato, sicutì Deꝰ est intelligēs & sinè omi peccato: ità hac iustitia originali & quasi thesauro fuit donatus homo in paradiso, vt illum custodiret, Deum obseruaret, & eius præcepto obediret, sicut præcepit Gen. 2. Nè comedas de fructu arboris huius &c.

Originalis iustitię descriptio.

DE CONDITIONE HOMINIS POST LAPSVM. Cap. 2.

EX quo aũt primus homo egit cõtra expreſſum Dei pręceptũ, incidit in pœnã illã, quam ei Deus iam anteà cõminatus fuerat, Gen. 2. fore vt quacũq; die comederet de eo fructu, morte moreretur: atq; ſic perdidit omniũ nobiliſſimũ donum originalẽ iuſtitiã. Ex illa igitur primi parẽtis inobedientia manat carẽtia illa originalis iuſtitię, & fomes ille peccati ac concupiſcentię, q̃ ſemper & ſinè intermiſſiõe ſpiritui & ſuperioribus viribus animę repugnat: & indè dicit peccatum originale, quod Adam in oẽs ſuos poſteros hæreditariã ſucceſſiõe trãſfudit, ità vt nullus inter omnes homines qui in hoc mũdo naſcũtur, ſit ſinè peccato & cõcupiſcentia, Ro. 5. Ephe. 2. nec quidẽ puer vnius diei, vt in Iob ait ſcriptura. Ex hoc quoquè venit vulnus noſtræ naturę, ità vt animalis homo non percipiat ea, quæ ſunt ſpiritûs, 1. Cor. 2. nec cogitare ex ſe bonũ tãquàm ex ſeipſo poteſt, 2. Cor. 3. nec ex ſe ipſo efficere poteſt fructus ſpiritusſancti, Gal. 5. dilectionẽ, pacem, fidẽ, &c. Deindè homo ille naturalis ſeu animalis propter hoc vulnus naturæ nec cupit nec eligit illa bona ſpiritûs ante gratiã, quandoquidem concupiſcẽtia & procliuitas carnis, quę in ipſo regnat, inimicitia eſt corã Deo, & abhorret à lege Dei, Rom. 6. & non minùs à bono ipſum auocat & impedit, quàm ad malũ allicit & prouocat. Porrò quãuìs talis homo, nẽpè ante gratiã, retinet naturalem libertatẽ ſuæ voluntatis, quanuìs imbecillẽ & corruptã, ex qua naturali libertate ſicut ex fonte promanant oẽs honeſtę virtutes & præclara facta gentilium vnà cum ſuis effectibus. Nam etiã poſt peccatũ manet libertas quædam naturalis conſilij proprij agnata homini, vt hoc vel illud faciendi, comedendi, bibendi, ambulandi &c. & obſeruandi præcepta aliqua etiã ſecũdæ tabulæ, id eſt, vt abſtineat ab occiſione, ab adulterio, à furto, à mendacio aut periurio: nã licèt illa libertas naturalis per peccatum ſit debilitata, ità vt hominẽ potiùs in peccatũ & vitium, quàm in actũ honeſtum & virtutẽ trahat, non tamen penitùs corrupta aut ſublata eſt: ex hac eñ & philoſophi gentiles honeſta opera docuerunt & fecerũt, licèt non haberent fidẽ in Chriſtum, vt patet in Platone, Socrate & alijs. Attamẽ ante gratiã Dei, & antequàm homo iterùm in bonũ ſtatũ reſtituat, hoc eſt, per iuſtificationẽ propter fidẽ in Chriſtum, non poteſt eã iuſtitiam, quæ coram Deo valet, aſſequi, nec habere poteſt ſpiritalẽ illam libertatem diligendi & faciendi fruct⁹ ſpiritusſancti, Gal. 5. nec quicquam ex ſe efficere boni poteſt ex relicta ſibi naturali illa libertate ante gratiã, ſed manet ſeruus peccati & Sathanę mancipiũ, & Deĩ inimicus, ac ſubijcitur omnimodis pœnis huius mundi, afflictionibus, doloribus, & morbis, q̃ omnia ſunt præcedẽtia mortẽ, & tandèm per mortẽ corrumpitur. nã per hominem intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors, Rom. 6. Sũt autem pœnæ illæ originalis peccati cõmunes bonis etiã de nouo regeneratis, cum alijs nõ regeneratis, id eſt, infidelib⁹, licèt nõ vño modo: nam regeneratis infliguntor ad exercitium, infidelibus aũt & impijs ad promeritam pœnam in hac præſenti vita, poſt illam autẽ manebit eos etiam ęterna dãnatio, iuxta illud: Qui nõ credit, iam iudicatus eſt. Hoc quoquè ſcire oportet, q̃ talis homo qui per peccatum originale corruptus eſt, quàm diù ſecundùm tractum naturæ ſuę viuit, & per gratiam non iuſtificatus ac renouatus fuerit, & ipſum Sathan in vinculis ſeruitutis captiuũ tenuerit, ac ſuggeſſerit, vt eat ac viuat iuxta concupiſcẽtias ſuas, vtq; deſideria carnis perficiat, & cogitationibus prauis morem gerat, ille cumulat originale peccatum, quod à parentibus ſuis traxit, etiã proprijs ac nouis ſuis peccatis, & fit filius iræ, Ephe. 2. ità vt ſi in illo miſerrimo & corruptiſſimo vitæ ſtatu pergat, perſeueręt & moriatur, tandèm iuſto Dei iudicio in ignem ęternum, vt ibi perpetuò puniatur, deſcenſurus ſit, qui ignis nunquàm extinguetur, nec vermis eorum, id eſt, impiorum morietur, vt Eſaias cap 66. ait. Inſupèr ex lege Decalogi agnoſcimus, in quam miſeriam inciderimus, & quomodò corrupta natura noſtra repugnet legi Dei: nam plena eſt tenebrarũ & faſtidij ac contemptûs eorũ quæ Dei ſunt, plena prauarũ cupiditatum. Vndè & mortem & infinitas miſerias & calamitates ob peccatũ illud originis experitur. Peccati verò cauſa nõ Deus, ſed Sathã eſt & praua noſtra volũtas, ſicut ſerpẽs venit in paradiſo Gen. 3. contra Dei voluntatem, iuſſit manducare de fructu prohibito, cui volũtas humana conſentit, & ſic Sathan & voluntas primorum parentum eſt cauſa peccati, & non Deus, iuxta illud Pſal. quoniã Deus non volẽs iniquitatem tu es. Deus etiam naturaliter impreſſit & concreauit

Iob 15. iuxta LXX.

Iohan. 3.

Mar. 9.

Pſal. 5.

creauit menti hominis veritaté,id est,cōſcientiam iudicantem, quid rectum, quid malū eſſet,ſecundùm quam gentes ſeruant legem,rom.2.& illam obfuſcatā vitio originis renouauit in tabulis Exo.20. declarauit apertiùs per Euāgelium Matt.5. cap. Sed hæc omnia cùm cōtemnit homo,neq; iudicium conſcientiæ vel legis vel Euāgelij curās, ideò dign⁹ eſt morte,Rom.1. niſi fide in Christū & pœnitétia liberetur &c.

DE HOMINIS REDEMPTIONE PER CHRISTVM.

Cap. 3.

QVm Deus pater miſericordiæ plenus,& diues in miſeratione, nollet vt homo, qué primò ad imaginem ſuam creauerat,perditus eſſet,ob id miſit filium ſuum vnigenitum in mundum,Ioan.3.ex merā & gratuita miſericordia,vt Apoſtolus ait ad Titū 3.Apparuit benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei,non ex operibus iuſtitiæ,quę fecimus nos &c.nulla aūté creatura alia vel in cælo,vel in terra erat ſufficiés ad hoc,vt redimeret hominē ex tam graui ira Dei & condemnatione, niſi filius Dei, Rom.8.quem dedit pater, vt homo in illo redemptionem & ſalutē haberet propter ſanguinem eius effuſum tanquàm victimā Deo & precium perſolutū pro peccatis noſtris,ſicut ſcriptum eſt Rom.3.quem conſtituit propitiatorē in ſanguine ſuo per fidem.Epheſ.1. Elegit nos in Chriſto ante conſtitutionem mundi,vt laudetur gloria gratiæ ſuæ.1.Ioan.4.Deus miſit filium ſuū in mundum,vt viuamus per illū, & ſic dedit illum in propitiatiōem peccatorū noſtrorum.Sic inquit etiā Eſa.53.Poſuit in eo iniquitaté omniū noſtrūm.& 1.Pet.2.Peccata noſtra portauit ſuper lignū,eius liuore ſanati ſumus, vt nunc peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus:eramus enim omes ſicut oues errantes ſinè paſtore &c. Quia igitur filius Dei,qui innocenter pro nobis peccatoribus mortis ſupplicium paſſus eſt, & pro nobis quod nos debebam⁹, ſatisfecit, ità nos redemit,& patrem reconciliauit,vt pater nos tāquàm miſeros & iniquiſſimos peccatores,propter filium ſuū abſoluerit, aut propter ſanguinem filij id fecit,& nos iterum in gratiam ſuā, ex qua planè excideramus,recepit,2.Cor.5.nam Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, nó imputans eis peccata ſua,&poſuit in nobis ſermonem reconciliationis. Ex his verbis clarè habetur, q̃ ſanguis Chriſti ſit cauſa efficiens noſtræ iuſtificationis & ſalutis, non noſtra iuſtitia: & q̃ gratis nobis hæc contingunt, quia apprehēdimus per fidē, Rom.3.arbitramur hominē iuſtificari per fidē abſq; operibus legis,& ſic gratis iuſtificamur per effuſum ſanguinem Chriſti & ſaluamur,attamen hęc fides legem non deſtruit,ſed potiùs ſtatuit,Rom.3. debet enī neceſſariò obedientia legis ſequi fidem ad retentionem iuſtificationis: Hoc fundamentum oportet ſemper manere ſalutis & iuſtificatiōis noſtræ,neq; aliud poteſt poni præter id quod poſitum eſt, id eſt, Ieſus Chriſtus, 1.Corin.3.igitur ex ſolo Chriſti ſanguine noſtra pédet ſalus, & non ex noſtro merito.Preterea licèt Deus nobis gratis propter nomē ſuum ſanctum ſolum & effuſum ſanguinē Ieſu Chriſti nobis propitius ſit, & deleat noſtra peccata propter ſemetipſum:attamē vt(ſicut Apoſtolus ait Rom.3.)ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ non remitteret peccata ſinè ſatisfactione & ſolutione, ipſe per inſcrutabilem ſuā ſapientiam & immēſam bonitaté iuſtitiam ſuam miſericordia tēperauit, & cōcluſit vt ſanguis filij ſui vnigeniti eſſet noſtra ſolutio & cauſa redemptionis,vt innocentiſſimus omnium ille agnus omnem noſtram pœnam in cruce portaret & toleraret, quam nos ſubire debebamus, vtq; ſatisſactiōem & precium noſtræ redemptionis, quibus nos quidé miſeri peccatores caremus, nec ex nobis habere poſſumus, ex vulneribus ipſius mutuò accipiamus, & ad ſalutē noſtram conuertamus, idq; eò, vt licèt beniginiſſimus pater noſtri gratuitò miſereretur,illa tamen miſericordia non exhiberetur nobis,niſi mediante ſanguine filij ſui: ità vt omnia ea quæcunq; hic nobis gratis exhibentur,non niſi meritis Chriſti & iuſtitiæ Chriſti accepta referamus,vt omnis qui gloriatur,in hoc Domino noſtro redemptore & ſaluatore glorietur, 1.Cor.1. Hæc omnia ſunt clariſſimè dicta, quòd Chriſti paſſio & ſanguis ſit noſtrum precium & ſatisfactio:Satisfactio quidem pro peccatis,precium autem quo emitur& impetratur cælum ex miſericordia. Rom.4. Mortuus eſt pro peccatis noſtris.nemo hic aliam iuſtitiam quærat, qua ſaluetur, niſi vulnera & ſanguinem Chriſti effuſum tanquàm cauſam ſalutis noſtræ. Nā hoc quod nos iuſtificat,res eſt extra nos, non in nobis aut à nobis, quam rem extra nos fides apprehendit. Hæc autem res eſt mors Chriſti,quę extra nos eſt,id eſt,nō noſtra

fides, dilectio, timor, opera quę à nobis fiunt, &c. Non igitur vel fides, vel fructus spiritussancti in nobis vel obediẽtia legis est causa efficiens nostræ salutis: sed ipse sanguis Christi in ara crucis effusus, propter quem conclusit Deus se velle misereri: ideò non pepercit filio suo, sed pro nobis om̃ibus tradidit illum. Cùm igitur sic doceamus nos & credamus, cur igitur hæretici calumniantur?

DE HOMINIS IVSTIFICATIONE PER FIDEM ET alia media. Cap. 4.

Qvicunq; ergò credit & pro certo tenet, quòd hoc verum sit, quod exprimitur in Euangelio & offertur nobis, scilicet quòd Deus pater conclusit, quòd propter sanguinem filij sui velit misereri. Hoc enĩ certò credere oportet. Nã Deus verax est, Ro. 3. Et q nõ credit, Deũ mendacẽ facit, 1. Ioh. 5. Ob id fides ex auditu Euangelij est, Ro. 10. Ideò qui primùm hoc credit, ac deindè cupit ex corde sibi exhiberi misericordiam, id est, remissionem peccatorum & salutem propter Christum & eius passionis meritum, idq; facit ex contrito & pœnitẽte corde, hic statìm iustificatur & inuenit remissionem peccatorum suorũ, & à culpa æternæ damnationis liberatur: & hæc est prima iustificatio ex sola gratia. Deindè iam remissa culpa, statìm quasi in secundo momento infunditur illi spiritussanctus, qui secum adfert suos fructus, Gala. 5. dilectionem, pacem, timorem, fidem, patientiam, &c. ex his virtutibus incipit spiritussanctus hominem renouare, id est, alios motus efficit, quàm ante iustificationem corrupta natura in se habuit: nam illa nõ potest ex sese efficere, nec habere dilectionem veram, verum Dei timorem, patientiam, pacem &c. & hi fructus spiritus, quibus ipse hominem spiritualem facit, alioquì animalis homo nõ percipit ea quę sunt spiritûs Dei, 1. Corinth. 2. & sic renouatur homo per fructus spiritussancti, & fit ex iniusto iustus, & iam factus prima gratia iustior. Nam quandò Deus iustificat, id est, remittit peccatum in Baptismo, non agit humano modo nobiscum, id est, quasi solùm remitteret culpam & condonaret nobis peccata, sed etiam facit nos meliores, quia dat & infundit nobis spiritumsanctum, qui purificat corda, & prouocat per charitatem Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per spiritumsanctum, quandò ille homini datur, & per illius donationem homo semper quæ bona, recta & spiritualia sunt, appetit, ac magis magisq; iustificatur. Sed hoc non potest homo facere homini: nam licèt homo iuxta præceptum Christi remittat proximo suo offensam & peccatum, Matth. 6. Luc. 6. Attamen non dat ei vltra illam remissionem donum singulare, id est, non facit eum meliorem, sicut Deus facit in iustificatione, quandò ipse homini remittit peccata. Si igitur homo qui sic appræhendit iustificationem & spiritumsanctum, in his duobus permanserit vsq; in finem, certò consequetur vitam æternam, ad quam persona iam est acceptata. Ideò ex prædictis patet, quid sit iustificatio, nempe remissio peccatorum, & donatio spiritussancti, & vitæ æternę promissio, quę certò sequetur, si modò hæc duo priora retinentur: retinentur autem per obedientiam legis, ideò fides non abolet legem, sed retinet, Rom. 6. Prætereà hoc signanter notare oportet, quòd non est vna res, remissio peccatorum, & donatio spiritussancti: sed remissio pręcedit donationem spiritûs: nam spiritus sanctus est donum in gratia, Roma. 5. ità quòd misericordia immerita quæ est gratia, primò præcedit: nam iustificato & acceptato peccatore per fidem in Christum, tunc DEVS dat peccatori pœnitenti spiritumsanctum, tanquàm donum & thesaurũ specialem, quo retinere queat iustificationem. sic hæres primò nascitur, & per natiuitatem filius fit, cui deindè vt hæredi seu filio distribuitur hęreditas. Sic etiam Apostolus discernit hæc duo, Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, id est, per baptismum, in quo peccatum primò dimittitur: nam cui peccatũ remittitur, ideò remittitur, vt saluus fiat peccator: & sic Deus primò remittit peccatum, & deindè dicit Apostolus, Et renouationis spiritussancti, quem effudit in nos abundè, scilicet quoquè in baptismo condonata iã culpa, & hæc omnia propter saluatorem Dñm nostrũ Iesum Christũ. Hęc duo, remissio & donatio, licèt vnico mométo cõtingant, tamen ordo ibì est, quia remissio præcedit donatiõem spiritussancti. Porrò hoc notandum est, quod spiritussanctus non datur ad remissionem peccatorũ aut ad salutem: per hoc enim quòd datur spiritussanctus, non acquiritur spiritussanctus aut vita æterna, sed ad hoc datur, vt qui iam per fidem ex merito passiõis Christi propter effusum sanguinem acceperũt re-

remissionem & promissiōem salutis propter personam Christi & illius victimam, vt illam retineant, nè iterùm per vitia carnis & inobedientiam legis amittatur: non spiritussanctus, sed mors Christi causa est efficiens ac fundamentum remissionis & salutis: solùm spiritussanctus datur in custodem iustificationis, vt retineatur & homo sanctificetur. Nā licèt peccata omīa dimittantur in Baptismo, quia tamen reliquiæ peccatorū in carne remanēt, & caro semper concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnē, ità vt non quæcunque vultis, id est, secundùm spiritum, faciatis: nam caro fortiter resistit. Ideò nè per imbecillitatem spiritûs regnet caro, Rom. 6. datur nobis spiritus sanctꝰ in adiutoriū spiritui nostro, qui vnà cum mente & spiritu nostro pugnet contra motus carnis, nè amittamus rursus iustificationē per vitia carnis. Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. & 1. Cor. 6. Quī talia agunt, regnum Dei non possidebūt. Ephe. 5. Galat. 5. Ideò nō sufficit accepisse remissionem & iustificationem in Baptismo, nisi etiam retineatur, & non amittatur per peccatorū ingratitudinem, nè deterius homini aliquid contingat, Ioann. 5. Deindè ex quo natura humana sic corrupta est vitio originis, vt non queat efficere bonos motus secundùm Deum & spiritum, qui Deo placerent, vt sunt Dilectio, pax, patientia, fides, benignitas, continentia, mansuetudo, gaudium, &c. Sed solùm motus carnis regnant in homine nōdùm perfuso spiritussancti numine, vt sunt desideria carnis, immunditia, fornicatio, luxuria, idolorum seruitus, contentiones, iræ, rixę, sectę, ebrietates, superbia, homicidium, auaritia & cæt. ideò maximè opus est, vt iustificato donetur spiritussanctus, qui nouos illos excitet & operetur motus, nempè contra superbiam humilitatem, contra odium dilectionem, contra vindictam patientiam, contra fornicationem continentiā, contra ebrietatem temperantiam, contra sectam concordiam fidei &c. vt sic suis motibus spiritussanctus pellat motus carnis, sicut contraria qualitas contrariam expellit: & nisi hoc factum fuerit per spiritumsanctū, iustificatio non retinetur, & per consequens non saluabitur homo ille. Licèt ergò spiritussanctus non sit remissio peccatorum, nec propter spiritumsanctum datur illa remissio, sed propter victimam & mortem Christi: attamen hæc eadem remissio non retinetur, id est, iustificatio non retinetur sinè spiritusancto, qui in eum finem nobis datur, vt sit custos iustificationis in nobis, vt hic thesaurus promeritæ per Christum salutis, quæ nobis in baptismo gratìs per fidē in Christum est distributa, retineatur. Deindè datur in eum finem spiritussanctus, vt magìs magisq; in nobis crescat iustitia, & indè maius præmiū in cælo, scilicet accidentale: & quidem necessarium est, quatenùs obedientia vera & ex corde legi oeī præstetur, vt ipse spiritussanctus hāc obediētiam legis Dei in nobis operetur, vt sic primò iustificatio retineatur, deindè & premiū legis nobis adueniat: nā sunt varię promissiones legis, vt patet Exod. 20. Leuit. 26. Deut. 28. corporales & spirituales, in hac vita, & post hanc vitam, vbì differt stella à stella in claritate & magnitudine, 1. Cor. 15. quæ prēmia legis donantur obedienti legi. Sed hæc obedientia & obseruantia legis sinè spiritusancto verè præstari non potest. ideò datur ille nobis post remissionem peccatorum, vt nos adiuuet, vt legem obseruemus, & promissionum Dei in lege participes efficiamur. Est tamē promissio etiā Euangelij, quæ promittit credenti in Christum remissionem peccatorum, spiritumsanctū, & vitam ęternam, propter personam Christi: at illa non meremur, sed gratìs nobis conferuntur credentibus & pœnitentibus, vt dicit Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitū daret: vt omīs qui credit &c. & Iohan. 14. Spiritum paracletum quē mittet pater in nomine meo, &c. Sic Iustificationem integram remissio peccatorū, donatio spiritussancti, & promissio vel acceptatio personæ ad vitam ęternā: nam persona acceptatur ad salutem, quandò culpa remittitur, & spiritussanctus donatur. Non tamen vna res sunt remissio peccatorum, donatio spiritussancti, & vita ęterna, sed vnum sequitur alterum: & hoc signanter notare oportet, omnia tamen donātur propter sanguinem Christi.

DE DIFFERENTIA IVSTITIAE CHRISTI, ET IVSTITIÆ nobis à Deo donatæ seu infusæ. Cap. 5.

PRimò diligenter notandum est discrimen illud iustitiæ Christi, id est, iustitiæ meriti suæ passiōis & effusionis sanguinis, & illius iustitiæ, quæ à Deo nobis donata est, quæ

vtræq; nobis donantur, in Baptiſmo propter Chriſtum gratìs, ſed non vno eodéq; modo. Chriſti iuſtitia, meritum & victima datur homini ſeu diſtribuit in baptiſmo, vt tollat omnia peccata, & ſit cauſa efficiẽs propter quam tollitur peccatũ. Sic in pœnitentia cauſa eſt efficiens remiſſionis peccatorum noſtrorum meritũ & paſſio Chriſti. ſic quoquè cauſa eſt efficiens ſalutis, 1. Ioã. 2. ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Actor. 10. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent &c. propter ipſum complacuit patri ſibi omnia reconciliari, Col. 1. nullũ ergò aliud opus propitiatorium ac ſaluificũ eſt in mũdo, propter quod Deus ꝓmiſit velle miſereri, remittere peccata, & dare vitam, niſi propter hoc vnicũ opꝰ paſſiõis Chriſti. Eſt igitur hic ſanguis effuſus ſolus cauſa efficiẽs, propter quam acquirimus remiſſiõem peccatorum & ſalutem: ſolus enim Chriſtus ſemel intrauit in ſancta ſanctorum, & reperit redemptionem, Heb. 9. Hoc Chriſti meritũ, quia eſt infinitum, non poteſt euacuari, quia æternum: ideò durat in perpetuum: ob id licèt precium pro remiſſiõe & ſalute noſtra ſemel ſit ſacta, tamen efficacia & virtus illius durat vſq; ad finem mundi: & deindè æternaliter gaudebunt iuſti & ſalui erunt propter hoc vnicum opus propitiatorium crucis Chriſti. Hic quoquè ſanguis precioſior eſt omni auro & argẽto, & rebꝰ omĩbus corruptibilibus totius mundi, 1. Petr. 1. Deindè efficacior & potentior, q̃ omnia peccata totius mundi. Rom. 5. abũdat gratia peccato. & 1. Ioan. 3. Maior eſt Deus corde noſtro. idcò non habet peccator, quo deſperet: deindè eſt fortior poteſtate & omni vi diabolica, quia Sathan non habet in eo quicquam, 1. Ioan. 4. & Luc. 11. Cùm fortis armatus cuſtodierit atrium ſuum. Atque ſic in ſumma paſſio Chriſti promeruit omnibus hominibus credẽtibus ſalutem æternam, & propter illũ ſolum fit remiſſio: ille ſolus cauſa eſt, vt peccata à nobis transferantur, quòd iterùm in cælũ reuocemur, quòd filij Dei ſimus: hæc gloria Chriſti nõ poteſt nec debet alteri dari, id eſt, operi humano. Secundò eſt iuſtitia, alia, quæ nobis à Deo eſt donata etiam in Baptiſmo, & illam nominant infuſam ſeu inhærentem iuſtitiam, quæ aliud nihil eſt, niſi ipſe ſpirituſſanctus, qui infunditur nobis in lauacro regenerationis Tit. 3. qui poſtquàm appræhenſus eſt, ſtatìm incipit operari fructus & motus ſuos, qui ſunt dilectio, patientia, timor Dei, continentia &c. Hic datur homini, vt homo, qui iam accepit Chriſti iuſtitiam per fidem quę illum iuſtificauit, hoc eſt, fuit cauſa efficiẽs remiſſionis peccatorum, vt poſſit idem retinere illam acceptam per Chriſtum iuſtificationem, & vt ipſe nunc incipiat iuſtè & ſanctè viuere, obedire legi Dei per adiutorium ſpiritûs ſancti, non vt per hæc ſuas virtutes & bona opera aut per fructus illos ſpirituſſancti velit mereri cælum ac remiſſiõem peccatorum. Hæc duo enim iam antè promerita & appræhenſa ſunt propter meritum & perſonam Chriſti, ſed quatenùs retineantur illa per fructus hos ſpirituſſancti & virtutes noſtras. Fides ergò ſola non eſt tota iuſtitia vitæ: non etiam inhærens illa iuſtitia, eſt cauſa efficiens remiſſionis peccatorum & cæli impetrandi, ſed potiùs iuſtitia Chriſti, id eſt, meritum & ſanguis eius effuſus: altera verò iuſtitia poſt remiſſionem peccatorum donatur, vt accepta iuſtificatio per iuſtitiam Chriſti non amittatur. Atq; ſic non eſt nec eſſe poteſt fundamentum iuſtificationis noſtræ illa infuſa ſeu inhærens iuſtitia: nam fundamentum noſtræ iuſtificationis & ſaluationis, eſt res extra nos, & non à nobis, ſcilicet Deus & mors Chriſti: nõ eſt res in nobis inquam, id eſt, non fides, non dilectio, non ſpes, non ſpirituſſanctus cum ſuis fructibus, nec res à nobis, id eſt, non pœnitẽtia, contritio, oratio, ieiunium, eleemoſyna, patientia &c. ſed ſolùm fundatur ſuper ſanguinẽ effuſum Chriſti. Neq; enĩ hoc exigit Deus, vt opera noſtra vel infuſa iuſtitia ac gratia ſpirituſſancti cum ſuis fructibus, debeant eſſe fundamentũ noſtræ iuſtificationis & ſalutis: nam ſi hoc potuiſſet eſſe, Chriſtus gratìs veniſſet, & fruſtrà mortuꝰ eſſet, Galat. 2. Quia ergò nihil fuit in mundo, nulla ſanctitas, nulla iuſtitia aut opùs quod ſatìs eſſe & efficere potuiſſet fundamentum ſalutis noſtrę: ideò Deus dedit & miſit nobis filium ſuum, vt ſanguis ipſius & mors eſſet victima & fundamentum, propter quod Deus vellet miſereri: ideò iuſtitia infuſa & ſpirituſſancti cum ſuis fructibus & operibus, non eſt fundamentum iuſtificatiõis noſtræ, ſed mors Chriſti. Hoc quoquè ſimplices notare debent, quòd quandò dicitur de ſpirituſancto & ipſius fructibus ſeu infuſa iuſtitia, ibì compręhendantur omnia opera bona, obſeruantia legis Dei, nempè decalogi et Euangelij, dilectionis opera, ieiunia, oratio, eleemoſyna, &c. Summa, omne quod bonum, æquum,

pium,

plum, sanctum, honestum, iustum, religiosum à nobis proficiscitur, & omnes aliæ virtutes, bona exercitia pietatis, castigationes, & abstinentię, & quicquid homo renatus & iustificatus facere potest erga deũ & proximum suũ ore, opere & facto, &c. omnia illa dicuntur bona opera, & veniũt à spiritusancto & gratia eius, hic operatur in nobis omnia, 1.Cor.12. & nos non sumus sufficiẽtes cogitare ex nobis aliquid, 2.Cor.3. sed omnis sufficientia nostra, id est, quicquid boni operamur aut cogitamus & loquimur, à Deo est per infusam gratiam spiritussancti, & non à nostra corrupta & vitiata natura. Ideò cùm spiritussanctus, qui omnia bona in nobis operatur, detur iam iustificato ex merito passionis Christi, & donetur tamen post remissionem peccatorum appræhensam, ob id nõ potest vnà cum bonis operibus purè & merè esse fundamentum iustificationis ac saluationis nostræ, sed solùm in eum finem datur & operatur, vt homo retineat illa beneficia & thesaurum Christi, nempe iustificationem, & præmia, ac mercedem accidentalem in cælo accipiat, & pœnas quas ob cõmissa delicta incurrerat, hic & in futuro effugiat. Porrò hęc iustitia nobis à Deo donata seu infusa cum spiritusancto & eius operib⁹, & quicquid boni ex eo tanq̃ ex fonte fluit, licèt sit melior, Deo placentior & abondãtior seu locupletior iustitia, quàm ea quę Pharisæorũ fuit & scribarum, Mat.5. attamẽ pro cõperto est, ꝙ maior pars eorum qui acceperunt donatã illam iustitiam & gratiã spiritussancti, nihilominùs haud resistãt carnis concupiscẽtijs, quandiù viuimus, & fit sicut Paulus dicit Rom.7. mente quidem seruio legi Dei, carne verò legi peccati. Ex quo nũc homo quandiù in hac terra viuit, perfectionẽ huius infusæ iustitiæ assequi non potest: nunq̃ enim tantum, quantum debet, deũ & proximum suum diligit: nec satis timet, satis castus, patiens, orans & mũdo corde est, sicut deberet &c. Sed lex semper accusat cõscientiã, & irã operatur Rom.5. Ideò hæc donata nobis à Deo seu infusa iustitia ob nostram imperfectionẽ & imbecillitatẽ, non potest esse fundamentũ nostrę iustificatiõis & salutis, alioquì oporteret nos omnes damnari, si salus & iustificatio nostra pẽderet à tali infusa iustitia, eô ꝙ illam non perfectè nec ex toto implemus. Nã Deus vult nos iustificare ꝓpter hoc opus, quod ab omi parte est pfectum: at nullius hominis in toto mũdo præter solius Chr̄i opus, id est, victima crucis, ab omi parte est perfectũ: ergò ꝓpter opus Chr̄i & eius iustitiam iustificamur & saluamur. Ideò opus est, vt hic solius Chr̄i meritum subueniat, qui factus est nobis à Deo sapiẽtia, iustitia, sanctificatio, & redẽptio, 1.Corin.1. ex cuius etiã merito est, ꝙ Deus nos ex gratia donauit illa infusa iustitia, quã etiã ex eodẽ merito Christus augmẽtat in nobis de die in diem, vt nos ampliùs renouet, & pfecta in nobis fiat dilectio, fides, pax, cõtinẽtia, & alij fructus spiritûs: oportet igitur, vt dixi, vt nobis Chr̄s cum precioso suo sanguine, & cum sua, iustitia, quã ex effuso sanguine suo meruit, succurrat, quoniã illa donata nobis iustitia est insufficiens: Christi aũt iustitia sola perfecta est & plena, & ideò tollit sola peccata mũdi, & impetrat hominibus remissionẽ peccatorũ. Et sic fit, vt quicq̃d homo ex se nec pstare, nec per suã infusam iustitiã assequi potest, hoc totũ per Chr̄i perfectionẽ, i. meritũ preciosi sanguinis ei⁹ nobis impetratur & donatur. sic dicit Ioan.1. epist.2. aduocatũ habemus apud patrẽ Iesum Christũ iustũ, ille est propitiatio pro peccatis nostris. Ro.3. quẽ constituit propitiatorẽ in sanguine suo per fidẽ. Atq; sic concurrunt in homine meritũ Chr̄i, & infusa iustitia: sed nõ eo modo, quasi ambo illa & simul impetrẽt remissionẽ peccatorũ & vitã æternã, aut ꝙ ambo sint fundamentũ salutis ętern̨ę: sed sunt dispares, vna perfecta, i. Chr̄i, altera impfecta: ob id nõ ex ęquo operanẽ, nec eiusdẽ sunt efficacię. In nostra donata iustitia sępè offendimus & labimur, iuxta illud: Septiès in die cadit iustus. idq; ꝓpter varias tẽtationes huius mũdi, carnis & sathanę: sed chr̄i iustitia ex suo sanguine ꝓmerita, illa semp est & manet integra & pfecta: nusq̃ offendit, nec labit, ideò ipsa sola est causa efficiẽs & fundamẽtũ salutis finè nostra donata iustitia: ideò necessè est, vt insufficientiã nostram farciam⁹, cõfortemus & cõsolemur merito sanguinis Chr̄i in illo eñi merito repimus certũ fundamentũ spei salutis nr̄æ, ibi qescit cõscientia nr̄a in vulnerib⁹ Chr̄i, qbus nullus defectus, nulla impfectio: in nostra aũt donata iustitiã, qa pfecta nõ est, ob id qetare conscientiã & esse fundamentũ iustificatiõis & salutis non potest: soli ergò Chr̄i merito hoc relinquit. attamẽ in aliũ finẽ hæc nostra donata iustitia daẽ & exigitur, scilicet, vt per illã sobriè, sanctè, piè, iustè in hac vita viuamus, vt sit q̃dam quasi iustitię vitæ, quæ etsi nihil valeat apud Pro.24.

Deum merendo, tamen illi placet, & eius voluntas est, vt sic expectemus beatã spem aduentûs & gloriæ magni Dei nostri Iesu Christi, Tit. 2. quę nobis promissa est propter sanguinem Christi. Credere autem in Christum, & sanctè viuere, differũt. Quoniam autem nõ simus certi de salute & iustificatiõe per nostram infusam iustitiam, ideò oportet nos Christum indui, Rom. 13. cum quo nobis omnia donãtur, Rom. 8. qui dedit filium, quomodò non omnia cum filio? & in illo Christi merito omnia nostra ad summum certificantur & perficiuntur, vt sic ad spem viuã conseruemur & confortemur. Salus ergò nostra in vulneribus Christi iacet. Præterea sola vna iustitia perfecta & sufficiens est, quæ totũ mundum iustificet & saluet, nempè Christi, vt gratia ipsius iustificati, hæredes simus secundùm spem vitææternę: non enĩ sunt duæ iustitiæ, nec duo fundamenta salutis, sed solum Christi meritum & iustitia est causa efficiens & fundamentũ vnicum salutis nostræ. Infusa autem seu donata nobis à Deo iustitia, in alium finem valet & datur, vt retineat Christi iustitiam, sicut continens contentum, non tamẽ est ipsum contentum &c.

QVOMODO HOMO PER DONATAM ILLAM SEV INfusam iustitiam retineat iustificationem. Cap. 6.

Quoniam Apostolus dicit 1. Iohan. 2. ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & Rom. 3. quẽ proposuit propitiatorẽ in sanguine suo &c. ideò hoc fundamentũ semper manet immotũ, & per se stabile, quòd per solum Christi meritum & victimam crucis suæ omnibus hominibus credentibus salus & iustificatio impetratur gratìs per fidem, iuxta illud Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari gratis sinè operibus legis. in hoc fundamento quiescit nostra conscientia, & spes salutis figitur. non est enim aliud nomen sub cælo, in quo oporteat saluum fieri nisi in nomine Domini nostri Iesu Christi. Deindè propter illam iustitiam & meritum Christi, quod nos appræhẽdimus per fidem in Baptismo semel, quatenùs hoc Christi meritũ & promerita salus semper retineatur, ideò donatur nobis à Deo alia iustitia, id est, spiritusSanctus cum suis fructibus & operibus, Galat. 5. vt custodiat in nobis Christi beneficium & gratiam, nè iterùm amittatur. nam per fructus & pia opera, obediẽtiam legis, & timorem Dei, & alia id genus, custodimus appræhẽsum thesaurum, id est, meritum Christi: è diuerso per mala opera carnis, id est, per peccata iterùm amittimus appræhensum thesaurum, & fit error nouissimus peior priore, Luc. 11. Nam Apostolus 1. Tim. 1. cõiungit simul fidem & conscientiam bonam. vbi ergò conscientia non est bona, ibi fides vera non manet: & vbi dilectio, pax, timor Dei, obedientia legis, &c. nõ est, ibi iam antè mortua est fides, sicut dicit Apostolus 1. Ioan. 3. Qui nõ diligit, adhuc in morte est. Amittitur ergò per peccatum gratia, id est, immerita Dei misericordia, fides vera & viua in Christum, & spiritusSanctus cessat efficax esse in nobis, & nõ possunt stare simul manifesta opera carnis, qualia recẽset Apostolus Galat. 5. cum vera fide & viua, quæ iustificat: aliàs enim fit fides mortua, Iaco. 2. Signanter autem vocat Apostolus illa opera carnis manifesta, id est, cõtra legem Dei & propriam conscientiam. nam licèt sit & aliud quoddam genus peccati, quod est ipsa agnata infirmitas nostræ carni, & aliàs dicitur peccatum originis: ex quo ità corrupti sumus, vt difficulter aliquid boni faciam⁹, inclinamur ad malos ac peruersos mores: ignoramus & dubitamus de Deo, an velit nos acceptare: nõ sumus grati, non timemus ipsum verè, nec colimus: de nobis ipsis magna sentimus: cum mens ipsa & cor nostrum aberrat à vera via, & semper carnalia sentit, & segnis est ad bonum, facilis ad malum. Hæc omnia quanuis sint grauia peccata & damnãtia, nisi liberemur gratia mediatoris, attamen quoniam sancti homines repugnant & certãt contra huiusmodi peccata, sicut Apostolus ait Rom. 7. Non hoc quod volo, facio, sed hoc quod nolo: ideò merentur veniã, quòd hæc peccata non expellant gratiam Christi, spiritumSanctum, &c. ideò quotidiè etiã oramus nobis dimitti peccata seu debita, Matt. 6. His autem naturę infirmitatibus & peccatis ex originis vitio admissis, nemo liberari vel ex toto purus fieri potest, donec hæc vita nostra durauerit. Sed per solam incineratione ex toto purgabitur natura, sicut ad Philip. ait Apost. saluatorem nostrum expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostrę, & cõfigurabit corpori claritatis suæ, id est, tẽpore resurrectiõis. Exindè est quod propheta dicit. Psal. 142. Non intres in iudiciũ

cum

cum ſeruo tuo Dñe, quoniam nõ iuſtificab.tur in conſpectu tuo omnis viuens. & 1. Ioan.3. Si dixerimus quia peccatũ non hamus &c. attamen quia credimus diuinę ꝓmiſſioni de Chriſto, ꝙ Pater ꝓmiſit propter filiũ credẽtibus vitã æternam, Ioan.3. ideò iuſti reputamur coram Deo, & hæc fidet reputatur nobis pro iuſtitia, quia Deũ veracem tenemus, & ei gloriã veritatis damus, ſicut fecit Abrahã Gen.15. Ro.4. Et ſic fit, vt duo in nobis ſint, ꝙ ſumus iuſti fide coram Deo, & peccatores etiam adhuc in carne, in qua ſunt adhuc multi defectus: & quoniã adhuc in carne noſtra eſt illa infirmitas, ideò oportet fidem ſemper reſpicere & ſolatiũ quærere in filio Dei, & propter illũ ſemper ſperare & petere miſericordiam. Licèt ergò in nobis ſit infuſa iuſtitia à Deo, id eſt, ſpirituſſanctus, qui in nobis incepit nouã vitam, Dei obedientiã in obſeruatione legis ſuę, nouos motus, id eſt, dilectionẽ erga Deũ & proximũ, gaudiũ, pacem, caſtitatẽ, timorẽ, patientiã. Sit igitur homo quantũcunquè pius, iuſtus & ſanctus, nõ tamen hîc fidutia ſalutis locãda eſt, eò ꝙ eſt imperfecta, ideò oportet ſemper fidutiã ſalutis locare in Dei miſericordiã propter Chriſtũ promiſſam: & hac fidutia Chriſti ſemper oportet inuocare Deũ, ſicut Apoſtolus ſperat & timet: timet, propter fragilitatẽ carnis: & ſperat, ꝓpter promiſſionẽ Chriſti: & credit, inquiens 1. Cor.4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed tamẽ in hoc iuſtificatus nõ ſum. qui autẽ me iudicat, Dominus eſt. Sic 1. Ioã.3. inquit Apoſtolus: Om̃is qui natus eſt ex Deo, nõ peccat, ſcilicet lœtaliter: nã Deus propter fidẽ in filium, non vult imputare peccatũ: alioquì nemo eſt ſinè peccato. Nemo ergò dicere debet, ꝙ propter infuſam iuſtitiã non indigeat remiſſione peccatorum & miſericordia: ſemper hoc in corde eſſe debet cũ Propheta Pſal.50. Miſerêre meî Deus &c. quantũcunquè etiã ſancti fuerimus. Sinè peccatis æſtimamur à Deo propter filium, ſed non ſumus tales in natura: ibì em̃ ſemper imperfectio &c. attamẽ hoc certũ eſt, ꝙ quandò fiunt mala opera contra legem & conſcientiam manifeſtè pugnantia, ibì eſſe Dei contẽptum, neq; veram ad Deum conuerſionem factam eſſe: nam qualis arbor eſt, tales & fructus, Matt.7. Porrò tria hæc amittuntur per peccatum, gratia, fides, ſpirituſſanctus: gratia ſecũdùm Rom. 3. vocatur, quòd nos Deus gratìs ex gratia ſua acceptat in filios ſuos, remittit peccata, & promittit ſalutem propter Chriſtum, vt dum dicitur, Paulus ex gratia impetrauit remiſſionem peccatorum, tãtum eſt, àc ſi dicas, Paulus ſinè merito ſuo, gratuitò & propter ſolam perſonam Chriſti accepit remiſſionem & ſalutem. Ex quo nunc gratia eſt, accipere gratìs meritum Chriſti, & per hoc remiſſionem peccatorum: ſequitur, quòd ille qui gratìs iam accepit gratiã, id eſt, remiſſionẽ ꝓpter Chriſtum, & tamen peccat ſcienter contra mãdata Dei, ac contemnit Deum, & itã pergit in impœnitẽtia, & nõ cõuertitur, hic amittit iterùm appræhenſam illam gratiam, quam antè gratìs acceperat in Baptiſmo, hoc eſt, amittit iuſtificationem, & proijcitur extra regnum cælorũ, ſicut dicit Apoſtolus Epheſ.5. Hoc autem ſcitote, ꝙ nullus fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorũ ſeruitus, &c. Habet partem in regno Chriſti, vbì eſt remiſſio peccatorum & redemptio à poteſtate Sathanæ. Deindè amittitur per peccatum fides viua & vera: nam hæc eſt conditio fidei, quòd omni hora & momento petit & ſperat miſericordiam conſequi propter Chriſtum: quia fides nihil aliud eſt, niſi fidutia certa conſequendæ miſericordiæ promiſſæ propter Chriſtũ. Heb.11. ſubſtantia firma, id eſt, fidutia certa rerum ſperandarũ, id eſt, promiſſarum propter Chriſtum, vt ſunt remiſſio peccatorum & ſalus, & intẽdit in id, quod non appáret, id eſt, credit promiſſioni Dei de futuris, quæ iam non cernuntur. Quiſquis verò iam delectatur & conſentit peccatis, illum impoſſibile eſt rectè & verè petere & deſiderare miſericordiã & ſolui à peccatis: ob id talis fides, quæ ſemper petit remiſſionem aut ſolutionem à peccatis, nunq̃ verè eſſe poteſt in ijs hominibus, nec manere, qui adhuc delectantur & aſſentiunt peccato, & non ceſſant nec pœnitẽt: pugnant em̃ hęc duo, petere remiſſionem, & tamen non dolere vel ceſſare à peccatis. Signanter autem dicitur fides vera & viua, q̃ iuſtificationẽ appræhendit, illa non ſtat cum peccato: aliàs fides mortua, de qua Iacobus 2. ait, illa manet cum peccato: nam adulter poſt adulterium ſicut antè credit &c. Sed hæc fides dicitur mortua, quæ ſolùm nouit recitare articulos fidei: nouit Chriſtum ſecundùm hiſtoriam, quid & qualia fecerit, & illum confitetur verbis. Ad Tit.1. Cõfitentur ſe nôſſe Deum, factis autem negant, id eſt, nullam habent ſequentem dilectiõem erga Deum & proximum: aliâs enim cum vxore proximi ſui non mœcharetur: nec

(margin: fides qd fit.)

habet

habet obedientiam legis Dei, in qua hoc prohibitũ est, sed est tãtùm verbalis fides, & nõ cordialis fides, Rom.10. Corde creditur ad iustitiam &c. Gal.5. fides quæ per dilectionem operatur &c. ergò fides mortua nihil valet ad salutem consequendam, non enĩ omnis qui dicit, Domine Dñe, &c. Mat.7. fidem autem veram expellit peccatum, id est, si non sequitur dilectio, iam fides mortua est. ideò vtrunq; præcepit Deus, credere in filium suũ, & diligere proximũ, 1. Ioã.3. Cùm ergò fides sit petitio misericordię propter Christum, qui non cessat peccare, hic non petit, sed Deum ludit, nec misericordiam consequetur: videant ergò hîc carnales, quàm friuolè de fide & de verbo Dei glorientur. Porrò per peccatum amittitur etiam spiritussanctus: nã ità totum genus humanũ, paucis exceptis, ante diluuium perdidit spiritumsanctum, sicut Deus dixit Gen.3. Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, id est, vita quam dedi illi, non erit perpetua propter peccatum. eruntq; dies illius centum. & 20. annorum. Eccè spiritus vitę naturalis propter peccatum carnis abbreuiatus est, & vitæ spatium diminutum: quãto magìs spiritussanctus, qui est spiritus sanctificationis, Ro.1. amittitur per peccatũ, sicut dicit Apostolus Ephe.4. Nolite contristare spiritumsanctũ Dei, in quo signati estis in die redemptionis, id est, baptismi? Contristatur autem & fugatur spiritussanctus per iram erga proximũ, blasphemiã, detractionem, contumaciam erga superiores, furtum, mendaciũ, &c. hęc enim opera mala pugnant cum ipso: nam spiritus ille sua habet bona opera, & fruct⁹ suos operatur, id est, dilectionem erga proximum, laudem & honorem Dei, eleemosynã, longanimitatem, pacem, castitatem, &c. Gal.5. fructus spiritus sunt, charitas, pax, &c. Vbì ergò si fructus fiunt, & obedientia legis Dei & dilectionis opera seruantur, ibì retinetur spiritussanctus. Vbì autem nõ, ibì fugatur & expellitur. Summa, quanuìs hæ virtutes, id est, dilectio, fides, castitas, timor, longanimitas, & fructus spiritûs sint inter se diuisi, tamen ad vnum pertinent omnes: & si vnũ amittitur aut deficit, tunc & aliud deficit: nam vbì non est dilectio, ibì certè antè fides mortua est: & vbì dilectio non est, nec obedientia præceptorũ Dei, nec timor, nec pax conscientiæ, nec castitas mentis, nec pietas ad proximũ &c. ergò homo per peccatum, quod est contra manifestam legem Dei & conscientiam, amittit gratiam, fidem, & spiritũsanctum. Datur prætereà à Deo hæc iustitia, id est, spiritussanctus, quatenùs appræhẽsa iustificatio, id est, meritũ Christi in Baptismo, retineatur per hos fructus spiritussancti, non vt iustificent, sed vt custodiant. Si enĩ secũdùm carnẽ vixerimus, moriemur &c. Rom. 8. & si talia (id est, opera carnis) egerimus, regnum Dei non possidebimus. Gal.5. Fides enim, quæ semper respicit in mediatorem Christum, & in illum solum fundatur, hæc appræhendit remissiõem in primo gradu ante donationẽ spiritussancti. Non igitur de iustificatiõe, quam ꝓpter mediatorẽ Christum gratìs nobis conferri, vtrinquè conceditur, pugna est: sed de retentiõe, nè illa iterùm amittatur per carnis vitia & peccata. Et hæc etiam potissima causa est, cur vrgentur & exiguntur bona opera post iustificationem acceptam, nè iterùm amittatur, non solùm propter recompensationẽ seu meritum operum &c.

QVOMODO HOMO AMISSAM IVSTIFICATIONIS GRAtiam recuperet propter Christum. Cap. 7.

QVàm terribilis & extremè exitiosa animę hoĩs res sit amissio appręhensę semel gratię iustificationis, ipse Chrs testatus est; & apparet ex pœnis sequẽtib⁹ illã amissionẽ gratię. nã in Euangelio Ioã. cap.5. ait Chrs ad sanatũ ex piscina: Eccè san⁹ factus es. iã noli peccarè, nè deterius tibi aliquid cõtingat, & Lu. cap.11. ait per similitudinẽ de expulso semel immũdo spiritu, q vbì redierit, adducit secũ septẽ peiores seipso, & fiunt nouissima hominis illius peiora priorib⁹. & Matt.11. exprobrat ciuitatib⁹ illis, q post tot ac tãta visa miracula nõdùm erãt emẽdatę, & ipsas peiores & dãnatiores dicit ipsis gentiliũ ciuitatib⁹, & ꝙ hæ mitiùs habebũt in die nouissimo. & dicit 2. Pet.2. ꝙ melius esset nõ cognouisse veritatem, q̃ post agnitã veritatẽ pręuaricari. Sic etiam Christus de Iuda dixit, & sæpè ꝓlatis verbis ꝑmonuit, ꝙ ipsum esset traditurus, ipse aũt agnoscere noluit, sed meruit vt de se diceret Mat.26. Bonũ erat ei, si natus non fuisset homo ille. In hunc finem Apostolĩ postquàm iam fundamẽtum salutis posuissent apud gẽtes, & docuissent quomodò propter sanguinẽ & meritũ Christi iustificarentur gratìs, semper quidẽ magna diligentia hoc adiunxerũt, & eos monuerũt, vt post

vt post appræhensam illam iustificationis
gratiam per meritum & sanguinem Chri-
sti, ità vitam suam deincèps instituerẽt, nè
hac semetipsos per carnalẽ & criminosam
vitam fraudarent & amitterent. Sic enim
Paulus Corinthios suos hac in re alloqui-
tur 1. Cor. 5. Pascha nostrũ immolatus est
Christus, qui soluit preciũ, & satisfecit ꝓ
peccatis nostris, & vobis iam gratìs per fi-
dẽ donatus est: ideò nunc epulemur, nõ in
fermẽto malitiæ & neqtiæ, &c. & ad Heb.
9. qui semetipsum obtulit Deo, nẽpè pro
nobis, & emundauit conscientiã nostrã ab
operibꝰ mortuis, id est, peccatis. quarè au-
tẽ hoc? ad seruiendũ Deo viuenti. & 1. Pet.
2. qui peccata nostra portauit super lignũ.
& Esai. 53. posuit in eo peccata omniũ no-
strûm. Quarè autem hoc? vt peccatis mor-
tui, iustitiæ viuamus. Sic quoquè Zachari-
as in Cantico suo Lucę 1. Benedictus Do-
minus Deus Israel, quia visitauit & fecit re-
demptionẽ plebis suę: quarè aũt? vt in san-
ctitate & iustitia corã ipso viuamus omni-
bus diebus nostris &c. Hęc omnia decent
non vt de nouo mereamur salutẽ aut iu-
stificationem, quę semel impetrata est per
Christum & nobis distributa, sed vt illam
retineamꝰ. Deindè quãuis sit res horrẽda,
excidere è gratia Dei, & existere extra re-
gnũ gratię: attñ promissa est nobis hęc cõ-
solatio, vt quotiès rediêrimus post lapsum
ad pœnitentiam, totiès iterùm recipiamur
in gratiam à Deo propter Christi sanguinẽ
effusum, & restituamur in regnũ gratiæ &
misericordiæ seu remissiõis peccatorum.
Hæc summa & vnica nostra est cõsolatio,
ꝙ, quatenùs hoc certò credamꝰ, iussit Chri-
Luc. 24. stus prædicari in nomine suo pœnitẽtiam
& remissionẽ peccatorum: dedit quoquè
Mat. 16. claues absoluẽdi & ligandi, quatenùs certi
& 18. essemus, & non dubitaremus de remissiõe
peccatorum. Hęc aũt certitudo ex hoc est,
quoniam causa propter quã Deus ꝓmisit
remissionẽ & salutẽ, nõ est ipsa pœnitẽtia,
cõtritio, vel ipsa opera hominis, sed ipsum
Christi meritũ & victima crucis, Philip. 2:
& hanc promissionẽ fide appræhendimus
in Christum, & nõ propter vlla opera no-
stra: & ideò ex fide, quæ stat fundata super
mediatorẽ Christũ, vt promissio sit firma
& certa: nam si staret remissio aut promis-
sio remissio peccatorũ super nostris operi
bus, nunꝗ̃ essemus certi de remissione &
salute, eò ꝙ mea contritio, confirmatio &
opera sunt imperfecta, at in Chro omnia
sunt perfecta: igitur qui credit promissiõi
diuinæ propter illum factæ, hic certus est,
Ro. 4. Si enim perfectã possemus prestare
obedientiã legis Dei, tunc ex lege esset iu-
stitia: & quoniã lex semper accusat cõsci-
entiam, & operatur irã, quia minùs homo
fecit, ꝗ̃ debuit & tenetur. Ro. 4. ideò opor
tet vt aliã quęrat iustitiam & meritũ, nem-
pè Christi, ꝙ Deus promisit misericordiã,
& nos certi sumus de salute & remissione.
Neq; hîc dubitare debemus de remissione
propter Christũ, quotiès rediêrimus: nam
qui dubitârit, ille grauissimè peccat, quo-
niam Deum arguit mendacij, 1. Iohan. 5. &
illud Eccl. 9. Nescit homo vtrũ amore an
odio dignus sit, &c. nõ ad hoc trahendum
est, vt dubitemus de articulo fidei, Credo
remissionẽ peccatorũ: sed hîc sapiẽs locu-
tus est, ꝙ naturali & humana ratiõe aut cõ-
iectura homo nesciat: sicut etiã nescit ho-
rã mortis suæ, sed fides ꝗ superat naturã,
inhæret & firmiter credit verbo Dei. Qua-
rè per verbũ Dei certificatur homo de re-
missione, & habet pignus ipsum Christũ.
Ephe. 1. qui est pignus hæreditatis nostræ
in redemptionẽ &c. Est igitur hæc doctri-
na vera & certa de recuperãda amissa gra-
tia: nam hoc regnum gratiæ & misericor-
diæ durabit vsq; ad diem nouissimũ. ideò
& Christus iussit septuagiès septiès remit-
ti fratri, Matt. 18. Pessimus ergò fuit error
Nouatianorũ, qui vnicã tantùm asserebãt
remissionẽ peccatorũ, eamq; in Baptismo,
ex authoritate sentẽtię Apostoli, sed malè
intellectę, Heb. 6. Impossibile est, eos qui
semel fuerint illũinati, gustauerintq; do-
nũ cæleste &c. si prolabũtur, denuò reno-
uari per pœnitẽtiã &c nã hoc de illis intel-
ligitur, qui ampliùs nõ auscultãt Euange-
lio, sed reijciunt illud & contẽnunt, & no-
lũt per pœnitentiã redire. Sic etiam illud
ad Heb. 10. intelligit̃ de volũtariè peccan-
tibꝰ post acceptã notitiam veritatis, nẽpè
postꝗ̃ beneficium Christi consecuti fueri-
mus, si id non retineamus, necessariò alte-
rũ accidet, scilicet vt pœnas demus in fu-
turo iudicio. Nemo tamẽ ex his Pauli lo-
cis conuincet, ꝙ lapsi nõ possunt redire ad
beneficiũ Christi. Solum ergò peccatũ in
spiritum sanctũ, quod est finalis impœni-
tentia ac desperatio, & persecutio Euãge-
lij, nõ est remissibile, eò quòd propriè pu-
gnant cũ Euangelio, secũdùm Augustinũ.
Sed alia peccata, cùm ad gratiam confuge-
rimus, remittũtur. Sic redijt filius prodi-
gus Luc. 15. sic Paulus, sic Petrus, Magda-
lena &c. Porrò regnũ Dei est aliud nihil,
nisi verbũ quod annũciat remissionẽ pec-
catorum, id est, sacrũ euangeliũ. quàm diù

ergò

ergò durat prædicatio Euangelij, tandiù stat regnum Dei:sicut Sol stabit in cęlo,& amittet lumen ante diem nouissimum,sic quoquè durabit regnum cælorum,id est, remissionis peccatorum vsque ad nouissimum diem. In hoc regno peccatum remittitur duobus modis.nam primò Deus remittit peccata gratis per fidem in Christũ pœnitenti,de quo dicitur Psal.32. Beatus vir cui nõ imputabit Dominus peccatum &c.Alio autem modo purgat & immundat peccata nostra per varias tribulatiões, passiones, infirmitates &c. 2.Corinth.4. quanto magìs homo internus corrumpitur,id est, auaritia, superbia, luxuria &c. tanto magìs internus de die in diem renouatur,id est,dilectio erga Deum & proximum,timor nei, castitas,pax &c.Sic Deus remittit priùs gratis peccata per fidem,nõ imputãdo:deindè donat spiritumsanctũ, qui purgat veterem hominẽ & renouat, vt retineat beneficium Christi. Durat ergò hoc regnum gratiæ, id est,remissionis peccatorum, vsque ad diem nouissimum, cò quòd misericordiæ Dei non est numerus,nec potest euacuari, quia perpetua & æterna est:ergò si quis amiserit iustificationem,non desperet,sed redeat ad regnũ gratiæ,pulset corde contrito, & aperietur illi,& remissionem accipiet. Ad hãc igitur pœnitentiam & recuperationem amissæ gratiæ opùs est spiritusancto, vt adiuuet nostram fragilitatem,Rom.8.

DE VIA ET MODO, QVO HOMO IVSTIFICATIONEM acquirat. Cap. 8.

Quanuìs Deus nõ iustificat hominem ex operib⁹ iustitiæ quę facit homo, Tit.3. sed secundùm suã misericordiã, & planè gratis sinè omi merito hominis, vt qui gloriari vult,in Domino glorietur, cuius solius merito à peccatis est redemptus:tamen misericors Deus non agit cum homine tãquàm cum trunco,sed ipsum suaipsius voluntate trahit,cùm iam ad ætatẽ peruenerit: neminem autem cogit, sed facit illi ex gratia annunciari ex Euangelium, quæ est gratia Dei præueniens, per quem cor & animus ipsius commouetur,vt incipiãt ei displicere peccata,& odio erga ea afficiatur:nam sinè huiusmodi displicentia & odio erga peccatum, nemo appræhendit beneficium Christi. Quia peccatũ nos separat à Deo,vt Iacobus ait cap.4.amicitia huius mundi,id est,concupiscentiæ carnis & oculorum,inimicitia est apud Deum.& nemo potest ad thronum gratiæ & misericordiæ venire,nisi priùs per odium & displicentiam peccati,ac deindè per pœnitẽtiam & contritionem auersus fuerit à peccatis: ideò Iohannes quandò præparauit viam nomino, inquit:Pœnitentiam agite, quoniam appropinquat regnum cælorũ, Mat.3. id est,remissio peccatorum,& salus propè adest. Deindè quamprimùm ergò vero corde quis appræhenderit per auditũ verbum Dei,& ex eo fidem in Christũ & eius promissiones (fides enim ex auditu est, Rom.10.)ceperit,tum cor & animus ipsius afficitur erga Deum,& incipit confidere promissiõibus Dei,quæ factę sunt propter effusum sanguinem Christi: & sic certam fiduciã & spem capit in misericordia Dei,& sic credit in spe contra spem,id est, contra spem sui proprij meriti in spe promissæ & annunciatæ misericordiæ Dei, Rom.4.& Deo dat gloriam,atq; sic iustificatur & imperrat remissionem peccatorum.Insupèr Euangelium & verbum nei, quod ità offert homini gratiam, exigit etiam pœnitentiam & odium erga peccata,ideò necesśe est,vt doctrina & prędicatio legis & doctrinæ præcedat,qua peccator terretur à vitijs, vt sic ad gratiã Christi cõfugiat:ideò semper præponitur pœnitentia fidei, quæ appræhendit gratiam. Marc.1.Pœnitemini,& credite Euãgelio, & sic propinquum erit vobis regnum cælorum,id est,remissio peccatorum.Sic Iohannes prædicat & præcurrit Christum. Matth.3.securis ad arborem posita est.ità quoquè lex præcurrit ante gratiam,& minatur transgressoribus pœnam in tertiam & quartam generatiõem,Exod.20.& spiritussanctus arguit mundum de peccato: Iohã.16. & sic dicit Augustinus:lex datur,vt gratia Christi quæratur:gratia Christi datur, vt lex impleatur,quia fides nõ destruit legẽ: sic fit quòd lex nos ad Christum adducit, id est,ad fidẽ,& Christus ducit nos ad Patrem,sicut dicitur Iohan.14. Nemo venit Iohã.14. ad patrem nisi per me.Hunc modũ acquirendę Iustificationis docet apertè scriptura de adultis.Si verò quis alius modus in literis sacris nõ expressus,sed occultus est, qua via paruuli sinè intelligentia appræhendunt iustificatiõem,& quomodò eos Deus iustificat ante annos discretionis, ipsius iudicio committendũ est. nam Deus non alligauit potẽtiam suam quasi vnico modo iustificandi & saluãdi:ideò sicut

ſanctificat quoſdam in viro antequàm nati eſſent, vt Luc.1. Hiere.1. Ille autem modus ſanctificationis & iuſtificationis Deo eſt relinquendus: de paruulis tamen hoc certò credimus, quòd iuſtificantur & ſaluantur in Baptiſmo, etſi non actuali fide, attamen infuſa &c. De adultis autem qui ſe in tali fide, de qua modò diximus, & cõtra ſpem propriorum meritorum in ſpe remiſſionis promiſſæ diuinitùs erigunt, & ſe totos tradunt & committunt merito Chriſti, dicimus, quòd iuſtificationem accipiant per hanc fidem, ſicut Abraham accepit, Rom.4. Galat.3. & impetrant remiſſionem omnium ſuorum peccatorum primò, deindè etiam impetrãt, & donatur illis ſupra illam remiſſiõem etiã ſpirituſſanctus per fidem, Rom.5. qui diffundit charitatem in cordibus noſtris, qui datus eſt nobis &c. ac cæteros ſuos fructus operatur Galat.5. id eſt, timorem Dei, caſtitatẽ, patientiam, pacem, &c. cum his enim fructibus ſuis renouat & ſanctificat naturam noſtram, creat & operatur nouos motus & fructus ſecundùm ſpiritum, quibus retinetur & cuſtoditur donata gratia & ꝓmerita ſalus per Chriſtum. Cùm ergò ſic ad fidem accedunt dilectio, ſpes, timor, pax, gaudium conſcientiæ, caſtitas, obedientia legis &c. quas virtutes operatur in iuſtificatis ipſe ſpirituſſanctus, & dicitur infuſa iuſtitia, quam Deus donat iam iuſtificatis, tunc dicitur conſummata & plena eſſe iuſtificatio: nam ſi iuſtificatus eſſem per fidem in meritum ſanguinis Chriſti, attamen peccarem & negligerem illam infuſam à Deo iuſtitiam, hoc eſt, non obedirem ſpiritui ſancto, nec eius motibus parẽrem, tũc iterùm amitterem iuſtificationẽ. Rom.8. Si ſecundùm carnem vixeritis, &c. è diuerſo, ſi forìs ſimularem probitatem, dilectionem, pacem, obediẽtiam legis &c. & in his ponerẽ fiduciam ſinè fide in Chriſtum, iterùm eſſet falſa & imperfecta iuſtificatio. Vt ergò ſit plena & tota iuſtificatio intùs & forìs, neceſſariò exigitur, vt vtraq; iuſtificatio ſimul cõueniant, & neutra ab altera ſeparetur: ſi enim ſeparentur, tunc iuſtificatio fit manca & defectuoſa. Sed in eum finẽ ſimul neceſſariȩ ſunt Chriſti iuſtitia, & ea quę nobis infuſa eſt, vt vna tollat peccata, & perſonam acceptam reddat Deo: & hoc facit Chriſti iuſtitia, meritum effuſi ſanguinis ſui. Ioann.1. Eccè agnus Dei qui tollit peccata mundi. & 1. Ioã.2. Ipſe eſt ꝓpitiatio ꝓ peccatis noſtris &c. altera verò, vt retineat & cuſtodiat appræhenſum Chriſti beneficium, nè iterùm amittatur: nam qui peccat, ex diabolo eſt, id eſt, fit iterùm mancipium Sathanæ, & à Chriſto deficit. ob id qui peccat criminaliter, hic perdit gratiam, fidẽ, ſpiritumſanctũ, & priuat ſeipſum regno Dei, 1. Corint.6. Epheſ.5. Galat.5. Rom.8. Non autem in eum finẽ ſimul conuenire oportet has iuſtitias, vt quaſi vnam integrent, quæ ſit cauſa efficiens iuſtificationis, quaſi Chriſti meritum & victima crucis eſſet imperfecta, & non ſufficiens, & indigeret noſtro adiutorio iuſtitiæ nobis infuſæ in actu iuſtificationis, aut quaſi eſſent æqualis efficaciæ, aut quaſi oporteret nos habere duo fundamenta, duas iuſtitias pro noſtra iuſtificatione & ſalute &c. Sed vt dictũ eſt, Chriſti meritum ſolum & per ſe ſufficit, & eſt perfecta cauſa iuſtificationis ac ſaluatiõis noſtræ, ſicut ipſe ſolus mortuus eſt pro peccatis noſtris, Rom.4. attamen noſtra quoquè iuſtitia eſt neceſſaria, quia ſeruit ad retinẽdam iuſtitiã Chriſti, quam ſequitur certò ſalus.

QVID DE OPERVM HOMINIS ET DILECTIONIS MERITO ſentiendum Cap. 9.

CVm dilectio, quȩ naſcitur ex beneficio Chriſti, multiplices efficiat fructus: nam & dilectio poteſt dici fructus iuſtificationis cum ſuis operibus, quæ dilectio rectè cõparatur fonti, cùm ex ea omĩa cætera bona fluunt, non verò abſq; fide: nam ipſa fides potiùs caput eſt: attamen vbì non eſt dilectio, ibì fides frigida eſt. ob quod etiã dixit Chriſtus Ioã.14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: Si autem nõ diligit, etiãſi credit, non tamen ſeruat ſermones meos &c. hæc, inquã, opera dilectiõis, quæ fides per ipſam dilectionẽ operatur, licèt pertineãt ad noſtrã infuſam iuſtitiã, & ſint imperfecta, nec eſſe poterunt cauſa efficiẽs iuſtificationis, attamen habẽt promiſſionem diuinam recompenſationis, quod DEVS illa vult recompenſare temporaliter, ſicut ſonant promiſſiões legis Exo.20. Leui.26. Deu.28. & in futuro varijs pmijs iuxta gradus laborũ. 1. Cor.3. Vnuſquiſq; mercedẽ accipiet ſecundùm ſuum laborẽ. & iterùm 1. Corin.15. de differẽtia magnitudinũ ſtellarũ, & Ioan.14. de multis manſionibus in domo patris &c. Vult quoquè illa recõpẽſare vita ȩterna, ſicut dicit Mat. 19. Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis

 me,

me,centuplum accipietis,etiã in hac vita,&
Mat.19. in futuro vitam æternam. &, Si vis ad vi-
tam ingredi, ſerua mandata, &c. & Paulus
1.Tim.4 ad Timoth.Pietas ad omnia vtilis eſt,pro-
miſſionem habens vitę quę nunc eſt,& fu-
turæ. At dices: Quomodò hæc duo in-
ter ſe poterunt ſimul ſtare,nos vitã æter-
nam gratìs accipere ſinè merito propter
victimam Chriſti, & vitam æternam acci-
Mat.19. pere propter noſtra opera, ſicut Chriſtus
dicit quòd apoſtoli qui reliquerant om̃ia,
& ipſum ſecuti erant, accepturi eſſent vi-
tam ęternam:& iterùm,Si vis ad vitam in-
gredi,ſerua mandata. & Galat.6. Qui ſe-
minat in ſpiritu,de ſpiritu metet vitã ęter-
nam. Reſpon. Primò attendere oportet
ad particulam hanc, recompenſare, (vers
gelten)nempè quòd Deus vult recompẽ-
ſare noſtram obedientiam legis & euan-
gelicam pietatẽ.ſed quibus rebus vult re-
compenſare? Reſpon. Merito alieno,id
eſt,Chriſti.ità licèt tu facias opus bonum,
attamen Deus non vult meritum aut di-
gnitatem operis tui. ſed alieno merito (id
eſt,Chriſti)tua opera recompẽſare,& vult
vt opera tua tibi proſint & ſeruiant ad im-
petrandam ſalutem ex merito Chriſti, &
non proprio merito,id eſt, Deus vult re-
compenſare pia opera vita æterna, quan-
uìs vita æterna ob aliam cauſam,(id eſt,fi-
dem in Chriſtum & eius meritum) done-
tur:recompenſatio excedit & longè abun-
dantior eſt om̃i merito operum, ſicut hæ-
reditas dicitur recompẽſatio filij propter
obedientiam & timorem filij, quæ ipſi ta-
men aliâs debebatur iure hæreditatis, id
Ioh.3. eſt,ex promiſſione DEI facta nobis, vt
om̃is qui credit in nomine eius,habeat vi-
tam æternam &c. Nunquàm enim pote-
rit eſſe tanta efficacia operum noſtrorum,
vt ex propria virtute queant mereri vitam
æternam: ideò opera noſtra alieno meri-
to,id eſt, Chriſti ſunt accepta, perindè àc
ſi Chriſtus ipſe feciſſet tua opera,& ſic ex
virtute meriti CHRISTI, quod no-
ſtris accedit operibus,ſunt ex gratia meri-
toria vitæ æternę,quia Chriſtus meruit vi-
tam æternam,& cum hac recompenſantur
& coronantur opera noſtra.In eum finem
dicit Chriſtus Ioann.15. Sicut palmes non
niſi ex vite fructificat, ſic ſinè me nil po-
teſtis facere.& igitur ecclesia cùm orat per
merita & ſuffragia ſanctorum, ſemper cõ-
cludit orationes per Dominum noſtrum
Ieſum Chriſtum, id eſt, vt merito Chriſti
ſint efficacia,ſicut moneta figura regis vel
principis inſcriptione valet,etſi per ſe eſſet
inualida,ità opera noſtra ſanguine & me-
rito Chriſti ſunt valentia & meritoria ad
præmia vitæ æternæ.Matth.5. Niſi iuſtitia
veſtra abundauerit, id eſt, virtute paſſiõis
meæ & exornata fide in me,quam non ha-
bent ſcribæ & Phariſæi, non intrabitis in
regnum cælorum. Non igitur certandum
eſt de proprio merito & illius efficacia &
dignitate,cùm non ſimus ex nobis ſuffici-
entes aliquid cogitare,2.Corin.3.Satìs eſt
vt ſimpliciter credamus, quòd opera no-
ſtra ſunt grata & accepta Deo, & merito-
ria vitæ æternæ ſeu regni cælorum, ſed
alieno merito,nempè Chriſti,propter quẽ
omnia patri placent,quia in ipſo ſibi com-
placuit reconciliari omnia,Coloſſ.1. & ſic
ſenſerunt patres, quandò dixerunt opera
noſtra ex gratia eſſe meritoria,id eſt, ex ali
eno merito Chriſti vitę æternæ, aut ex ꝓ-
miſſiõe,id eſt,eò quòd promiſſio eſt cau-
ſa meriti & ſalutis,nõ ipſum meritum no-
ſtrorum operum. Notandum eſt igitur,
quòd Deus coronat dona ſua 2.Timot.4.
quandò reddit pro illis præmia & vitam
æternam : cauſa autem efficiens huius ap-
pręmiationis eſt Chriſtus,nõ virtus & di-
gnitas operum noſtrorum. Rom.6.Donũ
Dei vita æterna in Chriſto. Om̃ia ergò bo-
na opera ſunt dona Dei,Eſa.26.Deus pro-
mittit mercedem propter Chriſtũ ex gra-
tia,ſed nos non meremur effectiuè. Nam
promiſſum meritum ex gratia, & actuale
meritum,effectiuè differunt.

DE EFFICIENTI CAVSA IVSTIFICATIONIS.
Cap. 10.

SEctarij obijciunt, quòd dicamus
gratia Dei nos iuſtificari, & quòd
per gratiam intelligamus dona &
operationem ſpirituſſancti, id eſt,
charitatem,caſtitatem,pacem,timorẽ,&c.
& alios fructꝰ ſpirituſſancti, & quòd dica-
mus illam renouationẽ naturę noſtrę cor-
ruptę & nouam qualitatem, quam efficit
ſpirituſſanctus, eſſe cauſam efficientem &
originem noſtræ Iuſtificatiõis & vitę ęter-
næ:illa autem opinio,inquiunt,tollit pro-
miſſionem remiſſionis peccatorũ propter
Chriſtum,nempè redemptionem & ſatiſ-
factionem Chriſti, & fidem euacuat. nam
ſi noſtra dilectio, timor, caſtitas, & alia
opera ſpiritualia ſunt cauſa efficiẽs & fons
noſtræ iuſtificationis coram Deo, tũc per-
ſona Chriſti & eius meritum nihil eſt,Ga-
lat.2. Si ex lege iuſtitia, Chriſtus fruſtrà
mortuus

mortuus est &c. Sed hęc doctrina falsa est, & propterea liber ille, INTERIM, non est recipiendus. Respond. Mendacium est. nam nos aliter docemus, nempè sic, quòd gratia est immerita misericordia, per quã Deus primò nos acceptat, donat & prnmit tit gratis remissioné peccatorum propter solum Christum, si in illum crediderimus. Sic enim docet Apostolus Ephe.2. Gratis saluati estis per fidé, & nó ex operibus, nè quis glorietur &c. & hoc non ex vobis, id est, ex vestra dilectióe, castitate, timore, patientia, &c. quia nihil horum est causa efficiens, sed sola mors Christi. Hęc immerita misericordia, quæ nos acceptat gratis propter Christum, præcedit donum Spiritussancti cum suis fructibus & operibus: nam quos sic acceptauit Deus ex gratia, id est, gratis, iam secundo loco dat spiritumsanctum, qui est donum gratię, id est, quod ex gratia Dei donatur. Rom.5. Multo magis donum in gratia. hic vocat Apostolus Spiritumsanctum donũ in gratia. Duo igitur gratia in se compræhendit, nempè immeritam misericordiam, & donũ gratiæ, id est, Spiritussancti fructus, nempè dilectióem, castitatem, timorem, patiétiam &c. & alias virtutes & pietatis exercitia, quæ non sunt ipsa Dei misericordia & gratia, sed fructus & dona, quæ ex gratia propter Christum donantur fidelibus. Datur igitur Spiritussanctus post acceptationem & remissióem peccatorum, licèt omnia eodem mométo in actu iustificationis contingant: igitur postquàm iustificatus sic fuerit donatus spiritusancto, tunc ille suos efficit fructus, renouat naturam, dat nouos motus, id est, dilectionem, castitatem, patientiam, gaudium, pacem &c. quæ aliàs corrupta natura non habet. non datur ob id spiritussanctus iustificato, vt homo per illas suas virtutes & fructus quos operatur, mereatur iustificatióem, aut vt hæc sint causa & origo iustificationis, vt nos grauant mendacio sectarij: Sed ideò datur, quatenùs retineamus oblatã gratiam, nè iterùm per peccata amittatur. Rom.8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Cùm igitur iam appræhensa gratia est immerita propter Christum, tum datur Spiritussanctus, quatenùs illam retineat per obedientiam legis & opera dilectionis: est igitur sola Christi mors & victima crucis sola causa efficiens, fons, & origo, quòd acceptamur ex gratia, iustificamur & saluamur, & non nostra dilectio, castitas, opera &c. hæc enim sunt fructus iustificationis. sic docet scriptura Apost.2.Corin.3. Non sumus sufficientes ex nobis aliquid cogitare tãquàm ex nobis &c. Ephes.1. Elegit nos in Christo ante constitutionem mundi. & 1.Ioan. 4. Ipse prior dilexit nos. & Psal.58. Misericordia eius præueniet me. & iterùm, Misericordia eius subsequetur me, Psalm.22. hoc est, Misericordia immerita præuenit, & misericordia (id est, donum spiritussancti) sequitur in homine: & dicitur illa gratia, præueniens: hæc verò, subsequens: illa operans, hæc cooperans: prima tollit peccatum & iustificat, altera retinet per fructus Spiritussancti & obedientiam legis. Quicquid autem boni naturæ vel gratiæ vel gloriæ esse potest, totum est à DEO agente voluntariè, id est, gratuitè, non ex debito operum nostrorum, vt ait Lyra 1. Ioã.4. quoniam ipse prior dilexit nos &c. & Augustinus lib.2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap.10. Sicut nemo potest bonum aliquid inchoare sinè Deo, ità & nemo perficere sinè Deo. Indè est quod dicit Apostolus ad Philipp.1. Confidimus in Domino, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet: Et idem libr. de prædestinatione & gratia cap.7. Non ex operibus, sed ex vocante Deo dictum est: Iacob dilexi, Esau odio habui, Malach.1. Rom.9. cùm tamen nondùm nati fuissent, nec aliquid boni nec mali egissent, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocãte dictum est Rebeccæ, Maior seruiet minori &c. Non est igitur causa efficiens remissionis peccatorum in nobis aut à nobis. Porrò notandũ quòd fructus & pia dilectionis opera, quę Spiritussanctus in iustificatis operatur, nõ sunt causa efficiens remissionis & salutis: nam hoc oportet semper saluum manere, quòd solus CHRISTVS promeruit omnibus hominibus salutem, & quòd nullum opus hominis hoc mereri potest pręter hoc vnicum propitiatorium: habent tamen alia ingentia præmia in hac & post hanc vitam spiritualia & corporalia: sunt enim promissiones aliæ Euangelij, aliæ legis. Euangelij promissio dicitur, quã Euangelium gratis promittit credenti propter personam Christi, nempè remissionem peccatorum. Actor.10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent &c. deindè promittit spiritumsanctum, Ioã.14. quem mittet pater in nomine meo: tertiò, salutem & vitam æternam, vt omnis qui credit in eũ, non pereat, &c. Iohan.3. Horũ nullum cadit sub merito humano, sed omnia gratis

contingunt propter Christi victimā: alioquì gratia non esset gratia, id est, misericordia non esset misericordia, sed iustitiæ retributio. Rom.11. Alia est promissio legis, hoc est, quæ lex promittit suis obseruatoribus. Exo.20. Leui.26. Deuter.28. nempè corporalia & spiritualia præmia, de quibus aliàs satis dictum est, quòd obseruantes Deus velit apprēmiare in mille, transgressores autem in tertiam & quartam generationem punire. Atque sic sacræ literæ habent promissiones varias, quibus Deus bona opera & obedientiam legis recompensat. Matt.16. Vnusquisque mercedem accipiet. & Matth.5. Merces vestra copiosa erit in cælo &c. Breuiter, omnia opera quę nobis præcipiuntur tam in lege quàm in Euangelio, id est, quæ nos facere tenemur & possumus, ad legem pertinēt. lex autem habet promissiones prēmiorum. bona igitur opera habent sua promissa præmia in hac & post hâc vitam. Sed aliud est de promissione Euangelica. Euangelium solum iubet nos credere, & appræhendere, & vt sinamus nobis dari gratis, id est, propter solam personam CHRISTI, & non nostra opera: quod fit, cùm Deus tibi dicit: Hoc donum tibi do, id est, remissionem peccatorum, salutem, & spiritumsanctum propter filium meum: crede hoc, & accipe tanquàm donum gratuitum: sic fit in Baptismo, absolutione, Eucharistia & alijs sacramentis, nempè solùm ibi recipimus gratis propter victimam Christi, & non propter nostra opera: ibi nos nihil facimus, & euangelium solam fidem exigit.

Sed in lege & operibus nos aliquid facere oportet: non enim tantùm auditores, sed factores legis esse oportet, in laudem & gratiarum actionem acceptæ iustificationis: & hæc nostra opera, quæ ad legem perinent, habent sua promissa præmia, vt diximus. Verba autem libri, INTERIM, capitulo de homine post casum, sic habent: Quoniam ex vitio originis adeò natura nostra corrupta est, vt animalis homo seu naturalis non queat percipere ea quæ sunt spiritûs, nec ea cupit vel eligit ante gratiam, eò quòd concupiscentia carnis, quæ in eo regnat, est inimicitia apud DEVM, & abhorret homo à lege DEI, & non minùs à bono retardatur, quàm ad malum incitatur &c. non igitur in nobis est causa efficiens iustificationis, nec à nobis, sed solùm venit ex immerita gratia à DEO propter Christum. Pudeat ergò Sectarios sui mēdacij, quod contra librum illum sparserunt, quasi in eo doceatur, quòd fructus Spiritussancti dicantur & intelligantur pro ipsa gratia, cùm tamen doceamus illos esse potius dona gratiæ, & quasi opera nostra mereantur salutem & remissionem &c.

DE LIBERTATE HVMANI ARBITRII. Cap. 11.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Pontificij licèt fateātur naturam hominis ex pecato originali vulneratam & corruptam, attamen asserunt remansisse aliquid in libero arbitrio, per quod homo sibi possit gratiam DEI applicare, & appręhendere ex propria virtute: Deindè, quandò iam homo sic gratiam DEI sibi applicauerit, quòd ea gratia illum hominem renouet, & operetur in eo bonos fructus & opera, quæ ipsum coram Deo iustificent & saluent: tertiò, quòd homo ille ex viribus istis residuis in natura vulnerata ex libero arbitrio seipsum possit præparare, & de congruo mereri, vt à DEO acceptetur persona grata, & postea opera de condigno mereantur iustificationem, & quòd sic præparatio ad susceptionem gratiæ, & meritum salutis, planè consistant in libero arbitrio. RESPONS. Primò hoc docent Catholici, quòd homo in corruptione & vulneratione naturæ per peccatum originis retinuit duplicem vim in suo libero arbitrio: primò naturalem, & quæ illi est concreata, id est, libera potestas & electio huc vel illuc eundi, standi vel currendi, dormiendi vel vigilandi, immò vis carnalis, & facultas faciendi externam iustitiam, seruandi leges imperiales, continendi se ab homicidio, à furto, adulterio, periurio, &c. hæc omnia cadunt sub libertatem voluntatis naturalis, quibus non priuatur voluntas, quantumcunquè etiam peccato obnoxia, manet hæc vis & libertas voluntatis in his inferioribus & corporeis: & hæc est libertas, quam etiam philosophi tribuunt homini, estque externa quædam iustitia legis in nondùm renatis, Rom.2. Cùm gentes legem non haberent &c. hanc disciplinam exigit Deus, & remunerat, si seruetur, & punit in transgressoribus. Secunda vis, quam hominis arbitrium retinuit in illa vulneratione originalis peccati, est posse accepta-

re &

re & appræhendere oblatam gratiam, id est, quandò ei per Euangelium & ministerium verbi offertur beneficium Christi:alioquì frustrà & in irritum fieret ministerium verbi, cùm fides sit ex auditu, Rom.10. & dicitur Iohann.1. Dedit eis potestatem quasi liberam electionem filios Dei fieri &c.Nemo enim ex necessitate cogitur gratiam DEI recipere, sed liberè oblatam ex Dei misericordia, vel acceptare vel non acceptare:hęc est:vis relicta nostro arbitrio,nempè acceptandi oblatam nobis gratiam, non autem efficiendi vel merendi nostris viribus salutem & gratiam. Liberum ergò arbitrium sua naturali vi sinè gratia non potest impetrare vel sibi applicare gratiam Dei aut mereri, sed potiùs in libertate arbitrij consistit, gratiam propter Christum oblatam vel suscipere, vel non suscipere: & de hac vi, scilicet appræhensionis vel repudiationis gratiæ, loquuntur Theologi, non de vi impetrandi initialiter aut operandi, aut merendi gratiam DEI, tametsi etiam acceptatio oblatæ gratiæ fieri non potest vi liberi arbitrij sinè adiutorio diuinæ gratiæ: quod enim offertur, quod acceptatur, quod retinetur, totum gratia est initialiter, secundariò tamen etiam ex vi & libertate voluntatis. Iohan.15. Sinè me nihil potestis facere &c. Secundò, dicunt catholici, quia immerita gratia propter Christum & illius mortem & victimam ac personam iustificat credentem initialiter, deindè per spiritumsanctum renouat naturam & operatur fructus: ideò non tollitur effectus iustificationis à gratia, & transfertur in fructus & dona Spiritussancti: ergò mendacium est Sectariorum, quòd dicunt nos docere, hos fructus gratiæ & spiritussancti esse causam efficientem iustificationis, & esse nostram iustitiam coram Deo, & non CHRISTI mortem & victimam, cùm Ioannes nos doceat 1.Iohan.2. Ipse est propitiatio pro peccatis totius mũdi. ipse, ait, non nostræ virtutes. Quoniam ergò lex est pædagogus noster vsque ad Christum, vt fide iustificemur, Galat.3. illa externa legis obseruantia est quædam dispositio ad grariam iustificationis per fidem in Christum ad appræhendendum: non autem meretur hæc disciplina aut dispositio gratiam iustificarionis, nec causa est efficiens vel origo, sed solùm magìs habilitatur & præparatur ad illam apprehendendam. Ideò doctores de congrua dispositione ad appræhendendam gratiam loquuntur: & cùm dicunt de condigno præmio pro operibus iustificatorum, potiùs ad promissionem respiciunt, quàm ad operum dignitatem: Promittit enim lex (vt audiuimus pauloantè) præmia pro operibus, & minatur pœnam transgressoribus: illa autẽ promissio gratuita est, sicut etiam exhibitio. Offertur igitur Gratia Dei oĩbus hominibus, iuxta illud Matt. 11. Venite ad me oẽs, &c. & ego reficiã vos. 1.Timoth.2. Deus vult omnes homines saluos fieri: Deindè hæc vis remansit in libero arbitrio, quòd potest homo acceptare vel repudiare gratiam oblatam: si acceptat, tunc gratis acceptauit, non meruit: nam acceptare, & mereri gratiam, differunt. Nemo igitur meretur, vt acceptetur in gratiam Dei: nec ipsa opera, postquàm iam acceptati sumus, merentur de condigno iustificationem & salutem. Ideò meritum salutis non consistit in libero nostro arbitrio, sed in gratuita & clementi oblatione gratiæ & electionis DEI propter Iesum Christum, sicuti legitur Rom. 9. de Isaac & Iacob, cùm nondùm nati fuissent &cæt. Tota igitur vis rei consistit inter mereri gratiam, & inter appræhendere gratiam: ad merendam illam nulla vis est in libero arbitrio, sed ad appræhendendam est quædam vis relicta. Falsè igitur à Sectarijs nobis imponitur, de vi relicta in nobis, qua possimus sinè gratia gratiam mereri, & deindè ità bonos fructus efficere, qui sint nostra iustificatio coram DEO, & quòd salus consistat in libero arbitrio. Iohann.6. Nemo venit ad patrem, nisi per me. quarè licèt natura nostra & ipsum arbitrium liberum sit corruptum ad efficiendum & promerendam salutem per nostras vires & opera, tamen sic non est penitùs corruptum ad appręhendendam seu acceptandam oblatam gratiam per CHRISTVM, vel ad eam repudiandam: & hanc vim in nobis relictam docent Patres: at hæc vis nihil derogat gratiæ CHRISTI, sola gratia habet omnem efficaciam & causam iustificationis, voluntas sola libertatem seu potestatem vel acceptandi vel reijciendi.

QVOMODO DOCEAMVS NOS PER MORTEM CHRIsti esse gratiæ restitutos. Cap. 12.

ARGVMEN. SECTARIORVM.

PONtificij quandò de redemptione per Christum facta loquũtur, scilicet quòd nos redemit & pro nobis factus est victima in cruce, Esa.53. quòd pro nostris peccatis satisfecit, vbiquè tacent subdolè de fide in ipsum Christum, quæ tamen fides est vnicum medium, per quod homo in peccatis corruptus, Dei misericordiam & satisfactionem Christi sibi applicat. RESPON. A primis fidei nostræ Christianæ elementis edocemur de saluifica fide in Christum Iesum. Sic enim à parentibus instructi cõfitemur, Credo in Iesum Christum dominum nostrum. Sed quid credis? quòd propter me sit homo factus, passus mortẽ crucis propter tollenda peccata mundi, quia hoc hominibus erat impossibile, vt seipsos redimerent, & tollerent peccata. Ideò pater dedit nobis filium suum, qui propter nos & nostram salutem crucifixus est, nẽpè vt nos haberemus redemptionem in sanguine eius. Roma.3. Posuit pater super ipsum solum peccata nostra: solum, quia nullum est aliud opus propitiatoriũ, quod nos reconciliaret cum Deo, præter illam preciosissimam mortem Christi filij DEI. Per hoc opus Deus pater mundum reconciliauit sibi, 2.Corinth.5. Nec ei vult imputare peccata, & instaurauit inter nos verbum reconciliationis, id est, Euangelium de CHRISTO. Hoc ergò credimus & docemus, quòd Deus pater cælestis solùm propter nomen suum purè & simpliciter gratìs per suam misericordiam misit filium suum in hunc mundum, & eum victimam debiti fecit pro peccatis nostris, quodque propter ipsius satisfactiõem nobis nõ velit ampliùs imputare peccata, sed gratiosè remittere, qui in illum credunt. Deindè, quanuìs Deus gratìs nobis propter nomen suum solum, dedit filiũ, & hodiè propitius est propter mortem filij sui, & remittit peccata gratìs, id est, non propter nostram pœnitentiam & opera, sed propter solum Christum, attamen ad ostẽsionem iustitiæ suæ, vt Paulus ait Rom.3. qua ipse non remisisset peccata sinè solutione & satisfactione: ideò per inscrutabilem suam sapientiam miscuit iustitiam suam cum misericordia, & conclusit, quòd sanguis vnigeniti filij sui deberet esse solutio & satisfactio, ità quòd innocẽs agnus CHRISTI omnem pœnam, quam nos propter peccata merueramus, ipse in cruce lueret, vt sic nostra solutio & satisfactio pro peccatis nostris, ex vulneribus ipsius ad nos permanaret & acciperemus: ideò licèt hoc nobis gratìs contingat, & gratìs distribuatur per fidem, tamen permagni & percharè constitit Christo illa solutio. effudit enim innocentem sanguinem suum pro nobis, vt hoc nobis promereretur, atque ideò oportet & dignum est, vt nos ipsi soli gratiam DEI patris & promeritam salutem acceptam referamus, & qui gloriari vult, in hoc glorietur, 1.Corinth.1. Cùm ergò sic nos doceamus & loquamur de CHRISTO, quomodò possunt hæc dici sinè fide, quandò sola fides hæc verba dicit & confitetur? liquet igitur impurum mẽdacium Sectariorum, quòd doceamus redemptionem nostram per CHRISTVM exclusa fide, cùm hoc vel ipsi articuli Symboli nos expresè doceant. Manifestum autem est, ipsos potiùs Sectarios dolosè docere de redemptione per CHRISTVM: nam sciunt suauiter prædicare de sola fide, quòd illa per se omnia sufficienter apprehendat: sed interìm tacent alteram Euangelij partem, nempè dilectionem, vnitatem, pacem &c. cùm tamen vtrunque, tam fides, quàm dilectio & vnitas, sit à Deo præceptum. Expresè enim dicit Ioannes Apostolus: Qui non habet dilectionem, adhuc est in morte, id est, fides illius mortua & inanis est: nondùm tenet lucem & vitam iustificationis. nos scimus, inquit, quòd translati sumus de morte ad vitam, si dilectionem habuerimus. & 1.Corinth.13. & si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, &cæt. Non igitur est efficax fides de passione CHRISTI, vbì non sequitur dilectio. Sinè hac dilectione non retinetur efficacia meriti CHRISTI. Illi verò iactantes semper solam fidem, quid aliud faciunt, nisi quòd contemnunt mandatum CHRISTI, Hoc est mandatum meum, vt diligatis vos inuicèm? & Iohã. 13. & 15. excludunt spiritumsanctum cum fructibus & virtutibus suis, atque ità in carnali securitate fidei viuentes, & peccata vilipendentes, semetipsos de statu filiorum DEI deijciunt, iustificationem amittunt, & iudicium sibi accelerant? Fides enim quæ non habet sequentem dilectionem, & cæteras virtutes ac pia opera obedientiæ & vnitatis, per se sola non saluat adultos, nec retinet quod semèl gratìs appræhenderunt, id est, beneficium CHRISTI in Baptismo: fides autem illa, quæ dilectionis opera producit, & mandata DEI seruat, illa retinet iustificationem

seu

feu beneficium CHRISTI,& faluat hominem.

DIFFERENTIA DOCTRINAE CATHOLICORVM ET fectariorum de iuftificatione. Cap. 53.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

DOctrina Pontificiorum de iuftificatione, ex toto erronea eft & iniuriofa merito ac fanguini Chrifti: nam facit Chriftum vix dimidium faluatorem ac dimidium fatisfactorem pro peccatis noftris. Docent enim quòd fides in IESVM CHRISTVM, fit folùm initium iuftificationis,fed infufa iuftitia, id eft, noftra dilectio,virtutes & fructus Spiritusfancti fit perfecta iuftificatio, per quam coram DEO iuftificamur & confiftere poffumus:& quòd non fola iuftitia & meritum CHRISTI fit tota & perfecta iuftificatio,quę nos faluat,fed noftra opera,charitas, &c. item quòd meritū fanguinis Chrifti tantùm fubueniat & auxilietur noftræ iuftitiæ & operibus, quandoquidem noftra iuftitia infufficiens eft ad promerendam falutem, ità vt ex noftra & CHRISTI iuftitia & merito fiat vna tota & perfecta iuftitia, quæ impetrat remiffionem peccatorum & falutem: vndè neceffe fit, vt hæ iuftitiæ commifceantur, fi impetrare velimus falutem &cæt. At hæc doctrina eft contra CHRISTVM, fidem & fcripturam, eò quòd ex hac doceamur, quòd Chriftus folus fit preciū redemptionis & caufa efficiens,propter quam iuftificamur,& falutem impetramus,Galat.2.Si ex lege eft iuftitia, CHRISTVS fruftrà mortuus eft &cæt. ideò fola Chrifti iuftitia, quæ fola fide appræhenditur finè omni infufa iuftitia & probitate noftra, iuftificamur & faluamur, & confiftit in fola CHRISTI perfona, & in nullo homine vel angelo, &cæt. RESPONS. Liber ille Imperij clarè docet, quòd iam iuftificatis per meritum fanguinis CHRISTI Deus primùm infundit fpiritumfanctum cum fuis fructibus, Galat.5. qui eft donum quod in gratia datur, id eft, Spiritusfanctus non eft ipfa mifericordia immerita, ex qua DEVS primò iuftificat perfonam per fidem, fed eft donum gratiæ, id eft, quod poft gratiam aut in gratia hæc datur propter fidem in CHRISTVM. Appræhendit enim fides iuftificationem propter CHRISTVM, antequàm infunditur ei donata inftitia & Spiritusfanctus cum fuis fructibus, licèt omnia eodem momento contingant. Datur autem Spiritusfanctus, non vt fuis ipfe fructibus iuftificet hominem, qui iam gratis iuftificatus eft per fidem in CHRISTVM, idque Chrifti iuftitia, fed quatenùs retineatur illa appræhenfa per Chriftum iuftificatio: ideò datur homini in cuftodem iuftificationis, vt obedientiam legis operetur in iuftificato, & renouet naturam nouis motibus,id eft,dilectione, fpe,timore DEI, caftitate,pace, &cæt.quos motus natura oppreffa peccato non habebat. Nō igitur retinetur iuftificatio finè fructibus Spiritusfancti & operibus dilectionis. Rom.8. Si fecundùm carnem vixeritis, moriemini. Neceffaria eft itaque hæc infufa iuftitia, non vt fit caufa efficiens,aut precium redemptionis: nam hoc folum relinquitur perfonę Chrifti, fed quatenùs retineat acceptam promeritam per CHRISTVM falutem,& hominem fanctificet: Si enim iuftificatio gratuita non retinetur, quid prodeft eam accepiffe? Deindè hæc noftra infufa iuftitia, & Spiritusfanctus cum fuis fructibus, habet fua præmia magna in hac & poft hanc vitam fecundùm gradus laborum,1. Corinth.3. Sed non meretur, nec eft vel precium vel caufa efficiens falutis feu iuftificationis: tantùm fit & exigitur à nobis hæc iuftitia, & in eum finem à DEO nobis infunditur, quatenùs per illam retineatur CHRISTI appræhenfa iuftitia. Non eft iuftitia infufa noftra fides, vel remiffio aut falus noftra,fed alia res & donum DEI, quod etiam gratuitò donatur propter Chriftum, vt Chrifti inftitia & beneficium in nobis retineatur. Mendacium igitur eft,quòd noftram infufam iuftitiam fimul in actu iuftificationis tanquàm partem affuamus,quę vnà cum Chrifto totam & integram ac confummatam faciat iuftitiam, quæ coram Deo confiftat & faluet: Hoc enim folùm relinquimus Chrifto, qui fua iuftitia & merito fufficiens & folus caufa eft noftræ iuftificationis: attamen noftram docemus in alium finem, & ad aliud opus,quatenùs retineamus priorem, & tandèm fructus falutis adipifcamur: tunc enim confummata eft iuftificatio,quandò etiam in facto ap-

præhendimus salutem: hæc appræhensio est fructus, igitur si sola fide appræhendo, & non retineo per dilectionem, non est vera consummata iustificatio, sicut esse deberet: atqui fructus iustificationis non consequitur, quandò illa non custoditur ac retinetur: retinetur autem per dilectionem & infusam iustitiam, ideò est necessaria ad salutem alio modo, quàm quòd sit precium redemptionis &c. Simile autem quoddam dabimus: Deus primò dat homini vitam gratis, & quidem totam vitam, non partem: viuit ergò iam homo, dat insupèr vsum rerum mũdi, cibum, potum, vestitum, &cæt. Sed nunquid cibus, potus, & vsus rerum sunt causa efficiẽs aut meritoria vitæ quam accepisti? an in eum finem datur cibus & potus, vt faciat te viuere, vel vitam tibi donent? non puto: alium ergò finem habet cibus & vestitus ac vsus rerum, nempè ad sustentandam, conseruandam & retinendam vitam, quam tibi dedit Deus, non ad largiendam vitam, &cæt. Sic est immerita misericordia, quæ per fidem gratis iustificat propter personam Christi, deindè datur donum, id est, spiritussanctus ad retinendam iustificationem. Adam gratis primò in paradisum locatur, deindè ei præceptum datur, nõ vt obseruatiõe eius mereretur paradisum, quem iam possidebat ex gratia, sed vt eum retineret in possessiõe: deindè sic loquitur scriptura sacra in Paulo Tit.3. Saluos nos fecit secundùm misericordiam suam per lauacrũ regenerationis &c. & mox addit, & renouationis spiritussancti, quem effudit in nos abundè. Sic 1. Iohan.4. quoniam ipse prior dilexit nos, & dedit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris. Deindè addit, quoniam ergò Deus sic dilexit nos, debemus & nos alterutrùm diligere, id est, dilectio proximi sequi debet post appræhensionem iustificationis, non in finem merendi iustificationem: attamẽ si dilectio non sequatur, mentitur ille qui dicit, diligo Deum: si enim proximum suum quem videt, non diligit: quomodò Deum, quem non videt, diligere potest? Sic dicit propheta Psalm.58. Gratia eius præueniet me, id est immerita misericordia quæ primùm iustificat. & iterùm in Psalm.22. Misericordia eius subsequetur me, id est, gratia & donum spiritussancti. sic dicunt Doctores scholastici de duplici illa gratia præueniente & subsequente. Insupèr duo illa verba, iustificare & iustificatio, sic intelligũtur, quòd iustificare aliud nihil sit, quàm condonare & nõ imputare peccatum ex misericordia propter Christum: iustificatio autem est ipsa mors & victima Christi, quæ causa est quarè iustificamur: ergò nostra iustificatio coram Deo est Christi passio, ità quòd iustificatio nostra est mors Christi, & ipsa causa iustificationis res est extra nos. Non asserimus, vt mendaciter nos arguunt hæretici, quòd infusa iustitia, quæ res est in nobis, & à nobis fit adiutorio Spiritussancti, sit nostra iustificatio, & quòd hoc donare donum Spiritussancti, sit iustificare: primò enim remittitur gratis peccatum per Dei misericordiam, & hoc est iustificare, & passio CHRISTI, nostra est iustificatio & iustitia, 1.Cor.1. Aliud ergò est donum, scilicet spiritussancti, quod post iustificationem & acceptationem datur ad conseruationem Iustificationis. Repetemus autem nunc verba ex ipso libro Imperij cap.4. Iustificati homines primò gratis per fidem in sanguinem CHRISTI, mox donantur Spiritusancto, qui suos fructus in ipsis operetur Galat.5. & obedientiam legis, & hæc vocatur iustitia infusa. Deindè hæcà DEO donata iustitia, quàm diù homo viuit super terram, nunquàm potest perfectè & absolutè præstari: nam nemo ità vt deberet, diligit, timet, patiẽs est, continens, &c. aut legem DEI absolutè seruat: lex enim semper accusat conscientiam nostram, quia minùs facimus quàm debemus, Rom.4. lex iram operatur, accusat & perterrefacit, quia nemo eam ex integro implet: ideò nõ potest homo propter illam iustificari & mereri, & si non esset alia via impetrandæ salutis, quàm per plenam obseruantiam infusæ iustitiæ, nemo saluaretur. Sed hic nobis subuenit meritum preciosi sanguinis Christi, quod in se perfectum & absolutum est, vt per hoc homo impetret remissionem peccatorum, quam ipse ex imperfecta & infirma sua iustitia impetrare non potuit. Deindè quòd in iustificato conueniãt meritum Christi & infusa iustitia: meritũ Christi solũ tollit peccatũ, & causa est efficiens: at nostra iustitia, quæ stat in renouatione hominis per spiritumsanctũ, retinet appręhensam Christi iustitiam & meritũ, vt sic fidissimo robore simus muniti in merito passionis & sanguinis Christi, & non in nostra infusa iustitia, quæ in nobis non est perfecta: Hæc est doctrina Catholici illius libri imperialis: mendacium verò est, nos statuere duplex meritum, Christi, & nostrum, Christi iusti-

Iustificare.

Iustificatio.

sti iustitiam, & nostram insusam, quæ ex
æquo sint causa iustificationis,& quasi nō
solùm meritum Christi sufficiat, quandò
solum vnicum opus propitiatorium Chri-
sti confiteamur, quod est consummatum
& plenum ex omni parte, nō indigens no-
stro merito.Non ponimus nostram iusti-
tiam ad actum iustificatiōis, sed ad actum
retentionis appræhensę iustificatiōis:idcò
non dicimus Christum coadiutorem no-
strum,sed totum & solum saluatorem, re-
demptorem,satisfactorē, & solum & vni-
cum acquisitorem salutis humani generis.
Summa, si retineri debet iustificatio, hoc
fiat necessè est per dilectionem & opera
bona,obedientiam legis:qui ergò peccat,
illam amittit cum spiritusancto : fides em̄
nuda non retinet absque dilectione & pœ-
nitentia,id est,cessatione à vitijs:neque di-
uidi volunt fides, pœnitentia, & dilectio:
sed hæc omnia in finem retentionis : atta-
men aliud est iustificare,quod fit propter
solam Christi personam : aliud est salua-
tio,aliud sanctificatio : Christi opera sal-
uificāt,Spiritussancti fructus & opera san-
ctificant.Porrò potissima causa, quarè ne-
cessariò sequi debent bona opera & obe-
dientia legis,est non ipsum meritum ope-
rum,sed quatenùs distributa gratia & be-
Esa.14. neficium Christi retineatur.Lucifer in cę-
lo non retinuit gratiam quam accepit,sed
eam per peccatum iterùm amisit, & factus
est ex angelo Sathan.Sic & Adam paradi-
Gene. 3. sum amisit, sic Saul regnum,Iudas cælum
1.Re. 15. propter peccata amisit: Sequitur autem
Mat. 26. horribilis damnatio amissionem gratię,fi-
& 27. dei & Spiritussancti, quæ omnia expellit
peccatum: nam potestas Satbanæ redit in
duplo &c.Sed hác causam bonorum ope-
rum iam nemo ponderat, cùm sinè ijs iu-
stificationis gratia amittatur. Sed omnes
huius temporis hæretici clamant contra
opera. Sed clament illæ ranæ ægyptiacæ
& cyniphes, Deus ipsis reddet secundùm
opera sua.

QVI FRVCTVS ET VTILITATES SINT IVSTIFICAtionis. Cap. 14.

ARGVMENT. SECTARIORVM.

POntificij tribuunt insusæ iusti-
tiæ pacem conscientię & salutem
æternam,tanquàm fructus iusti-
ficationis, ità quòd à DEO da-
ta & insusa iustitia sit causa, fons & origo
iustificationis, non Christi mors & victi-
ma,& quòd pax illa conscientiæ ac spes sa-
lutis oriatur ex insusa iustitia nostra, & q̄
illa quietet conscientiam perturbatam : at
hæc iustitia quàm sit imperfecta & insuffi-
ciens,satìs liquet,& ideò tollit hęc doctri-
na Interimistarum omnem consolatiōem
perturbatæ conscientię:reijcit fidem, quæ
solùm consistit in redemptione & satisfa-
ctione Christi,& non super nostram dile-
ctionem & probitatē,quæ fides sola quie-
tat conscientiam,& certificat eam per hoc
quòd docet,quoniam propter Christi san
guinem iustificamur,qui per se sufficiens
causa est iustificationis, & ibì conscientia
certa est,Rom.4. RESPONS. Semper
nobis eandem cantilenam occinunt,& eo-
dem mendacio vrgent catholicos:non em̄
docemus, insusam à Deo nobis iustitiam
esse causam efficientē,è qua nobis pax cō-
scientiæ & salus certò constet, quoniam
liberè fatemur illam in nobis nō fieri per-
fectam, donec in hac vita fuerimus, sicut
clarè dicit liber ille cap.4.& si non est per-
fecta,quomodò illi tribuere possumus pa-
cem conscientiæ & spem salutis?Docemus
autem sic,quòd gratia est res extra nos, &
non in nobis,aut à nobis,sicut docet Apo-
stolus Ephe.2.Gratia(id est,immerita mi-
sericordia)estis saluati per fidē,& hoc non
ex vobis. ergò gratia res est extra nos, id
est,in Deo,& non in nobis:illa autem no-
bis gratìs per fidem exhibetur propter
sanguinem Iesu Christi effusum. illa præ-
cedit,& anteit iustitiam insusam, sicut ar-
boris flores præcedunt fructū arboris.Est
igitur gratia immerita,quæ exhibetur pro
pter solam personam & victimā Christi,&
illa complectitur remissionem peccatorū,
Spiritumsanctum & vitam ęternam,id est,
illa dona propter solam personam Christi
exhibentur per fidem in Christum. Dein-
dè insusa iustitia est res in nobis, & adiu-
torio spiritussancti operatur nobiscum &
in nobis,& hæc dicitur donum in gratia,
Rom.5.fructus prioris gratię immeritę:&
illa est Spiritussanctus cum omnibus suis
fructibus & virtutibus & donis. Galat 5.
Fructus spiritûs sunt,charitas,castitas,&c.
illa iustitia insusa diffunditur in nos post
acceptationem & remissionem peccatorū
& promissionem vitæ æternæ, sicut pater-
na hæreditas datur filio postquàm natus
est hæres : at non datur insusa iustitia, vt
aut iustificet, aut mereatur iustificatio-
nem:illam iam appræhendit fides propter
CHRISTVM,sed quatenùs retineatur
prima

prima illa iustificans gratia: nam fides sola sinè dilectione & timore ac infusa iustitia non retinet illam, statìm enim per mala opera amittitur: igitur necessaria est illa infusa & à Deo donata gratia seu iustitia ad salutem, non vt sit causa efficiens & origo iustificationis, sed quatenùs appręhensam iustitiam CHRISTI retineat. multa enim sunt necessaria, quæ tamen non iustificant, vt cibus, potus, vestitus, &c. Ex quo igitur infusam iustitiam non habemus pro fundamento & pro causa efficiente iustificationis, sed hoc solùm trãsferimus in iustitiam & gratiam CHRISTI, ideò non quærimus pacem conscientiæ turbatæ à nostra infusa iustitia, neque salutem, sed per fidem quæ respicit ad redemptionem & satisfactionem CHRISTI tantùm. Sic primò dicit Dauid: Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, id est, propter Christum filium tuum, qui est magna tua misericordia, quam gratìs nobis exhibes propter CHRISTVM per fidem: Deindè addit, & spiritu principali confirma me, id est, Spiritusancto cum suis fructibus effice in me, vt misericordiam tuam appræhensam retineam &cæt. De hac prima gratia iustificante nos per fidem, loquitur Iohann. Gerson in sermone de verbis Domini Matth.11. Venite ad me omnes &c. Mira DEI misericordia. nos eum rogare deberemus, vt veniat ad nos, & recipiat nos ad se, sed ipse nos inuitat, vt ad eũ venire velimus: Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos &c. qua in re quid aliud, quàm illa prima gratia, quam nullus hominum promereri potest, commendatur: illa prima gratia est gratuitum beneficium Dei, profluens ex illa ineffabili benignitate & passione Domini nostri IESV CHRISTI: ipsam nulla voluntas, nullum meritum, deuotio nulla præcedit. Ipsa nos pręuenit, vt bonum accipiamus, id est, vt credamus in Christum: ipsa subsequitur dando Spiritumsanctum, per quem bonum facimus, id est, obediendo legi Dei, retinendo exhibitam gratiam, hæc est de qua Iohann. dicit 1. Iohann.4. Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos: etiã cùm inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filij eius, Rom.5. Deindè de altera gratia dicit: si nos ità dilexit DEVS, ergò & nos alterutrùm diligere debemus: & in eum finem secunda illa gratia, id est, spiritussanctus infunditur cordibus nostris, Rom.5. Est enim illa iustificans & cælestis gratia distincta ab altera, sicut pluuia & terra sicca: terra pluuiam non gignit, sed tantùm cælesti dono desupèr accipit sinè cultu & labore: deindè post acceptam pluuiam terra labore & cultura agricolæ habilitatur ad fructum ferendum: ità absque nostro merito & labore, dilectione, operibus, cælestis illa gratia per gratuitam imputationem propter CHRISTVM nos primò iustificat, acceptat personam, & reconciliat, deindè datur Spiritussanctus, qui suos fructus in nobis operatur, non ad merendam pluuiam ad gratiam desupèr & gratìs nobis datam, sed ad ferendos fructus bonorum operum & obedientiæ legis, quibus retinetur iustificatio. Porrò Paulus non dicit, quòd fides nos iustificat, sed quòd DEVS per fidem iustificat Iudæos & gentes gratìs propter CHRISTVM, Roma.3. ideò quos DEVS iustificauit per fidem, illi pacem habent conscientiæ. Misericordia igitur & gratia DEI propter CHRISTVM, est causa efficiens & origo iustificationis. Hæc misericordia & gratia remittit peccatum, donat salutem effectiuè, fides non remittit peccata, non saluat, sed Dei misericordia, fides solùm appræhendit, & sibi applicat, & medium est, non causa efficiens saluationis: sed CHRISTI passio, quæ est res extra nos. Ideò dicit Paulus, gratia salui facti estis, Ephes.2. id est, effectiuè: non dixit, fide. & Actor.15. Gratia Domini nostri IESV CHRISTI: hic simplicitèr dicitur de gratia, sed semper fidei aliquid adiungitur, nempè per fidem, aut fide in CHRISTVM: quia fides, prout virtus est in nobis, solùm appræhendit, sed non iustificat &c. & Deus per medium fidei iustificat, Rom.3.

DE FORMA ET MODO, QVOMODO IVSTIFICATIONEM HOMO ASSEQUATUR. Cap. 15.

INterimistæ, obganniunt Sectarij, docent eiusmodi assequendæ iustificationis modum, per quem nullus homo à temporibus Adæ vsque ad nouissimum diem, coram DEO est iustificatus, neque iustificabitur, sed potiùs ad diabolum perducetur, & æternaliter damnabitur. Nam docent quòd homo per infusam iustitiã cum addito merito Christi,

fti, remiſſionem peccatorum & ſalutem aſſequatur. At cùm hæc infuſa iuſtitia non ſit perfecta iuſtitia, & extra CHRISTI iuſtitiã nulla alia ſit perfecta iuſtitia, quæ ſaluet ac iuſtificet: ideò miſerè ſeducunt Interimiſtæ populum per propriam & infuſam iuſtitiam, quòd per hanc impetrent iuſtificationem & ſalutem.

Item docent duo fundamenta iuſtificationis: Primò propriam & infuſam iuſtitiam, id eſt, dilectionem, obedientiam legis, opera bona, &cæ. Secundò, Meritum CHRISTI & mortem illius: ſic, vt hæc duo ſimul efficaciam & vim iuſtificandi coram DEO habeant, hoc eſt, impetrandi remiſſionem peccatorum, & liberationem ab ira & damnatione, morte, ſathana & inferno, atque æternam ſalutem, &cæt. Et ſic venit iuſtificatio non gratis ex miſericordia & imputatione erga Chriſtum, ſed etiam ex vi & merito noſtrarum virtutum & operationum, quod eſt falſum &c. Reſponſio.

Eccleſia Catholica non habet duo fundamenta ſalutis, ſed vnum ſolum. Nam credit & tenet, quòd ſolum vnum eſt opus propiciatorium in toto mundo, vnum opus quod tollit peccata mundi, Iohann. 1. quod impetrat ſpiritumſanctum & vitam æternam, Iohann. 3. id eſt, precioſa mors & victima IESV CHRISTI, Eſa. 53. Hoc ſolum eſt opus illud gratiæ, ex cuius plenitudine omnes accipimus ſalutem, Iohan. 1. Nullum ergò aliud opus eſt iuſtificatio & propitiatio pro peccatis noſtris, quantumcunquè ſpecioſum & altum. Non martyrium, ieiunium, oratio, monachatus, Miſſa, peregrinatio, &cæt. Actor. 10. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent &c. Ipſe eſt propiciatio pro peccatis præteritis, præſentibus & futuris, 1. Iohan. 2. In illo poſuit Deus peccata omnium noſtrûm, & in nullo alio. Hoc ſolùm eſt cauſa efficiens, & meruit redemptionem effuſione ſanguinis, 1. Corinth. 6. Empti eſtis precio magno. Et 1. Petri 1. Non corruptibilibus auro & argento &cæt. Hoc igitur opus vnicum eſt fundamentũ noſtræ ſalutis, nec aliud fundamentum habemus.

Deindè hoc opus facit nobis proprium fides gratis, quia fides appræhendit illud, id eſt, arripit ac portat ad nos, vt nobis vtile ſit. Iohann. 3. Vt omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Iam promeritum eſt obtentum. Nam ſi nondùm eſſet promerita ſalus, remiſſio peccatorum, &c. quomodò appræhenderem? Appræhendo ergò gratis, Ro. 3. Iuſtificati gratis gratia ipſius &c. Hanc gratiam non accipimus propter noſtra opera, ſed propter perſonam & opera Chriſti.

Poſtremò docet Eccleſia Catholica, quòd hæc promerita ſalus, per fidem gratis appræhenſa, non retinetur per ſolam fidem: ſed neceſſariò illam ſequi debent dilectio, obedientia præceptorum, & pia opera. Et in eum finem DEVS iuſtificato donat Spiritumſanctum cum fructibus ſuis, Galat. 5. qui renouet naturam alijs motibus, & per nos operetur obedientiam legis DEI: Non vt mereamur hæc noſtra infuſa iuſtitia, id eſt, ſpiritusſancti fructibus & dilectionis operibus iuſtificationem, quam iam fide appræhendimus: ſed potiùs vt retineamus, & vt illius iuſtificatione frui poſſimus. Nam ſi non retinetur, quid proderit appræhendiſſe? At ſinè bonis operibus non retinetur. Rom. 8. Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini. 1. Corinth. 6. Epheſ. 5. Galat. 5. Hoc ſcitote, quòd nullus fornicator, auarus, &cæt. Ideò peccatis iterùm amittitur iuſtificatio, Spiritusſanctus, fides, gratia Dei, &c.

Prætereà docemus, noſtram infuſam iuſtitiam, id eſt, fructus Spiritusſancti, mereri ingentia præmia in hac & poſt hanc vitam ſecundùm gradus laborum, 1. Corin. 3. Et 1. Cor. 15. differt ſtella à ſtella &c. Sed hæc prẹmia non ſunt remiſſio peccatorum, Spiritusſanctus, ſalus æterna. Hæc enim promittit Euangelium ſolùm propter perſonam & opera Chriſti, & dicuntur promiſſiones Euangelij. Sed ſunt alia prẹmia, quæ lex promittit Exod. 20. Leuit. 26. Deuter. 28. longa vita, benedictiones in agro, animalibus, pace, &c. Item ſic, pro calice aquæ frigidæ, Matth. 10. & 25. quæ promiſſiones ad legem pertinent, & ſuas habent promiſſiones &c. Vndè Heb. 6. Non iniuſtus eſt DEVS, vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtẽdiſtis in nomine eius, qui miniſtrâſtis ſanctis &c.

Ex prædictis clarè liquet, quòd non habemus duo fundamẽta ſalutis, quòd opera noſtra non locamus pro altero fundamento, cum Chriſti merito, ſalutis noſtrẹ. Non docemus infuſam iuſtitiam, fructus Spiritusſancti, eſſe cauſam efficientem iuſtificationis, ſed ſemper anteferimus Chriſti mortem, & dicimus, quòd ſolùm pro-

propter Christi meritum iustificamur & saluamur:& nostra infusa iustitia solùm in finem retentionis docetur. Et cùm hæc clarè doceat liber, INTERIM,quòd gratis ac purè gratuitò absque nostro opere & iustitia, solùm propter meritum Christi, liberamur à peccatis & saluamur: ad quid hæretici grauant nos mendacio?Cur tantis æstuãt calũnijs, quasi nos priuemus consolatione cõscientias, damnemus gratiam,Christum supprimamus & Euangelium,iustitiam fidei negemus,&c. nostrãq; iustitiam ad CHRISTI meritum assuamus?

Præterea, quod liber INTERIM docet de coniunctione meritorum CHRISTI & infusæ iustitię,id nõ eò dicit,quòd eandem vim & efficaciam ex æquo habeat nostra iustitia cũ Christi merito ad merendam iustificationem: sed quatenùs nos per nostram iustitiam,id est, fructus spiritussancti reparamur, sobrij reddimur, & iustificamur in vita nostra,sicut Paulus ad Titum 2.docet: Sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo,quatenùs retineamus Christi memoriam, quod solum est forte, integrum, & perfectum, vbi conscientia potest quiescere,&certa esse de salute propter Christum,Rom.4.In hoc fides solùm quiescit & respicit ad rem salutis & iustificationis.Hic est viuens spes salutis.Nostra autem iustitia infusa,quoniam est imperfecta,& sæpè conscientia in illa titubat & cadit in illa, propter humanam infirmitatem,nè tamen desperet, habet aliam consolationem salutis, quàm propriam iustitiam, id est, meritum vulnerum Christi. In illo reperimus, per quod in spe solidissima consolidamur & confortamur.

Hæc est doctrina Ecclesiæ,& non vt sit alterum fundamentum cum Christi merito, sicut hæretici fraudulenter & falsò mentiuntur ad grauandum immerentes. Quum igitur sic quis præuenitur gratia Dei,quòd audit & acceptat Euangelium de saluatore nostro IESV CHRISTO: & hoc credit ex corde,& ore confitetur, Rom.10.hic accipit remissionem peccatorum,quod est iustificatio. Deindè donũ, id est,spiritumsanctum in gratia,per quod retinetur appræhensa gratia, nè iterùm amittatur. Sic docet Ecclesia modum impetrandi iustificationem &c.

Præterea duo sunt notanda in homine, fides, & vita: Fides ordinatur & respicit Christum & illius victimã,que est causa efficiens iustificatiõis, quam fides gratis appræhendit, & Deus per fidem iustificat, Rom.3. Sed spiritussanctus cum suis fructibus Gal.5.respicit vitam,vitam(inquã) hominis respicit, nè illa sit mala, néve acceptam gratiam iterùm per peccata amittat. Non autem vita bona meretur gratiam,sed per fidem gratuitò acceptam retinet.Alioquì per peccata amittitur, Rom. 8.Si secundùm carnem vixeritis,&c.

QVOMODO HOMO TRAHATVR A DEO AD OPVS iustificationis. Cap. 56.

ARGVMENT. SECTARIORVM.

INterimistæ, nè nimiùm tribuant diuinæ misericordiæ & Christo, docent principium & finem iustificationis stare in nostris viribus & meritis. Nam dicunt quòd prima acceptatio gratiæ DEI consistat etiam in nostra volũtate,quia Deus aliter cum homine agit, quàm cum trunco: hominem enim trahit cùm venerit ad annos discretionis: deindè finem quoquè iustificationis tribuunt nostris viribus & meritis, quia docent, quòd infusa iustitia (id est,fructus spiritussancti,quæ propter gratiam Dei infunditur)etiam vnà cum merito Christi iustificet.id est,causa efficiens sit ex æquo, sicut CHRISTI meritum est,& quòd cõsummet iustificationem, & fiat consummata iustificatio nostris operibus. At cùm dicit Christus Ioann.6. Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum: ideò non consistit in nostra volũtate acceptare vel non acceptare gratiam Dei, sed quem pater traxerit.est enim homo per vitium originis natura sua peruersus, ità vt suapte voluntate à seipso non possit credere vel recipere Euangelium,nec acceptare Christum, nisi tractus fuerit à patre.est enim Euangelium Iudæis scandalum, gentibus stultitia, 1.Corinth.1.Ideò sicut truncus non potest seipsum mouere,ità homo per liberum suum arbitrium non potest acceptare gratiam Euangelij, nec venire ad Deum Christum, nisi tractus fuerit: est enim ipsa sapientia carnis inimicitia Dei, & non potest se subijcere DEO, Rom.8. sed semper resistit Deo,&1.Corint.2.Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritussancti. Nisi ergò illuminetur & trahatur &c.ergò voluntas hominis nec principium nec finis est seu consummatio iustificationis. RESPON. Nos non ponimus

mus in re instificationis primum lapidem, sed Deus:ipse enim prior dilexit nos,1.Iohann.4. Nam Christus misit Apostolos in mundum prædicare Euãgelium omni creaturæ,&cæt.Marc.vlt.Hæc est præueniens Dei gratia,ex sola Dei misericordia & dilectione erga nos promanans, & nõ est ex nostro libero arbitrio,sed ex toto à gratia & voluntate Dei,quę res extra nos est.Deindè CHRISTVS tantùm iussit prædicare Euangelium, sed neminem cogere ad fidem:sed liberum fecit,vt qui crediturus esset & baptizaretur,foret saluus:qui verò non,condemnaretur. Sic Deus primò offert gratiam,& neminem ad illam accipiẽdam cogit, & fides ex auditu est Rom.10. præcedit auditus verbi fidem:si quis obediẽrit,saluabitur.Sed quia nõ omnes obediunt Euangelio, vt conqueritur Paulus, & Esai.53. Domine, quis credidit auditui nostro &c? Hoc est,ex voluntate praua hominis est contemptus Euangelij, & ex voluntate bona acceptatio: Deindè, nisi primùm oblata fuerit gratia & prædicatũ euangelium, nullus poterit credere: quomodò enim credet homo id, quod nõ audiuit? aut etiam si audiat, quis coget eũ credere, cùm credere sit voluntarium, & nemo ex necessitate compellitur credere? Non ergò liberum nostrum arbitrium incipit vel principium est nostræ iustificationis, sed præueniens gratia,qua DEVS trahit,sed neminem cogit: alioqui quiuis necessariò crederet, vel non crederet, saluus fieret vel non saluus fieret, cùm inquit Christus Iohann.1. quòd Deus dedit potestatem filios Dei fieri: si omnia fiunt ex necessitate, vbi manet hæc potestas & libertas? Falsum igitur est quòd doceamus, per vim liberi arbitrij retentam in corruptione naturæ,ex nobis sinè præueniente gratia & misericordia esse principium iustificationis: gratia enim & misericordia Dei præcedit actum iustificationis, quæ sola causa est efficiens iustificationis: & quòd doceamus præuenientem gratiam, qua trahimur, & qua voluntas nostra fit propensior ad gratiam acceptandam, licèt non cogatur:quomodò ergò tribuimus viribus nostris initium iustificationis: quòd, quia natura cæca est & inimica Dei, hoc ante gratiam nemo negat.at cùm ex præueniente gratia trahimur,& voluntarij efficimur,hoc adiutorio prȩmisso,adhuc stat consentiendi arbitrium in nobis, an velimus,nécne:nihil enim aliud tribuitur voluntati nostræ ante actum iustificationis, nisi arbitrium consentiendi. Tota enim vis efficiendi iustificationem relinquitur gratiæ, quæ propter Christum offertur. Porrò post actum iustificationis docemus,quòd voluntas adiuuatur à Spiritusancto,qui post iustificationem infunditur,vt homo aliquid, id est, volũtas eius possit in pijs actionibus faciendis, & externis peccatis cauendis. Quia verò Spiritussanctus non datur aut promittitur ociosis,& magnum est in iustificatis auxilium Spiritussancti, ideò hoc nos excitare debet ad pietatis opera:attamen hæc spiritussancti opera aut infusa iustitia non est causa efficiens iustificationis: quandò illa sit appræhensa primo gradu in actu iustificationis,& in secundo infunditur,vt donum Spiritussancti.Impudẽs ergò est mẽdacium Sectariorum, quòd opera nostra sint finis iustificationis, aut quòd eam cõsumment,quo ad vim & efficientiam: sed hoc dicimus consummatam iustificationem, quandò adipiscimur fructus iustificationis,id est, remissionem peccatorum, & salutem in opere & effectu: at dum solùm credo sinè pœnitẽtia,iuxta illud, Pœnitentiam agite,& credite Euangelio:non acquiro remissionem.Sic dum solùm credo absque dilectione & obedientia legis Dei,non acquiro salutem: quandò igitur desunt fructus,non est iustificatio cõsummata. & in eum finem dicimus fieri consummatam iustificationem, quandò fructus quoquè appræhendimus, & id fit per bona opera & fructus Spiritussancti, non in eum finem, vt efficiant & mereantur, compleant & consumment iustificationẽ: habet enim fides in spe salutem, sed nondùm in re.Insupèr nemo docet quòd Christi meritum non sit sola, tota & sufficiens causa iustificationis, sed quòd per nostra opera fiat plena & consummata: consummationem verò illam referimus quo ad adeptionem fructuum iustificationis,non quo ad efficientiam &c.Concurrunt ergò hæc duo, Christi meritum & nostra dilectio siue infusa iustitia, quo ad appræhensionem iustificationis:sed quo ad efficientiam,solum Christi meritum totam originem,principium,medium & finem habet. At obijciunt & illud: Si Deus trahit adultos, id est,postquàm ad ætatem perfectam peruenerint, vbi tunc manẽt infantes,qui nondùm venerunt ad annos discretionis? ergò ne damnabũtur? RESPON. Planè & clarè docemus, præuenientem Dei gratiam cumprimis esse misericordiam, sinè

Mar.1.

qui etiam voluntas nihil potest, sed præuenta illa voluntas nostra habet liberam potestatem acceptandi vel non acceptandi: non enim cogitur illam acceptare voluntas hominis. Si non præcesserit præueniens gratia, volūtas omninò ex suis viribus non potest efficere aut mereri gratiam, aut acceptare instificationē & Euangelium. Quoniam ergò Deus sua mirabili sapientia in vtero & extra vterum potest præuenire voluntatem hominis sua gratia, sicut Hieremiam & Ioannem Baptistam sanctificauit, & plerosque alios adultos extra vterum, vt Petrum, Paulum, &c. Ideò non negamus tractionem puerorum per præuenientem gratiam, illa tamen non cogit, vt postquàm adoleuerit homo, illam approbet, & voluntate in eam consentiat. Quia autem illam voluntatem pueri nondùm in vsu habent, hoc permittendum est est diuino iudicio, quia DEVS potentiam suam habet liberam. non propterea negamus tractionem puerorum, eò quòd dicamus adultos trahi. Iubet Christus omnes venire ad se, Matth. 11. ergò etiam infantes. at quomodò veniunt illi, nisi per Baptismum, in quo datur Spiritussanctus, & in quo infantes induunt CHRISTVM, & incorporantur Ecclesiæ, & ille operatur & facit voluntatem illorum voluntariam, vt assentiantur gratiæ diuinæ? Docet igitur clare liber Imperij, quòd DEVS non iustificat hominem ex operibus iustitiæ, quæ facit homo, sed purè gratis sinè proprio merito, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, 1. Corinth. 1. Nam illius merito solo redimimur à peccatis & iustificamur. Deindè DEVS in iustificatione non agit cum homine sicut cum trunco, sed trahit eum, & mouet cor eius per præuenientem gratiam, vt cor incipiat odisse peccata. nam sinè tali odio & displicentia peccati, nemo potest venire ad thronum gratiæ & misericordiæ. ideò Ioannes Baptista Matth. 3. incepit prędicationem suam à pœnitentia, & dixit: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorū. Post hanc displicentiam & odiū peccati, gratia statim mouet cor ad Deum per IESVM CHRISTVM, cupiens misericordiam, & incipit credere scripturæ & promissionibus diuinitùs de Christo factis: incipit meditari misericordiam DEI, & redemptionem per sanguinem Christi factam, & contra spem proprij meriti incipit confidere promissæ spei propter CHRISTVM, & dat gloriam Deo, Rom. 4. Porrò qui sic per fidem fundat se super misericordiam DEI & meritum Christi, & ei se totum commendat, illi tunc donatur Spiritussanctus, ità quòd in actu iustificationis non solùm peccata donantur, sed etiam spiritussanctus infunditur, qui incipit operari fructus suos, Galat. 5. vt renouetur homo, & accipiat nouos motus, dilectionem, timorem, castitatem, &c. Postremò, ex quo iustificatio per fidem appræhensa, non retinetur nisi per sequentem dilectionem, timorem, spem, obedientiam, quæ omnia operatur spiritussanctus in nobis: ideò si quis velit diuidere dilectionem à fide, quæ sola appræhendit iustificationem, tunc iustificatio fieret defectuosa & imperfecta, & esset sinè fructu, id est, remissione peccatorum & salute, & sic non esset perfecta, quia licèt fide appræhensa, quia tamen fructus non sequuntur, ideò dicitur imperfecta iustificatio: sicut dicimus, fides & spes nondùm est perfecta in hac vita, sed tunc erit, quandò hoc videbimus, quod iam credimus & speramus, id est, quo ad fructus, licèt non sit in fide defectus, quo ad actum credendi, sic fides accipit plenam iustificationem appræhendē do CHRISTI meritum: attamen tunc erit perfecta iustificatio, quandò & salus fuerit appræhensa. Non ergò fides in Christi meritum, & dilectio sequens, instificant ex æquo, vt falsò & mendaciter nobis obijciunt hæretici.

DE CHRISTIANA CHARITATE ET EIVS PIIS OPERIBUS. Cap. 17.

DE hoc loco liber Imperij catholicè docet, quòd dilectio quàm primùm in iustificatione incipit, tunc est fructuosa, & compræhendit in se omnium bonorum operū semina, & illa producit & operatur, nisi impediatur aliquo impedimento, nempè peccato, per quod priuatur sua operatiōe: ideò quæ per dilectionem non operatur, illa nō est viua, sed infructuosa & mortua, sicut dicit Iacobus 2. & 1. Ioh. 3. Qui nō diligit, manet in morte. id est, habeat licèt tantum fidei quantum velit, si deest dilectio, adhuc fides non est vera. Dilectio est pars vitæ æternæ, quæ incipit in nobis, & tandèm in cælo implebitur: nam nobiscum intrat in cælum, quandò spes & fides cessabit, 1. Corinth. 13. Si autem hic non incipit in homine, nec per eam fides fuerit operata obedientiam legis & bona opera, tunc amittitur

gratia

gratia Dei & meritum passionis Christi, Spiritussanctus & salus æterna: ideò est cuilibet iustificato necessaria ad salutem non efficiendam, sed vt retineat acceptam: ideò verò quia non est talis, abscinditur sicut palmes à vite, & proijcitur in ignem, Ioan. 15. Deindè quanuis opera dilectionis ità se habent, vt DEVS ea à nobis quasi iure quodam exigere queat, quia tenemur illa facere ob beneficium creationis & redemptionis, vt etiam hoc idem confitentur omnes sancti, iuxta verba CHRISTI Luc. 17. Cùm omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, tunc confiteamini & dicatis, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus &cæ. Attamen vult Deus huiusmodi opera, quæ ex dilectione fluunt, deindè sunt fructus gratię & iustificationis, tertiò & DEVS iuxta beneplacitum suum, & non secundùm operis dignitatem promittit præmium, & remunerat ea cum recompensatione temporalium bonorum & æternæ vitæ: sed alieno, id est, CHRISTI merito, iuxta testimonium scripturæ 1. Corint. 15. Sitis diuites & abundantes in bonis operibus, & sciatis quòd labor vester non est inanis in Domino. & Hebr. 6. Non iniustus est DEVS, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam exhibuistis in nomine suo. Porrò iustificati per fidem in Christum, quia nunc sunt facti serui iustitiæ, Rom. 6. ideò quanto crescunt in bonis operibus, tanto iustificatiores euadunt, id est, iuxta iustitiam vitæ in præsenti, iuxta scripturam Ecc. 18. quę iubet ad mortē fieri iustiorem quo ad vitam, ad vitam inquam, non quo ad illam iustificationem, quæ fide gratis appræhenditur. Apocalyp. 22. qui iustus est, id est, per fidem, iustificetur adhuc, id est, per iustitiam operum. sic palmes mūdatur, vt fructum plùs afferat, Iohann. 15. & hæc est iustitia, quæ venit ex operibus, de qua Iacobus 2. cap. Prætereà obijciūt quòd doceamus, quòd hoc nomen fides, quę nos discernit ab infidelibus, Iudæis & Turcis, nihil aliud significet: item quòd etiam sit in dæmonibus & pessimis peccatoribus, aut in qua homo contra conscientiam & DEI præcepta viuit, est vera & iustificans fides, & sic etiam saluari dæmones. RESPON. Hoc quoquè temerarium est mendaciū, cùm nos manifestè in libro illo Imperiali fateamur, quòd hæc fides, quæ non operatur per dilectionem, non habetur pro viua, sed potiùs pro mortua & infructuosa, sicut Iacobus docet 2. cap. talem fidem etiam habere dæmones &cæ. & talem quoquè habent enormes peccatores: ideò si fidem & dilectionem post actum iustificationis, tunc non retinetur iustificatio. 2. Iohan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Tametsi scriptura talem quoquè fidem mortuā vocat, quę distinguit à Iudæis, Turcis & gentibus, quę nullam habent de CHRISTO fidem: nemo tamen dicit, quòd hæc fides mortua iustificet & saluet, quia caret dilectione: & cùm dęmonum & hypocritarum fides sit sinè dilectione, & ea tantùm fides saluet, quę per dilectionem operatur, certè in nullo gentilium nec in dæmonibus reperitur, & ideò nec saluari possunt, sicut nec impœnitētes peccatores. Igitur hæc fides mortua nō est vera fides, sicut est fides in Christum, quæ est fiducia certa confe- Fidei in quendæ misericordiæ promissæ propter Christū, Christum, item est eleuatio mentis ad De- descriptio. um propter promissiōem factam de Christo. Ad Hebr. 11. Est substantia rerum sperandarum, id est, certa fiducia, non titubatio, opinio, consequendæ remissionis peccatorum & salutis propter CHRISTVM promissæ, non apparentium certissimum argumentum, id est, fides tenet & credit quæ non appárent. Deindè hoc verissimum est, vbicunquè est dilectio, ibi etiam fides est, sed non è diuerso. Vbicunquè igitur est dilectio, ibi manifestatur & certa est iustificatio, sicut Iohann. dicit 1. Iohan. 3. Nos scimus quia de morte translati sumus, id est, liberati, si diligimus fratres. Si autem nō diligimus, adhuc in morte sumus, & sumus de illorum numero, de quibus ad Titum 1. Confitentur se nôsse DEVM, factis autem (id est, operibus dilectionis) negant: & Matt. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum cælorum. Fatuæ virgines Matth. 25. habuerunt lampades sinè oleo, id est, fidem sinè dilectione, & ob id clauditur illis ianua. Habent scortatores, ebriosi, maledici, auari &c. fidem, sed mortuam: illa nō appræhendit beneficium Christi, nec fides vera iustificans stat cum mortali peccato, quia illa non habet adiunctam dilectionem: ideò fides sinè pœnitentia non appræhendit iustificationem, nec sinè dilectione retinet: & vbi non est dilectio, ibi certè fides antè est mortua: nā tametsi hæ virtutes, fides, spes, charitas sint inter se distinctæ, tamen sunt numero idem, & diuidi nolunt, vt vbi vna desit vel extinguatur, ibi nec alia valeat: & si non adest dilectio, nec fides vera adest, sed antè mortua est. Quicunque er-

gò in peccatis perſeuerat contra conſcientiam & apertam legem DEI, ille nondùm eſt conuerſus verè ad DEVM, nec veram iuſtificantem fidem habet, ſed adhuc in ira DEI eſt & inimicitia, ſicut etiam dicit Apoſtolus Galat.5. adhuc dico, qui talia agunt, regnum DEI non poſſidebunt. ideò 1.Timoth.1. docet Apoſtolus, habens fidem & conſcientiam bonam. conſcientia illa nó vult diuidi à fide. ſi autem aliquid eſt contra conſcientiam, ibi fides non eſt vera. Si ſeparas ergò à fide dilectionem, pœnitentiam, timorem & alias virtutes, qualis putas res ſit fides nuda & ſola? Non retinet ergò fides ſola & nuda iuſtificationem, & ſi ſola appræhendit: plurimùm porrò diſcernuntur viua fides & mortua: mentiuntur ergò Sectarij, quòd tribuamus fidei mortuæ iuſtificationem: oſtendant ipſi quandiù fides vera poſſit eſſe ſinè dilectione, quandò in eodem actu iuſtificationis Spiritusſanctus cum ſuis fructibus etiam infunditur.

Nam noſtra opera alieno merito (id eſt, CHRISTI) ornantur, & CHRISTI meritum illis tribuitur ex gratia, ità quòd licèt nos facimus opera, non tamen proprium operum noſtrorum meritum eſt efficax ad remiſſionem & ſalutem, ſed alienum (id eſt, CHRISTI) meritum noſtris ſuffragatur operibus, & ſic dicimus, quòd opera noſtra ſunt meritoria vitæ æternæ ex gratia, id eſt, alieno merito. Et ſic dilectionis opera quæ ſpiritusſanctus in nobis operatur, coronãtur gratia, id eſt, Chriſti merito, & ſic ſunt meritoria, id eſt, efficacia meriti Chriſti &c. nó tribuimus hoc nudis operibus, vel ipſorũ propriæ dignitati, ſed Chriſti meritum omnia facit in omnibus. hoc ſolum impetrat, & cauſa efficiens eſt omnium donorum & vitæ æter-

Pſal. 113. næ. Non nobis Domine, non nobis, &cæ.

Iohã.14. Nemo venit ad patrem, niſi per me. Iohan. 15. Sinè me nihil poteſtis facere. & Eccleſia omnia orat & petit per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

QVATENVS SECTARII CONCEDANT ESSE ALIQVOD MEritum piorum operum. Cap. 18.

ARGVMENT. SECTARIORVM.

Fateamur quidem gratioſam recompenſationem bonorum operum venire ex promiſſione Domini, ſed DEVS nullas promiſſiones dedit in ſcriptura humanis traditionibus, non præceptis operibus, quæ ex illius mandatis non promanant, vt ſunt vota religionum S.Franciſci, Dominici, veſtitus, cibus diuerſus, peregrinatiões, fundationes, Miſſæ, vigiliæ, luminaria, &cæt. ergò hæc & ſimilia non habent promiſſionem diuinæ recompenſationis, & ideò ſunt fruſtranea, & manent ſinè remuneratione DEI & præmio. Nam dicit CHRISTVS Matth.15. gratìs colunt me mandatis hominum: tales enim traditiones communiter impediunt verbum DEI & eius præcepta, immò verò etiam opera. Inſupèr ex quo lex DEI, nempè præcepta Decalogi, omnes damnat, eò quòd nemo legem ſeruat intùs & foris, Iohann.7. & omnem præſumptionem oris lex deprimit & ſemper arguit conſcientiam, ideò inanis & ſuperſtitioſa eſt opinio de operibus ſupererogationis, quæ pontificij exaltant, & in maiori loco habent, quàm ipſa præcepta DEI: cùm tamen nullus hominum in toto mũdo nobiliora opera, quàm quæ in Decalogo compræhenſa ſunt, facere poſſit: & ſi talis homo poſſet inueniri, qui illa perfectiſſimè præſtare poſſet, hic non indigeret CHRISTO. Galat.2. Si ex lege iuſtitia &cæt. ſi autem nemo ipſam legem ſeruat, quis alia opera ſuper opera decalogi, quæ DEVS non præcepit, ſeruare queat? Inſupèr votum paupertatis, caſtitatis, obedientiæ omnibus eſt præceptum, omnes tenemur propter Chriſtum relinquere domum, agros, filios, &c. Matth.19. omnes tenemur caſtitatem ſeruare, tam intra quàm extra matrimonium, Matth.19. Omnes tenemur ad obedientiam ſuperiorum noſtrorum, Rom.13. &cæt. ergò hæc quæ monachi ad ſe & ſua opera ſupererogata trahunt, ad omnes ex æquo pertinẽt, & nihil agũt cum ſuo inuento. RESPON.

Primò diſtinguenda ſunt illa, traditio & cæremoniæ, deindè opus quod fit ſub hac traditione & cæremonia: ſicut non idem & vnum ſunt nucleus & teſta, lignum crucis & deſignatio crucis, imago & ipſa hiſtoria, aqua baptiſmi & lauacrum remiſſionis peccatorum, candelæ, vexilla, thurificationes, &c. & ipſum opus laudis DEI, veſtitus cucullæ, & ipſa pœnitentia ſeu luctus de peccatis, exercitium fidei, caſtitatis, &c. Si igitur reſpicis ad nudas has traditiones, & non etiam ad opus quod ſub hac traditione agitur: certum eſt, quòd hæc traditio nec ſaluat, nec iuſtificat, nec præmium habet: quis enim ſic inſipiat, vt

dicat illa, quæ iam recensuimus, mereri remissionem peccatorum & vitam æternam, & quòd illæ res quæ sunt mortuæ, habeant promissionem præmiorum in cęlo? cùm oporteat esse rem viuam, id est, fidem, quæ appræhendat promissionem & præmium: at è diuerso, si ad ipsum opus quoquè respicis, quod sub hac traditione agitur, quod Deus vel præcepit, vel consuluit, alia res est. DEVS suis præceptis operibus annectit promissionem, sic pro obedientia legis, quæ sub varijs traditionibus & cæremonijs fit, habet suas ingentes promissiones præmiorum, Exod. 20. Leuit. 26. Deutero. 28. primum enim Dei præceptum de adorando & colendo DEVM, varijs modis & cæremonijs fit, genuum flexione, pulsatione pectoris, eleuatione oculorum: item DEVM honorare & laudare debeamus, quod fit cantando & psallendo interdiù noctuque, organizãdo, campanis pulsando, & alijs eiusmodi, item meditando, audiendo concionem, confitendo, &c. Similimodo se habet cum cæteris præceptis erga Deum, proximum, & suam ipsius personam, quæ cõmuniter fiunt sub traditione humana & varijs institutis Ecclesiæ & cæremonijs, & quis neget hæc quoquè sua habere promissa præmia? Qui igitur nunc pia illa & Christianæ religionis opera quæ seruantur & consuluntur à CHRISTO, eam ob causam reijcit & contemnit, quia traditiones & cæremoniæ sunt ab Ecclesia vniuersali institutæ, sub quibus illa pia opera, nempè præcepta DEI & consilia Euangelica, fiunt & seruantur: quid aliud facit, quàm propter testam reijcit nucleum, & propter signum reijcit signatum, propter ordinationes ieiuniorum, dierum &c. ipsa præcepta CHRISTI? qui enim has cęremonias reijcit, & ludibrio habet, etiam laudem Dei & honorem & cultum eius, præcepta legis & Euangelicæ perfectionis reijcit & illudit: sunt enim signa & notę externæ præceptorum & operum legis. sed sicut hedera vinum non est, sed designat, & lignum crucis CHRISTVS non est, sed designat: ità organizare, campanare, in monastica vita agere, &c. non sunt ipsa opera legis vel Euangelij, sed sub illis ea perficiuntur & consummantur. Quemadmodùm igitur opera legis & Euangelij suas habent promissiones præmiorum, sic & hæc cæremoniarum opera, sub quibus illa fiunt, habent non propter seipsa, quia cæremoniæ & traditiones sunt, sua promissa præmia, sed propter promissionem CHRISTI Matth. 19. & non dicimus quòd merẽtur cælum, (nam hoc per fidem & meritum CHRISTI impetramus, sed alia præmia hîc & in futura vita. At dicunt: hæc omnia debent liberè fieri. RESPON. Si omnia liberè fieri debent, non est opùs ordine in Ecclesia nec potestate ordinaria, & frustrà Paulus iussit, vt in ecclesia omnia secundùm ordinem & honestè fierent, 1. Corinth. 14. & frustrà Deus ordinauit potestatem. Sed quoniam non omnes vno aguntur spiritu, ideò opùs est potestate & ordine in Ecclesia Dei, & qui huiusmodi ordinem & potestatem contemnit, Deum contemnit. Quid si quis tantùm respiciat colorem vestitûs monastici? nil nisi rem mortuam videt. Si totum monasterij institutũ, per se quidem nihil est, nec sanctificat: at si respicis ad ipsam medullam voti, scilicet obedientiam, quam ipse CHRISTVS seruauit, Phili. 2. Paupertatem, nam filius hominis non habuit quo caput suum reclinaret, Matt. 8. castitatem Christi, Iohannis Baptistæ, & aliorum sanctissimorum seruorum DEI, &c. hæc opera à CHRISTO seruata & consulta, si quis pietatis studio & zelo amoris Dei imitatus fuerit, cur non haberent illa sua præmia, cùm tamen compræhendantur sub lege? tota enim monastica vita & disciplina compræhenditur sub lege & Euangelicis operibus, & quia illa habent certas pręmiorum promissiones, quis neget hæc quoquè opera pietatis sua habitura præmia, non propter traditiões dico, propter illum vel illum colorem vestitûs, sed propter promissionem CHRISTI, Matth. 19. Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, &c. nec merentur vitam seu cælum, quod CHRISTVS nobis meruit, & nos per fidem appræhendimus, sed potiùs alia præmia. Porrò CHRISTVS & eas appellat traditiones humanas, quę sunt ab hominibus proprij commodi aut inanis gloriæ causa excogitatæ, sicut erat illa traditio de Corban Matth. 15. vbi Pharisæi studebant auaritiæ, & tollebant præceptum de honorandis parentibus &c. Deindè CHRISTVS illa clarè locutus est de præsenti, & non de futuro. dicit enim de Pharisæis & alijs idololatris Iudæis, frustrà me colunt docentes doctrinas & mãdata hominum. Non igitur de nostræ Ecclesiæ traditionibus, quæ nondùm erant,

locus ille torqueri potest: dicitur etiam in textu de alijs Iudæorum traditionibus, quòd dilatabant fimbrias suas, Matth.23. decimabant cyminum, anethum, & relinquebant potiora legis, id est, fidem & iustitiam & iudicium: exterminabant facies suas, tubas inflabant cùm essent daturi eleemosynam, ornabant monumenta prophetarum, lauabant frequenter manus quandò panem manducabant, stabant in angulis longa oratione &c. Hæc & similia quia tantùm propter populum, vt viderētur, faciebant, ideò dicitur de illis Matth. 6. Acceperunt mercedem suam. & Matth. 15. Gratis colunt me sic mandatis hominum &cæt. Sed omnia illa trahere in cæremonias & traditiones Christianæ Ecclesiæ & in monasticam vitam, hæreticum odium & mendacium est. Nos enim sub nostris cęremonijs in vera fide verum Deum colimus, & saluatorem nostrum IESVM CHRISTVM veneramur & imitamur in his quantùm possumus, omnia qualiacunque etiam sunt in laudem & honorem DEI facientes, ad exercitium fidei nostræ, vt omnia cum decoro fiant, sicut docet Propheta Psalm.146. DEO nostro sit iocunda decoraque laudatio. Et Paulus vnà cum Apostolis in concilio hierosolymitano iubet Christianos, vt custodirent præcepta decreti concilij ipsorum, Actor.15. & 2.Thessal.2. iubet tenere traditiones &c.

QVID SENTIENDVM DE OPERIBVS SVPEREROGAtionis & non præceptis à Deo. Cap. 19.

Obijciunt Sectarij, nos exaltare opera nostra, id est, castitatem, obedientiam, paupertatem vltra & supra DEI præcepta, & falsam esse inuentionem, Monasticorum sanctitatem, & neminem in mundo posse meliora & sanctiora opera facere, quàm qualia sint præcepta DEI, & ideò cætera opera non præcepta, sordida esse & nullius valoris. RESPON. Primò hoc sciendum est, quòd Spiritussanctus in scriptura commendat aliqua opera, quæ à DEO non sunt præcepta omnibus hominibus ex æquo, non quòd sint nobiliora vel meliora præceptis DEI, sed quòd non sunt sic communiter & generaliter omnibus seruanda præcepta, vt sunt decem præcepta Domini, quæ ex æquo omnes homines obligant. ideò dicuntur opera voluntarij spiritûs, quæ circa DEI præcepta obseruantur à certis hominibus, qui se ad hoc specialiter obligant, eligunt & faciunt votum, ad quæ cæteri in communi non obligantur. Dauid ait, Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine. Sic Rechabitæ abstinentiam vini obseruârunt, quod tamen à DEO præceptum non erat. sic Apostoli non solùm furtum non fecerunt, quod à DEO, nè fiat, præcipitur omnibus hominibus in communi, sed omnes possessiones suas, substātias, domos, agros, & cæt. reliquerunt voluntariè, quæ tamen omnia licitè habere & possidere potuissent, & CHRISTVM sunt secuti: nec illis CHRISTVS præcepit, vt sic omnia relinquerent, ipsi tamen ex libera volūtate spiritûs exemplo & imitatione CHRISTI plùs fecerunt, quàm illis iniunctum erat. ità enim Petrus ait ad Dominum Matth.19. Eccè nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergò erit nobis? quid autem CHRISTVS respondet? an opus illud supererogationis repudiat aut damnat? immò potiùs cum iuramento dicit & commendat ipsos, inquiens: Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Non præcipit hic CHRISTVS, vt possessiones, domos, agros, substantiam, & cęt. non habeant, sed laudat & consulit, dicens: Omnis qui hoc fecerit, id est, renunciauerit mundo & eius delicijs, ille non facit opus malum aut frustraneum, etsi non sit præceptum &c. Ex hoc fundamento orta sunt illa vota paupertatis inter religiosos, & non defraudabuntur suis præmijs. Sed nunquid Apostoli aut cæteri sancti religiosi, hoc paupertatis ac solitariæ vitæ opus supererogatorium exaltârunt super præcepta DEI vel Euangelium, aut reputârunt nobilius & melius esse cæteris Dei pręceptis? Absit: Nam ipsi huiusmodi opus fecerunt potiùs propter Euangeliū & verbum Dei, vt ad hoc seruandum, implendum, & alijs prædicandum essent expeditiores: modus enim fuit, quo expeditiùs & liberiùs ac intentiùs seruarent sancta Euangelij præcepta, & verbum DEI meditarentur. Quis enim nescit, quantùm cura rerum temporalium suffocet & impediat spiritum nostrum in negocio rerum spiritualium, cùm hoc etiam CHRISTVS ipse testatus sit

per

per similitudinem in Euangelio de semine,id est, verbo DEI, quod inter spinas huius mundi ciderit, Luc.8. Nec verò Apostoli aut cęteri sancti religiosi,pro hoc suo opere voluntario maius præmium accipient,quàm pro fide in CHRISTVM IESVM,& pro obedientia pręceptorum DEI, sed condignam recompensationem, eamque ex promissione CHRISTI facta Matt.19. Sed vt ostendamus hoc vno aut altero exemplo scriptura dicit esse ipsius CHRISTI ordinationem, vt ij qui Euangelio aut altario inseruirent, etiam de altario viuerent, 1.Corinth.9. Galat.5. Luc.10. dignus est operarius mercede sua. atquì Paulus summus præco Euāgelij,parcens omni sumptui quem cæteri apostoli inter proficiscendum impendebant propriæ personæ, sororibus & mulierculis, quas vt culinam & alia necessaria curarēt, secum circunducebant, 1.Corinth. 9. his omnibus abstinuit, idque ex voluntario spiritu,cùm æquè illi licita erant sicut cæteris Apostolis. non vsi sumus, inquit, hac potestate. Nunquid verò frustrà hęc fecit Paulus, quòd adeò tenuiter & modicè se gessit,& an sinè præmio? Absit. dicit enim ipse 2.Timo.vlt. Cursum consummaui, fidem seruaui, bonum certamen (id est, cōtra Iudæos & gentes euangelizando) certaui. ideò reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi & omnibus &c. Similiter se habet de voto castitatis. omnibus conceditur nubere, 1.Corinth.7. & Matth.19. Qui potest capere, capiat. at si quis ex libera voluntate spiritûs non nubat, sed virginem suam seruet, id est, continentiam propter Euangelium, ministerium verbi, cultûs & sacramentorum, vt ea puriùs expediat, benè (immò, vt Apostolus ait, meliùs) facit: optat enim omnes esse sicut ipse erat, id est, omnes seruos DEI seu ministros verbi, cælibes esse. Cùm matrimonium concedatur omībus, exceptis ijs qui vota solennia castitatis fecerunt, quarè nec Paulus, nec Ioannes, nec ipsa virgo Maria post partum suum nupsit? si ingratum & frustraneum est opus coram DEO castitas, stultè illi fecerunt. absit. DEVS autem hæc sua dona in nobis coronat. Parimodo dicendum est de obedientia. nam ex quo potestas secularis potestatem habet in res & bona temporalia, quia ipsa est custos legis Rom.13. Vndè omnes qui habent possessiones agrorum, villarum, domorum, vxoris, &c. subiecti sunt potestati ordinariæ in genere. qui autem horum nihil habent, nec vxorem, nec familiam, sed abdicauerunt se omnibus illis, & religionem intrārūt monasticam, ideò specialem prælatum habēt, cui obedientiam in specie vouent, absque tamen fraude & contemptu secularis potestatis. Est quoquè mulier ex ordinatione diuina sub obedientia viri in specie, tamen in genere sub ordinaria potestate magistratûs. Sic B. Virgo fuit sub potestate Ioannis, sed tamen etiam sub potestate magistratûs, Ioā.19. & Christus docet esse liberos filios dei, attamen nè scandalizet, dat didragma, Matt.17. Prætereà, cùm Regna & Respublicæ gaudeant de concessis sibi priuilegijs, regalibus & specialibus beneficētijs summorum Imperatorum, & illa conseruant studiosè, cur non etiam valebunt hæc priuilegia libertatis & immunitatis ex iure diuino & humano cōfirmata, quibus eximuntur à tali onere, quandò aliâs suos habēt superiores & prelatos? hęc igitur humilitas, qua quis propter Deum prælato suo obedit, res est Deo benè placens, & non erit sinè pręmio. At instant Sectarij: Nemo perfectè legem seruat, ergò non possunt super præcepta Dei fieri opera. RESPON. Quis est in mundo, qui opus aliquod bonum perfectè & absolutè faciat, orando, ieiunando, timendo Deum, diligendo proximum, &c. propter internā immunditiam? sed ergó ne cessandum ab omni opere bono, nec vllum pietatis genus exercendū? Non seruo ex integro precepta Dei, nec possum ex natura mea: ergò reijciam omnia opera, quia nihil ago cum ijs? absit vt ità insaniamus. ipse quoquè Iobus verebatur omnia opera bona, & hoc cōtra pręsumptionem. & Christus dicit, licèt omia feceritis, dicite, serui inutiles sumus &c. neq; verò ipsa opera supererogationis sunt super præcepta Dei, sed fiūt circa opera legis Dei, vt expeditiùs obseruētur illa, ac pleniùs ac perfectiùs fiant: & aliud est legē facere, & aliud perfectè & ex toto corde implere: alterum non est possibile in hac mortali vita, secundùm Augustinum, sed in futura vita erit dilectio ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus &cæt. Omninò ergò præferimus præcepta Dei omnibus pijs operibus, tanq nobiliora & potiora: & illorū obseruatio plùs obligat, q omnium operū ac votorum, inquit Gerson in tractatu de consilijs Euāgelicis primò, quia pcepta Dei per se sunt act9 virtu-

Iob 9.
Luc.17.

rum nobilissimarum: vota autem & nostra opera, sunt instrumenta & quasi dispositiones ad virtutem & vitam Christianam: Deindè, quia præcepta DEI sunt indispensabilia. non enim Papa nec angelus potest dispensare cōtra præcepta Dei. Vota autem omnia sunt dispensabilia. postremò, quia præcepta DEI sunt necessaria ad salutem, non autem sic vota. potest enim quis benè saluari, qui obseruat DEI præcepta sinè votis & operibus supererogationis. Obligatio ergò præceptorum DEI, plus est & valet, quàm omnia vota, & cæremoniæ. Non igitur opera supererogationis sunt nobiliora aut meliora, nec maius pręmium habēt, quàm præcepta DEI: sed solùm sunt media, quibus pleniùs, perfectiùs & expeditiùs eadem præcepta seruantur, licèt nemo intantùm glorietur se legem DEI perfectè seruare, etiam cùm seruantur cum operibus supererogatis, quandò scriptura omnes concludit sub peccato: nec illa, nec
Gal.3. etiam DEI præceptorum obseruantia, meretur iustificationem, quandò solum est vnicum opus propitiatorium. Esai.53. Posuit in eo solo iniquitatem omnium nostrûm. sed alia ingentia præmia secundùm promissiones legis Exod.20. Summa, si hoc staret argumentum hæreticorum, nemo seruat legem DEI, ergò supererogationis opera sunt vana & falsa, tunc nullus ordo atque religio fuisset DEO gratus, quod est falsum. At dices: si sunt opera ęrogationis, id est, si non præcepta opera sunt liberi spiritûs, licitè possunt retrocedere sinè peccato quandò voluerint? RESPON. Luc.9. Nemo ponens manum suam ad aratrum, & retrospiciens, &c. 1. Timoth.5. viduæ quę priorem fidem irritam fecerant, habent damnatiōem: sic Saphira & Ananias percutiuntur subita morte, Actorum 5. & Eccle-
Eccles.5 siastes: Si non voueris, non peccas: si autem vouisti, &cæt. Matth.5. Sit sermo tuus, est est, &c. nec vota sunt contra libertatem euangelicam, sicut nec baptismi aut matrimonij vota. libertas enim est à iustificatione, non ab obedientia & facto, si vouisti.

OBIECTIO SECTARIORVM, QVOD MONACHI ET clerici vendant secularibus bona opera. Cap. 20.

Dicunt aduersarij, magnam esse Monachorum & clericorum præsumptionem, quòd bona opera sua vendant tanquàm merita, quæ alios saluarent & iustificarent contra sanguinem CHRISTI, & dederunt desupèr literas & sigilla, atque erexerunt fraternitates, quandò tamen nullus est nec in mundo, nec in cælo, qui haberet aliquid superfluum de bonis suis operibus ad vendendum alijs, & cùm ipsi cogantur quotidiè orare, Miserere meî DEVS, & ipsimet indigeant iustitia, attamen alijs volunt vendere opera, tanquàm adeò pleni essent sanctitate &c. at quandò nullus eorum seruat legem DEI, quomodò suis operibus iuuabit alios? Error itaque est, quo seipsos decipiunt, quòd volunt per ea (id est, vota sua) iustificari, & alijs impartire &cæt.

RESPON. Ad primum dico, aduersarios ex mendaci odio, quo monachos & clericos apud populum traducant & inuidia onerent, fingunt illa verba de venditione bonorum operum, tanquàm essent institores vel mercatores, cùm tamen hoc nunquàm auditum sit. Scriptura docet de communione & distributione corporalium & spiritualium bonorum ex Christiana & fraterna dilectione, sicut ad Gala.6. dicit Paulus, Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. & 1. Corinth.9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si carnalia vestra metamus? quasi dicat, non. Ideò hic est Christiana & spiritualis permutatio seu commercium, non mercatura aut venditio, quandò spirituales Monachi in verbo laborantes ad vtilitatem proximi, docendo, orando, confitendo, audiendo confessionem, diù noctuque cantando, & laudando DEVM, &c. & pro communi statu Ecclesiæ deuotè Deum interpellādo. Insupèr si communicant clerici suas orationes, ieiunia & labores secularibus hominibus cęteris in rebus & curis occupatis, & si hoc est vendere, quandò cęteri laici communicant eleemosynam & temporalia, & participes se faciunt, & cupiunt illorū operibus frui, cur iubet CHRISTVS orare in plurali orationem Dominicam, Panem nostrum, & dimitte nobis debita nostra, & libera nos à malo? &c. cur propheta Psal.118. petijt, dicens: Particeps sum ego omnium timentium te, & custodientium manda-

mandata tua? Ordinauit ergò hoc Dominus, inquit Apostolus 1. Corinth. 9. his qui Euangelium annunciant, de euangelio viuere, & 2. Timoth 2. dicit, Nemo militans DEO, implicat se negocijs secularibus, vt ei placeat cui se probauit. & DEVS alia via ordinauit in laboribus Euangelij & ministerij verbi vel perpetuæ orationis existentibus stipendium. ideò iustè recipiũt temporalia in tali Christiana permutatione. Sed non potest dici venditio. Veteres enim duxerunt, bonum esse & pietatis opus, quotidiè diù noctuque DEO pro communi populo supplicare, laudare Deum, orare, studere, vt Apostolus docet 1. Timoth. 2. fieri orationem pro magistratibus & omni statu mundi, &c. è diuersò, ipsi libera voluntate & spiritu clericis seu monachis vicissim obtulerunt quæcunque potuerunt de bonis temporalibus sinè omni cauponia aut conditione venditionis, dederuntque in vsum illorum agros, villas, domos, vineas, census pecuniarum ad sustentationem cõfratrum suorum, pro communi Ecclesia, magistratu, populo ac rusticis sinè intermissione laborantium: & hæc pia consuetudo iam à multis annorum centenarijs in Ecclesia recepta, approbata & honesta habita est ab omnibus fidelibus, exceptis hæreticis & sacrilegis, qui non solùm ea quæ DEO & cultui diuino semel consecrata & legata erant à pijs fundatoribus, scelerata temeritate rapiunt, monasteria & Ecclesias spoliant, sed personas etiam expellunt. Sed parùm proficient, sed manebit ipsos sua pœna, &cæt. At, inquies, monachi & clerici abutuntur istis bonis Ecclesię, crapulantur, ociantur, non student, nec prædicant, &c. RESPON.

Scriptura dicit per prophetam Hieremi-
Iere. 48. am, Maledictus qui facit opus Domini
fraudulenter. & Esai. 1. Vinum & cithara in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, &cæt. & iterùm, qui dereliquerunt Dominum, consumentur &cæ. ideò nec nos tales personas, si quæ sunt, excusamus, sed potiùs cum scriptura iudicamus. dicit enim ipse CHRISTVS Mat. 23. Væ vobis qui deuoratis domus viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium. Sed quia abusus non tollit substantiam ipsam, vel effectum aut institutum pij operis, ideò Sectarij & sacrilegi homines quicunque illi sunt, habent nullam excusationem inuadendi aut denegandi bona Ecclesiæ.

Falsum est prætereà quòd obijciunt, opera vendita esse tanquàm merita salutis & iustificationis contra CHRISTI sanguinem, quandò scimus & fatemur esse vnicum solum opus propitiatorium, Esai. 53. Nec ea intentione venduntur, tanquàm supersint nobis bona opera, quandò non est hîc aliqua venditio, sed spiritualis & fraterna commutatio: nec ideò fit talis commutatio, quasi nobis supersint bona opera, quibus ipsi non indigeamus: scimus enim quid S Petrus dicat 1. Pet. 4. iustus quidem vix saluabitur at nemo se æstimat iustum, aut quòd sibi superfluant bona opera. ideò vendere nolebant sapientes virginès fatuis de oleo suo, dicentes, nè nobis & vobis deficiat, &cæt. Matth. 25. & ideò omnes clamamus ad DEVM patrem, Pater noster, dimitte nobis debita nostra, & miserere mei Deus. Non igitur talis commutatio fit super eiusmodi abundantibus operibus aut sanctitate, nec hoc fundamentum est, sed ipsa DEI ordinatio & iussio, sicut Apostolus dicit 1. Corinth. 9. DEVS ordinauit, vt qui annunciant euangelium, de euãgelio &cæt. & Luc. 10. Dignus est operarius sua mercede. Hoc est fundamentum nostrum. Ad id autem quod aiunt Sectarij, neminem seruare legem, dicimus: si hoc argumentum staret, nemo poterit pro alio orare, & frustrà daretur eleemosyna &cæt. Nam nemo sic perfectè orat, nec tam deuotè & sinè euagatione mentis & cum pura conscientia, sicut deberet orare, nec tam liberè dat Eleemosynam, quin auara manu faciat, aut vt videatur à populo &cæt. Si ergò non esset orandum nisi ità, vt deberet, nunquàm quis oraret, vel eleemosynam daret. Prætereà quandò DEVS est scrutator cordium, & scit quòd humana fragilitas non ex toto corde seruat legem, cur promittit prę̃mia pro operib' quæ imperfecta sunt, & non solùm facientibus, sed etiam alijs? nam dicit Exo. 20. quòd in millia vult facere benedictionem, si parentes seruauerint præceptum, &cæ. An putas quòd orationes & eleemosynæ Cornelij Actor. 10. ità fuerint omninò perfectæ, vt non indigerent misericordia? minimè. Nam & ipse homo erat & proselyta. attamen placuerunt DEO orationes & eleemosynæ ipsius, cùm illi diceretur ab Angelo: Corneli, orationes tuæ & eleemosynæ ascẽderunt in memoriam coram Deo. Sic quoquè Tobiæ & aliorũ sanctorũ bona opera

DEVS

Deus respexit & exaudiuit. Nemo verò vnquàm sic præsumpsit, quasi sua opera ità essent perfecta, vt non indigeant misericordia: attamen certissimum est, illa etiam alijs profuisse. nam Apostolus petijt suffragia & orationes Corinthiorum, & dicit se ereptum è multis periculis propter orationem illorum, 2. Corinth. 1. Sed hæc vtilitas orationum, quam Paulus experiebatur, vtrùm fuit ex superfluis bonis operibus Corinthiorũ, an potiùs ex obedientia qua Corinthij diuino obediebant præcepto, quo alter pro altero docetur orare Matth. 6? Non igitur fundamus nos super nostra bona opera aut superogationem operum. Sed quoniam DEVS sic ordinauit, & magis pensitat cor & animum, quàm ipsum actum operum. Deindè quòd afferunt Sectarij, paupertatem esse omnibus præceptam propter Euangelium, si necessitas requirat, sic castitatem omnibus, qui extra matrimonium viuũt, atque obedientiam similiter &c. & aiunt, ideò monachos nihil noui habere quod vendere possint alijs &c. Hìc quidem illi necessitatem præcepto affigunt. exempli gratia, si necessè est, debeo propter Euangelium relinquere omnem substantiam meam & paupertatem colere, & vbi non fuerit necessè, retinebo. At si quis etiam extra necessitatem & vltrò propter Euangelium relinquit omnia, sicut fecerũt apostoli & CHRISTVS ipse, an putas quòd ille malè aut frustrà fecit? vel nũquid Christus aut Apostoli ex necessitate reliquerunt omnia? non puto. Haud enim dicit Christus, Vos qui cùm necessè erat reliquistis omnia, centuplum accipietis &cæ. Matt. 19. nec qui ex necessitate seruat castitatem, obedientiam, &c. sed simpliciter dicit, Vos qui reliquistis omnia &cæt. Et iterùm alibi, Omnis qui propter nomẽ meum, propter Euangelium &cæ. Si ergò illa commutatio est venditio, Ergò & ipsi vendunt verbum Dei, Sacramenta, &cæt. sicut in omnibus angulis etiam ipsi piscantur denarios, ad conseruandum verbum Dei scilicet, vti præ se ferunt. Et vbi pauperes sacerdotes ac monachi stipes aut grossos, ipsi taleros exigunt.

DEFENSIO VITAE MONASTICAE, ET QVARE IN cucullis sepeliantur. Cap. 21.

ARGVMENT. SECTARIORVM.

Omnes monastici ordines pontificiorum, sunt Sectæ nociuæ Christianis, quæ decipiunt in specie sanctitatis & vestitu pharisaico simplices, quasi in eo consistat iustificatio. Deindè falsa ipsorum doctrina, qua asserunt homines semper dubitare debere de remissione peccatorum, priuat conscientiam omni consolatione de CHRISTO: prætereà ità extollunt bona opera, vt doceant, si post mortem sepulti fuerint in cucullis, eos remissionem peccatorum mereturos esse: at si hæc vera sunt, vbi manet Christi passio? RESPON. Ad primum dicimus, quòd sectam non facit vestitus, nec cibus, nec locus solitarius, nec disciplina vitæ sub certis constitutionibus: Sed sectam facit discessio à fide cõmuni seu Catholica. est enim sola vna fides Christianorum. Ephe. 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus: quicunque ergò vult saluari, eum oportet esse sub illa vnitate fidei in Christum Iesum, qui Christus nõ est author nec fautor dissensionis, sed pacis, quam nobis totiès cõmendauit, & patrem orauit cælestem, vt vnum simus, sicut & ipse cum patre vnus est, & Apostolus ait Galat. 3. Vos omnes vnum estis in CHRISTO, siue sit vir aut mulier, ex illius plenitudine, id est, Christi accipietis omnes. Est autem breuiter hęc communis & Catholica fides sola & vna omnium saluandorum, credere quòd propter filium DEI placeamus, id est, accipiamus remissionem peccatorum & salutem, gratiam Spiritussancti, & non propter opera nostra. Galat. 2. si ex lege iustitia, CHRISTVS frustrà mortuus est. Iudæi verò statuunt propriam iustitiam, Roma. 10. Sic ab initio fuit vna fides, in qua saluati sunt & saluabuntur omnes, & licèt in quibusdam sanctis fortior & amplior fuit fides, non tamen alia est ab illa: & quia ex æquo omnes homines fideles vnam habent fidem, sic ex æquo omnes gratiam baptismi & remissionem per absolutionem accipiunt: non alius accipit meliorem aut nobiliorem gratiam, quàm alius: in hac enim fide omnes pares sumus. Quicunque ergò in hac communi fide cum alijs conuenit & concordat, licèt gerat vestitum qualemcunque, (nam & Iohannes Baptista vestitum ex cameli exuuijs gessit, nec Sectarius fuit) ille non facit Sectam, sed sectam facit, vt dixi, discessio & dissensio in tali communi fide, quandò quis

do quis aliter sentit de merito Christi & operibus nostris, quàm Ecclesia Catholica sentit, sicut dicit Augustinus super Iohann.cap.10. Omnis hæreticus prædicat CHRISTVM qualem sibi fingit, non qualem fides Catholica habet. Arrius docuit, solùm Christum esse hominem, non Deum &cæ. Item, quicunque diuersè sentiunt de sacramentis fidei nostræ, illi quoquè sunt hæretici, vt qui negant & auferunt Baptismum paruulis, & qui Eucharistiam altaris esse sacrificium, quique pœnitentiam non minùs necessariam quàm fidem, qui negant Cõfirmationem, Ordinem, Matrimonium & vnctionem esse sacramenta: sic in fundamento & rebus fidei de CHRISTO & eius persona & operibus, & circa numerum & definitionem sacramentorum dissentire à communi Ecclesiæ fide, facit manifestum hæreticum & Sectarium, & tales excludit à regno cælorum, iuxta Pauli sententiam, Galat.5. Sectæ regnum DEI non possidebunt: & ipse sanctus confessor Athanasius testatus est, vt quicunque saluus esse velit, hic vt teneat Catholicam fidem necessè est. Quoniam autem omnes omnium ordinum Monachi vnam & eandem Catholicam fidem de CHRISTO & Sacramentis & communibus Ecclesiæ dogmatibus teneant ac doceant, non vitæ suæ monasticę genus tãquàm causam iustificationis tenent, sed potiùs eiusdem in Baptismo appræhensæ, antequàm monachi fierent, retentionis causam, & vt ità fidem suam exerceant, circa Euangelij doctrinam viuant & laborent &cæt. Exigit Deus ab hominibus vnam & eandem fidem, sed non vnam eandemque vocationem vel officium: sic sunt in populo Dei varij stat[us], magistratus, mechanici, laici, doctores, monachi seu Eremitæ, viduæ, coniuges, virgines, &c. omnes tamen sub vna fide communis Ecclesiæ commissa sibi agũt officia, prout quisque vocatus est, & vnusquisque manere debet in sua vocatione, 1.Corinth.7. Aliud igitur est fides Catholica in Christum, aliud vocatio seu officium: vocatio ergò si est licita, tunc rectè exercetur sub vnitate fidei: at monasticum institutum ad legem Euangelicam, nempè ad volũtariam paupertatem, castitatem, obedientiam, castigationem carnis, ad iugem orationem, cultum diuinum & ministerium verbi vel docẽdo vel scribendo refertur, illa autem omnia habent suas promissiones. quis igitur hanc licitam esse & salutarem vocatiõem negabit, & carere suis præmijs affirmabit? quis culpabit hunc statum, qui à prophetis, à præcursore CHRISTI, & alijs sanctissimis & miraculosa facientibus suam habet originem, antiquitatem, commendationem, atque approbationem ab vniuersa Ecclesia, culpabit aut vexabit? Nemo nisi hæreticus aut apostata. Sciunt enim omnes religiosi, nec cucullam, nec rigorem disciplinæ aut victûs, nec vota ipsorum esse instituta à suis authoribus ad merendam iustificationem, aut cælum impetrandum, sed vt acceptam iustificationem ac beneficium CHRISTI, gratis ipsis in Baptismo collatum, ad consequendam vitam æternam fideliùs retinere & custodire possint: non enim illa, sed vnicum CHRISTI opus propitiatorium meretur vitam æternam. Esai.53.1.Iohan.2. De corruptelis autem morum & abusuum iam non est disceptandi locus: vitium enim personæ non tollit statum. ¶Deindè quòd obijciunt, doctrinam monachorum esse, vt dubitare debeant homines de remissione peccatorum, & de illo articulo fidei, Credo remissionem peccatorum &cæt. impudens est mendacium. Est enim hoc generale DEI præceptum, credere articulis fidei, & in Iesum Christum filium eius, 1.Iohann.3. Vt ergò hæc fides sit certa, idcò habet certas promissiones Dei de remissione peccatorum: & qui non certò credit promissionibus, hic DEVM mendacem facit, 1.Iohan.5. Promittit autem DEVS remissionem peccatorum propter nomen CHRISTI, Luc.vlti. & Actor.10. Spiritum sanctum, & vitam æternam, Iohann.3. Hæc enim præcipua & singularis est consolatio turbatæ conscientiæ, quòd DEVS promisit se propter CHRISTVM filium suum nobis velle distribuere gratuitò iustificationem & salutem, & non propter vlla opera aut statum vitæ alicuius, quatenùs conscientia nostra sit secura, Rom.4. Nam si DEVS propter opera mea vellet dare salutem, & hæc penderet à nostris operibus, cùm lex semper accusat cõscíẽtiam & iram operatur, Rom.4. tũ conscientia nũquàm esset certa & secura de salute. Vt igitur certa esset, transtulit Deus certitudinem in personam Christi, & non in nostra opera: ideò certò debeo credere remissionem peccatorum in Christo, & non dubitare. Sed inquies: Nihil ergò impediunt hanc remissionem peccata? an solùm

lum sufficit, credere promissioni DEI de remittendo peccatis? Absit: Nam duo illa separari nolunt, fides in promissionem, & conscientia bona, de qua 1. Timoth. 1. Qui ergò in peccatis contra conscientiam & apertam DEI legem viuit, & inquinatur, hic certò scire debet, quòd tam diù, cùm hæc facit, sit in ira DEI, & indignus illa promissione, ac nisi conuertatur, cesset & pœniteat, ipsum damnari. Sic enim ait Apostolus 1. Ioan. 3. Qui peccat, ex diabolo est, id est, sub illius potestate. Gala. 5. manifesta sunt opera carnis, id est, cõtra legem Dei, & qui talia faciunt, regnũ Dei nõ possidebũt. Qui igitur in tali criminosa vita pergit sinè pœnitẽtia, illius fides non est capax promissionis diuinæ. ideò dicit Io-
1. Iohã. 3. hann. Omnis qui in eo manet, non peccat, id est, conscientia bona & fide in Chri-
Ibid. stum. & omnis qui peccat, id est, conscientiam habens malam, non videt eum nec cognouit. filioli, nemo vos seducat. qui facit iustitiam, id est, qui habet bonam conscientiam & fidem, hic iustus est, id est, appræhendit promissionem de CHRISTO per fidem. Et in hunc finem patres docuerunt timorem circa fidem, non autem dubitationem in fide impetrandæ remissionis, sicut 1. Corinth. 4. Apostolus ait, Nihil mihi conscius sum. de nulla dubitatione scio vel peccato, quod arguat conscientiam meam. attamen timet, dicens: Sed non in hoc iustificatus sum, id est, coram DEO. Dominus est qui me iudicat. Sic scriptura communiter iungit fidem & timorem. Psalm. 134. Qui timetis Dominum, benedicite nomini eius. & Psal. 21. Qui timetis Dominum, laudate eum.
Pro. 28. Et Salomon: Beatus homo qui semper est pauidus. Matth. 10. Timete eum, qui potest & animam & corpus mittere in gehẽnam &cæt. Timere igitur DEVM ex fide, & dubitare de fide, admodùm differunt. Quod autem dicitur Eccles. 9. Nescit homo finem suum, & vtrùm amore an odio dignus sit, &c. exponit Lyranus super illum textum, quòd sit intelligendum de naturali modo & via, quemadmodùm homo naturali ratione nescit de fine suo: at quandò promissio diuina, Euangelium & verbum DEI nos certificant propter CHRISTVM de remissione peccatorum, ideò promissio quam fides tenet, tollit dubitationem: ob id certò credimus promissioni DEI in Euangelio factæ: nam fides est substantia, id est, fiducia certa consequendæ salutis, promissæ propter CHRISTVM, Heb. 11. Item docuerunt patres timorem contra temerarios, præsumentes & securos de beatitudine & salute, 1. Iohann. 3. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM, & quicquid petierimus, &cæt. sed planè hæretico more faciunt aduersarij, asserentes coram populo de dubitando & non timendo, quemadmodùm Pharisæi inuerterunt verba CHRISTI, & eum falsò traducebant, cùm diceret se templum hoc destructurum esse, & in triduo reædificaturum, &c. dubitare enim de remissione peccatorum eum, qui pœnitentiam agit, est tollere & negare articulum fidei, Credo remissionem &cæt. & inanire Euangelium: timor autem Domini sanctus est, id est, sanctos efficit homines. Humana ergò seu naturali via ignorat homo, vtrùm dignus sit amore an odio, non autem ratione fidei. Fides enim transcendit omnem rationem humanam &cæt. Falsum prætereà est, quòd grauant hæretici monachos tali mendacio, quasi ex vestitu cucullæ, quem vsque in sepulcrum deducunt, mereantur remissionem peccatorum. Induitur sacerdos vestimentis sacerdotalibus, & Episcopus Episcopalibus in sepulcro, Cæsar Cæsareis vestibus & armis sepelitur, virgo in albis & crinili &cæt. sed nemo est qui dicit, propterea vel Episcopum vel Cæsarem aut reliquos mereri remissionem peccatorum vel cælum, cùm sola CHRISTI mors saluet omnes: Ista verò aliud quiddam designant, sicut & monumenta sepulcrorum, suspensio clypeorum, &cæt. At quòd quidam seculares homines totam vitam suam consumpserunt in enormibus peccatis, luxuria, adulterio, rapina, auaritia, homicidio &c. & tandèm cùm pœnituerint, cupiunt & mandant se in abiecto vestitûs genere seu monastico sepeliri, vt declarent toti mundo se veram animi contritionem habuisse, humiliationem spiritûs & dignam pœnitentiam pro admissis peccatis, & veram fiduciam in DEVM de impetrãda remissione peccatorum suorum. Fides enim vera in CHRISTVM, habens adiunctam pœnitẽtiam, si in his aliquis moriatur, tollit peccatum, & impetrat remissionem peccatorum. Igitur istius fidei cuculla solùm signum est, non causa efficiens remissionis peccatorum &cæt. sicut vestis nigra, signum contristati & lugentis animi. Præterea, quandò docet scriptura, quòd eti-

am dimissa culpa DEVS adhuc pœnam temporariam exigit pro admisso peccato. Sic DEVS condonauit culpam Mosi & Aaroni, quam meruerunt iuxta aquas cōtradictionis, Num. 20. attamen pro pœna priuantur ingressu terræ promissæ. & 1. Reg. 12. peccatū adulterij dimittitur Dauidi, attamen filius moritur. Sic Zachariæ dubitatio condonatur, Luc. 1. attamen pro pœna loquela priuatur: & canones pro vno peccato mortali septē annos imponunt. Porrò quandò huiusmodi pœnæ pro peccatis mitigantur varijs medijs aut propria austeritate, vt Niniuitæ fecerunt in Iona propheta, aut largitione eleemosynarum, Luc. 11. aut authoritate pontificis, Matth. 16. Tibi trado claues regni cælorum: hac authoritate indulgentias concessit à pœnis peccatorum, & non à culpa. igitur ad illam indulgētiam pœnarum valet etiam voluntaria humiliatio ad induendam cucullam in sepulcro, sicut humiliatio Niniuitarum eis profuit ad placandam iram DEI. Nemo tamen sanus docet, remissionem peccatorum cōsistere in cuculla, sicut nec in alba vel nigra veste, sed signa sunt externa, quæ declarant & testantur in illo homine veram fuisse fidem, humiliationem, pœnitentiam, & propriam punitionem, sicut pœnitentes in scriptura se sacco induerunt.

QVOMODO SECTARII DEFINIANT BONA OPERA, ET quomodò Catholici. Cap. 22.

Sectarij, & præcipuè Luterani, sic definiūt passim in suis postillis bona opera, quòd ideò bona vocantur opera, quòd commodāt & vsui sunt proximo nostro, qualia CHRISTVS recenset Matth. 25. Nudus fui, & operuistis me: hospes fui, & collegistis me. &cæt. hæc enim in extremo iudicio DEVS commemorabit, & in his seruitur Deo & proximo: cui commodant & cui vtilia sunt, inquiunt, papistarum opera, fundare & ædificare tot templa & monasteria, totis diebus & noctibus canere, omnia in templis auro & argento replere, organizare, tot Missas, exequias, processiones cum vexillis facere, monasticam vitam suscipere, &c. hæc nunquid proximo prosunt? non ergò sunt bona opera. RESPON. Hęretici ex falsa definitione falsa inferunt. pari enim rationis absurditate posset dici: Salomon ædificauit templum auro & argento repletum, sed hoc non profuit proximo, ergò Salomon nō fecit bonum opus, item in ciuitate Misnia diù noctuque sinè vlla intermissione cantari solitum est, sed hoc nulli profuit: & quòd Rechabitæ abstinuerunt à potu vini, quòd Iohannes Baptista in eremo vixit, quòd Magdalena effudit preciosum vnguentum ad inungendum CHRISTVM, quòd Dauid ante arcam saltauit, quòd sancti manserunt in perpetua virginitate, quòd omia sua bona reliquerunt, & voluntariæ paupertati se deuouerunt, quòd se castigārunt, &c. hæc & similia proximo non prosunt, ergò non sunt bona opera. ô perniciosum hæreticorum mendacium. Dicitur autem primò hoc bonum opus, quod fit à bono & iusto iam per fidem iustificato. Matth. 7. Arbor bona fructus bonos facit &c. sic fides primò iustificat, & bonam facit personam, & deindè sequuntur bona opera: Deindè bona opera sunt duplicia, interiora & exteriora: interiora & nobiliora sunt, fides, spes, charitas, timor Dei, & virtuosi fructus, quos operatur Spiritussanctus, qui & ipse in iustificatione per fidem veluti donum in gratia donatur, Rom. 5. præcedit enim beneficium CHRISTI, id est, gratia propter CHRISTVM promissa & concessa, quam fides gratis in baptismo apprehendit: Deindè donatur donum, id est, Spiritussanctus cum suis fructibus, & hæc sunt interiora bona opera & spiritualia, quia à Spiritusancto efficiuntur in homine, sed tamen non iustificant, sed retinent iustificationem cum externis operibus: opera bona externa sunt actualia, & comprehenduntur sub Decalogo, Exod. 20. Sicut quoquè sunt ieiunium, eleemosyna, vigilia, oratio, cultus DEI, religio, &c. differunt autem interna & externa, sicut aurum, argentum, lapides preciosi. cæremoniarum verò opera fiunt in laudem & honorē Dei, ad decorem & ordinem cultûs diuini. Porrò duplex cultus seu opus bonum notatur in scriptura: vnum tendit suprà ad personam DEI, alterum ad inferiora, id est, imaginem DEI, quæ est quilibet homo seu proximus noster. Sic Dauid ordinauit cantores sacerdotes, qui quotidiè DEO laudes canebant, 1. Paralip. 16. Sic ipsemet consurgit in media nocte, & septiès in die laudes DEO canit, Psal. 118. sic Anna die noctuque seruiebat Deo ieiunijs & orationibus, Luc. 2. sic Zacharias iubet Deo ser-

d uire

uire in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus noſtris pro beneficio Incaruationis & redemptionis noſtræ, Luc.1. Sic prætereà ſpirituales motus & meditationes in DEVM, oratio, innocatio, laudatio, timor DEI, dilectio, &cæt. an non ſunt cultus Dei? Eſt igitur hic cultus Dei præceptus, & computatur inter bona opera. Alius verò cultus tendit ad imaginem DEI, id eſt, hominem ſeu proximum noſtrum: & hoc eſt aliud nihil, niſi exercere officium & præceptum diuinum erga proximum: ſic ſunt officia publica, magiſtratus, prædicatio verbi DEI ad populum, &cæt. ſic præcepta & opera miſericordiæ erga proximum, Matth.25. Sic qui proprium corpus caſtigat ieiunijs, vigilijs, &cæt. ſic laici & mechanici iuſtitiam & veritatem alius erga alium exercentes, &cæt. Licèt autem DEVS bonorum noſtrorum non indigeat, & ille gratìs nos iuſtificet propter perſonam filij ſui per fidem, Roma.3. Deindè quia vult vt ſolus ipſe glorificetur, & gloria gratiæ ſuæ à nobis amplificetur, Epheſ.1. tamen neceſſariò iu iuſtificato ſequi debent bona opera, obedientia legis, timor, oratio, ieiunium, &cæt. &
I. hoc multis de cauſis, quarum prima eſt, neceſſitas retinendæ gratiæ iuſtificationis, ac efficacia ſanguinis CHRISTI in nobis. Nam ilicò poſtquàm peccauimus contra conſcientiam & manifeſtam legem DEI ſinè pœnitentia, amittimus gratiam, fidem, Spiritumſanctum, & iuſtificationem. 1. Iohann.3. Qui peccat, ex diabolo eſt. Roma.8. Si ſecundùm carnem vixeritis, &c. 1. Corinth.6. Galat.5. Epheſ. 5. Qui talia agunt, regnum DEI non poſſidebunt, &cæt. ſic Adam non retinuit iuſtitiam originalem propter inobedientiam, Geneſ.3. Similiter & Saul 1. Reg.15. & Iudas propter deſperationem. ſic eijciuntur angeli de cælo, Eſai.14. Sic leproſi propter ingratitudinis vitium damnantur: ideò Apoſtolus admonet, dicens 2. Corinth.6. Hortamur vos, nè in vacuum gratiam DEI recipiatis. Neceſſaria igitur ſunt bona opera ad retentionem iu-
II. ſtificationis. Secunda cauſa eſt ipſa obedientia quam DEO debemus. DEVS enim præcipit facere bona opera. Matth. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus &c. & 1. Theſ.4. Hæc eſt voluntas DEI, veſtra ſanctificatio. ſic Matth.7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &cæt. Epheſ.2. conditi ad bona opera: præcepit enim DEVS hæc ipſa, non vt mereamur ſalutem de nouo, quæ iam ſemel promerita eſt per CHRISTVM, ſed ad gratiarum actionem, laudem DEI, Philipp.1. repleti fructu iuſtitiæ ad laudem DEI.

Tertia cauſa eſt neceſſitas vitandi pœ- III.
nas, eò quòd DEVS non relinquit impunitum peccatum in hac & poſt hanc vitam. vndè enim infirmitates variæ, bella, fames, peſtilitas, niſi propter peccata? nam minatur DEVS ſe velle punire & vindicare peccata parentum in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. Leuit. 26. Deuteron.28. & diluuium docet iuſtam DEI punitionem propter peccata Geneſ. 7. Item Sodomitarum conflagratio, Dauidis peccatum, Salomonis idololatria,
&cæt. Quarta cauſa eſt, ingens præmio- IIII.
rum promiſſio. Nam tametſi verum eſt, quòd propter nullum opus aut virtutem perſona habeat remiſſionem peccatorum, & quòd non ſatisfacit legi. ſemper enim lex accuſat conſcientiam & iram operatur, Roma.4. Sed ſolùm contingit propter perſonam & opera CHRISTI: hanc fidem oportet ſemper prælucere, quæ ſtatuit nos propter filium DEI placere, attamen in reconciliatis placent bona opera, eò quòd perſona primùm placet propter fidem in CHRISTVM: ideò opera noſtra conſequuntur ingentia præmia, ſpiritualia & corporalia, in hac & poſt hanc vitam ſecundùm gradus etiam laborum. 1. Corinth.3. Vnuſquiſque mercedem accipiet &cæt. & 1. Corinth.15. Sicut ſtella differt à ſtella in claritate & magnitudine. 1. Timoth.4. Pietas ad omnia vtilis. Marci 10. Recipient centuplum in hac & poſt hanc vitam. ſunt enim duplices promiſſiones, nempè Euangelij & legis. Euangelium promittit propter perſonam CHRISTI credenti remiſſionem peccatorum, Luc. vltim. Spiritumſanctum, Iohann.14. & vitam æternam, Iohann.3. Hæc non cadunt ſub merito humano, ſed fides gratìs appræhendit propter nomen CHRISTI. Rom.6. Gratia vel donum DEI vita æterna in Domino IESV CHRISTO. Promiſſiones verò legis ſunt varia & alia dona ab his, quæ lex ipſa exprimit Exod.20. Leuit.26. Ideò cùm omnia opera præcepta, aut quæ nos facere debemus, comprælrenduntur ſub lege, & lex habet promiſſa prǣmia, ergò hęc quoquè nos in-
uitare debent &cæt. Quinta cauſa eſt V.
dignitas bonorum operum, quòd ipſa DEO placent, tanquàm bona bono, à nobis licèt peccatoribus profecta. Sic placuit

cuit Abelis sacrificium DEO, Genes.4. & Abrahæ immolatio filij, Genes. 22. & orationes & eleemosynæ Cornelij, Acto. 10. ieiunium Hester, humilitas Iudith, &cæt. Gaudent quoquè hoc titulo bona opera, quòd vocantur sacrificia, hoc est, veri honores, quibus DEVS maximè delectatur. Hebr.13. Beneficentiæ & communionis nè obliuiscamini. talibus enim hostijs placetur DEO. & 1.Petr.2. dicitur quòd sumus spirituale sacerdotium, ordinati ad spirituales hostias offerendas.

VI. Sexta, quia opera bona sunt signa & sacramenta diuinæ voluntatis. Luc.6. Remittite, & remittetur vobis, &cæt. idque non propter nostram condonationem. Nam sic nunquàm quiesceret conscientia, quandò scire non possumus, quandò satis condonauimus. ideò sic sunt signa, quatenus admoneant condonationis diuinæ.

VII. Septima causa est, vt fides crescat in interiori homine, & foris corrumpatur externus homo in carne, sicut docet Apostolus 2.Corinth.4. quandò corrumpitur externus homo, id est, superbia, luxuria, inuidia, &cæt. tunc crescit internus, id est, castitas, dilectio, humilitas, eleemosyna, &cæt. Sic contraria contrarijs curantur. Quanuis autem sanguis CHRISTI sit causa efficiens nostræ iustificationis & salutis, exigit tamen DEVS necessariò opera nostra, vt fidem sequantur ad suam gloriam & gratiarum actionem accepti beneficij, & sic coronat sua dona. At dices, Cur ergò CHRISTVS promittit operibus vitam æternam, si propter CHRISTVM datur? RESPON. CHRISTVS semel tribuit operibus vitam æternam, & semel hæc eadem tribuitur personæ CHRISTI. Marc.10. Centuplum accipietis in hac vita, & post illam vitam æternam. 1.Timoth.4. Pietas promissionem habet vitæ præsentis & futuræ, è diuerso dicitur Iohan.3. Omnis qui credit in filium, non pereat, sed habeat vitam æternam. Roma.8. Non sunt condignæ passiones &c. Rom.6. Gratia siue donum DEI vita æterna. Sed an hæc contraria sunt? DEVS promittit vitam æternam operibus, & tamen propter CHRISTVM dat, & non propter opera: hæc sic sunt distinguenda: Aliud est, mereri vitam æternam suis operibus? & aliud est, appræhendere & retinere distributam salutē. sic CHRISTVS solo sanguine suo meruit, ideò illi tribuitur salus: at quoniam nos illa appræhendere ad nostram vtilitatem oportet, ideò fidei tribuitur appræhensio, sed dilectioni & illius operibus, id est, obedientiæ legis ipsa retentio: hæc tanquàm media, non merita sunt, quibus appræhendimus & retinemus CHRISTI meritum, quandò salus & vita æterna asscribitur bonis operibus, hoc fit propter alienum, id est, CHRISTI meritum, quod nostris operibus superadditur ex gratia, qua coronantur & compensantur, licèt ob alium finem donetur salus, id est, propter Christum.

DE CONFIDENTIA REMISSIONIS PECCATORUM. Cap. 23.

Liber Imperialis docet de confidentia remissiōis peccatorum attendendum esse & cauendum, nè homines nimìs securos reddamus, & nè sibijpsis nimiùm confidant, & è diuerso, nè per seueritatem aut austeritatem comminationum in desperationem veniant. ideò inquit Apostolus 1.Corint. 4. quanuis nihil mihi conscius sum, in hoc tamen iustificatus non sum: qui autem me iudicat, Dominus est, &cæt. Tunc autem homines fiunt nimis securi, quandò semper sola fides & promissio gratuita illis prædicatur, & nunquàm aut rarò lex proponitur: & econtrà tunc animi ipsorum in desperationem veniunt, quandò semper & sola lex cum suis minis prædicatur sinè consolatione fidei & Euangelij. Necessariò igitur ad vtrunque malum vitandum, vtrunq;, hoc est, tam lex, quàm Euangelium, docendum & inculcandum est: primò quidem lex, qua docetur seuera ira iudicij DEI, qua minatur transgressoribus præceptorum suorum punitionem in tertiam & quartam generationem. Exo.20. Sic quoquè ait Baptista Iohannes: Securis ad radicem arborum posita est, Matt.3. omnis ergò arbor quæ non facit fructum bonum, excindetur, &cæt. Sic comminatur Euangelica scriptura tenebras exteriores, fletum, & stridorem dentium, Matt. 8.13.22.24.25. Luc.13. & Matth.7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui fecerit voluntatem patris mei, &cæt. Hæc & similia tollunt nimiam securitatem, nè homo se nimiùm efferat, & putet DEVM cogi vt saluet, quia promisit propter Christum credentibus regnum cælorum: Christus autem docet & iubet prædicari in Luc.24. homi-

nomine eius pœnitentiam, & deindè remissionem. Ideò prædicationi legis & pœnitentiæ semper annecti debet ipsa misericordia DEI, quæ nobis est promissa propter meritum passionis CHRISTI, sicut docet Euangelium, propter sanguinem CHRISTI, nostri velle misereri DEVM, & dare vitam æternam &cæt. & hoc certò credere oportet, & sic fides nostra roboratur, & solatur se homo in tentatione desperationis, vt quicquid lex suis minis & seueritate terroris incusserit, id promissa misericordia leniat & consoletur conscientiam: quicunque ergò contrito corde per fidem se erigit in promissam misericordiam, hic liberatur à desperatione: sed qui sinè pœnitentia gloriantur tantùm in fide & gratia, illi præsumptuosè faciunt & peccant. Deindè quanuis homo propter infirmitatem & insufficientiam suam ex corruptione naturæ non possit non dubitare aliquandò, nec certò credere, quòd sibi remissa sint peccata, non quòd huiusmodi dubitatio sit de natura vel substantia fidei, sed quia est ex humana infirmitate, & corruptæ naturæ in nobis inhærens incredulitas: non tamen dubitare debet homo, sed in virtute verbi DEI omnem spem ac fidutiam collocare & fundare, nempè in preciosum sanguinem CHRISTI pro nobis credentibus effusum: quandocunquè igitur naturalis dubitatio nos tentat, quasi non possimus consequi remissionem peccatorum & salutem, tunc statìm nos erigere in fide, & nos reficere in sanguine & merito CHRISTI, & in eo totaliter & firmiter confidere ac quiescere debemus: & vt hoc faciamus, dedit nobis DEVS spiritum sanctum, qui testimonium perhibet spiritui nostro, quoniam filij DEI sumus, Romanorum octauo capite. Porrò fides non est fundata super nostram infusam iustitiam, opera, fructus Spiritus sancti, &cæt. Sed super gratuitam, firmam, & certam promissionem DEI, & super meritum filij eius IESV CHRISTI, quatenùs remissio peccatorum firma sit per fidem, & quatenùs fideles in iudicio Dei, quandò ipsos peccata eorum & indignatio diuina terret, subsistere queant: nam ideò oportet iustitiam venire per fidem, id est, à mera gratia, vt promissio sit certa & firma, Rom. quarto capite, & peccator per promissionem Dei cōsolationem habeat: nam omnes promissiones DEI sunt affirmatiuæ de CHRISTO, & impossibile est DEVM mentiri posse, qui est summa veritas, Iohannis decimo quarto capite. Qui ergò dubitat de promissis, id est, de remissione peccatorum & salute consequenda, hic DEVM mendacem facit, & talis dubitatio est perniciosa incredulitas. Obijciunt sectarij, nos omnia eò trahere, quatenùs fideles non sint certi de remissione peccatorum, & quòd ideò doceamus, quasi sit præsumptio, firmiter confidere & se fundare super misericordiam DEI: deindè quòd fundamus nostram fidem super alia fundamenta, quàm super CHRISTVM, nempè super scripturam, super reuelationes, & super nostram dilectionem, probitatem, bona opera, &c.

RESPON.

Quòd Ecclesia à primis annis semper docuit articulum fidei, id est, vt crederemus remissionem peccatorum: crederemus, dico, non dubitaremus: pugnant enim hæc duo, credere, & dubitare remissionem peccatorum: credimus itaque certo certiùs nobis impetratam esse sanguine CHRISTI remissionem peccatorum, & nobis distributam per fidem: per fidem, dico, quæ non est separata à pœnitentia, nec id propter meam pœnitentiam, sed gratis: illa enim vera est fides, quæ non est sinè pœnitentia, & est medium, non meritum: nam CHRISTVS ipse iungit semper fidem & pœnitentiam, Marci primo: Pœnitemini, & credite Euangelio: iungit quoquè pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo, Lucæ vltimo. Credere ergò velle sinè pœnitentia, præsumptio est, licèt nemo desperare debeat, etiamsi non satis pœniteat. nam gratia abundat peccato, Romanorum quinto. Deindè, quòd aiunt fidem nostram esse fundatam super opera nostra aut reuelationes, falsum est: fundamentum fidei nostræ est res extra nos, non in nobis, aut à nobis, sed in sanguine & merito CHRISTI, quæ est res extra nos. Esaiæ quinquagesimo tertio: Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras. Sanguis igitur & meritum CHRISTI sunt fundamenta fidei nostræ, nó opera nostra aut reuelationes, in quibus certi non sumus, nec conscientia secura esse potest.

RE-

REVELATIONES ET MIRACULA AN SINT FUNDAmentum fidei nostræ, vt obijciunt Sectarij. Cap.24.

PRimò dicit Apostolus 1. Corint.3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, scilicet salutis nostræ, præter id quod positum est, id est, IESVS CHRISTVS: hic positus est pro fundamento fidei & salutis nostræ, & non potest poni aliud. Sic fides Petri fundata & ædificata fuit, & omnium fidelium martyrum & confessorum super hoc fundamentu & hac confessione, Tu es CHRISTVS filius DEI vini, Matth16. Contra hoc fundamentum fidei nostræ non prævalebunt portæ inferorum: hoc fundamentum fidei, id est, CHRISTI meritum & sanguis, vbiquè notatur in scriptura, & ad illud nos vocat. ideò inquit CHRISTVS Ioan.5. Scrutamini scripturas, &c. quoniã testimonium perhibent de me. ipse est solus pignus hæreditatis nostræ, Ephes.1. Porrò cùm CHRISTVS mitteret discipulos in mundum, primò iussit vt prędicarent Euangelium tanquàm fundamẽtum fidei. est enim Euangelium sermo de CHRISTO nato, passo, & resuscitato: & deindè in testimonium & confirmationem, quòd fides nostra locata sit super vero fundamento, id est, CHRISTO, qui dedit eis potestatem miracula & signa faciendi, non quòd miracula, prophetiæ vel reuelationes essent fundamentum, super quo fides nostra fundari debeat: illa enim aliquandò falli possunt, & indigent examinatione & probatione. 1. Ioan.4. Probate Spiritus an ex DEO sint, sed potiùs, vt gentes & infideles visis eiusmodi signis mouerentur, & sese humiliarent sub potenti manu DEI. 1. Pet.5. Vtq; fidem ex CHRISTI verbo susciperent. ideò sermo Apostolorum, quo fidei fundamentum super CHRISTI meritum locârunt, confirmatus est miraculis & signis sequentibus: plurimùm enim miracula & Spiritussancti dona iuuerunt ad plantationem & propagationem fidei super CHRISTVM, licèt ipsa miracula non sint fundamentum fidei. Omnia igitur miracula & reuelationes tollere, & CHRISTO & Euangelio derogare, qui sic ordinauit illa in testimonium veritatis, id est, quòd fides nostra fundata super CHRISTVM & eius sanguinem, vera ac salutaris sit: nimiùm verò attribuere miraculis contra apertam scripturam, nemo approbat: Sunt enim miracula testes fundamenti fidei nostræ, non autem sunt ipsum fundamentum. Porrò Apostolus ait Galat. 1. Si quis aliud euangelium annunciauerit præter id quod euangelizatum est, &cæt. id est, qui aliquid docet ad credendum, nempè ad salutem necessarium, quod non est in Euangelio (id est, scriptura) positum, sed potiùs illi contrarium, etiamsi angelus de cælo hoc annunciaret, non debemus illi habere fidem. Eccè mandatum diuinum, quòd nihil credendum sit ad salutem necessarium, quod est sinè scriptura. Odit autem DEVS, si quis falsas reuelationes aut visiones iactat, & falsas doctrinas quæ sunt verbo DEI contrariæ, quòd etiam DEVS iubet talem morte puniri Deuteron.13.&17. Dominus præcipit, nè ad dexteram, neque ad sinistram declinemus, id est, à verbo suo recedamus, nec sequamur deos alienos, id est, erroneas doctrinas, iubetque vt neminem audiamus aut recipiamus, nisi qui adferat verbum DEI, 2. Iohan.3. Sed vt diabolum fugiamus. Et licèt sint reuelationes, tamen eas iuxta verbum DEI interpretari oportet, id quod ab initio multis miraculis confirmatum est, & pro vero verbo DEI agnitum atque approbatum: aliàs non habenda est illis fides. Et cùm reuelationes scripturæ non fuerint consonæ, tunc sunt deceptiones dæmonum: & hoc pro vero est tenendum, quod solum verbum DEI de cælo manifestatum, fidei nostræ fundamentum est, & nulla reuelatio, licèt hęc sit testimonium &cæt. At inquies: Quid ergò sentiendum de Legendis & miraculosis factis sanctorum in vitis Patrum, de visionibus, reuelationibus, & institutionibus religiosorum ordinum, &cæt? nunquid omnia illa vana sunt, aut deceptio dæmonis, eò quòd in Euangelio & in scriptura non habeantur, nec verbaliter sunt expressa? Respondit Ioannes Gerson in tractatu de declaratione veritatum, quæ credendæ sunt de necessitate salutis: Multa suscipit, inquit, Ecclesia & legi permittit, vt Legendas, miracula sanctorum, visiones, &cæt. non

quòd determinet, talia de necessitate salutis esse credenda, sed quia proficiunt ad commouendos affectus piorum fidelium, & ædificant ipsos, dum in talibus nihil de certitudine scitur esse falsum, quãuis etiam nesciatur illud certitudinaliter essẽ verum, nec credendum proponitur vt de salutis necessitate, &cæt. Deindè in sacra scriptura quædam sunt verbaliter expressa, sunt quoquè alia quæ compræhensa sunt in canone scripturæ ex certa sequela, licèt non in propria verborum forma ità habeantur, vt exempli causa, CHRISTVS habuit neruos & venas: sed vbì hoc habetur in forma verborum scripturæ? attamen ex hac certa sequela, quia CHRISTVS fuit verus homo, igitur etiam sicut homo neruos & venas habuit, & hoc tanquàm verum & de necessitate salutis credendum est, quia ex lumine fidei & naturali hoc euidens est: sic multa sunt vera, licèt non sint in forma verborum scripturæ expressa, attamen de necessitate salutis credenda.

Prætereà hoc omninm hæreticorum ab initio contra Ecclesiam fuit argumentum, cùm hoc non habetur in scriptura, ergò non est verum, nec est verbum DEI. Sic Arriani obijciebant Concilio Niceno, quòd hoc nomen ὁμοούσιον, non haberetur in scriptura expressum, & ideò negabant tãquàm falsum, quòd vna esset essentia Trinitatis, & CHRISTI cum Patre & Spiritusancto vna Deitas, Sed nolebant illi attendere alia verba in scriptura, hoc idem homousion ex virtute sensûs verborum significantia, vt Matthæi vigesimo octauo capite: Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritussancti. & primę Iohannis quinto, Pater, filius, spiritussanctus, & hi tres vnum sunt, &cæt. Sic quidam negant hodiè Purgatorium, eô quòd hoc nomen expressè non habeatur in sacra scriptura, quod tamen ex vi & virtute sensûs verborum aliorum scripturæ significatur & probatur, quòd DEVS hîc (id est, ante iudicium extremum) puniat peccata: ità enim iubemur orare pro defunctis, vt liberentur à pœnis, secundi Machabæorum duodecimo capite. haud dubiè à purgatorijs pœnis eos liberandos scriptura significat: est igitur quidam locus, vbi peccata fidelium puniuntur. nam & in Matthæo habetur, quòd non so- Matt.12. lùm in futura vita, id est, in extremo iudicio & gehenna, sed etiam hîc (id est, in loco aliquo pœnali) puniantur peccata: oportet igitur, vt aliquis locus sit, vbì pœnas luent peccatrices animæ fidelium, vt saluentur, sic tamen quasi per 1.Cor.3. ignem. Sic quoquè sacrificium Missæ non habetur in scriptura verbaliter expressum, sed elicitur ex verbis CHRISTI, cùm ait Matthæi vigesimo sexto, Hoc facite &cæt. id est, hoc quod ego feci iam in cœna, vos quoquè facite: nempe ego obsecraui, obtuli & distribui: sic & vos offerte in meam commemorationem, & quoquè Malachiæ Prophetia dicit primo capite, Quòd inter gentes erit oblatio munda, quod est corpus CHRISTI in non cruento sacrificio oblatum, &cæt. Sic de Baptismo paruulorum nihil habetur in scriptura, nec quòd Maria semper manserit virgo, &cæt. Sic monasticus ordo, cæremoniæ, & alia plurima non exprimuntur in sacris literis: sed tamen hæc omnia fundantur & deducuntur ex scriptura, similiter se habet cum alijs sacramentalibus, sanctificationibus creaturarum, vigilijs, indulgentijs, &cæt. Sed dices, Hoc non suscipiunt aduersarij, non credunt huic deductioni aut interpretationi nostræ. Sed & Iudæi non credunt Historiæ Euangelicæ. Sed nunquid propterea CHRISTI Euangelium aspernabimur? Absit. Si nolint credere sectarij hanc probationem & deductionem ex scriptura, maneant in sua perfidia in æternum. Nostrum est audire determinationem Ecclesiæ. Si quis autem illam noluerit audire, sit tibi Matt.18. tanquàm ethnicus, id est, hæreticus. Nam nos multa credimus & seruamus, quæ in literis sacris non inueniuntur, quæ hæretici negant, sicut virginitatem Mariæ, quam negauit Vigilantius: imagines sanctorum, quas negant Feliciani, & sic de reliquis. Summum est igitur mendacium hæreticorum, qui nos grauant, quasi fidem nostram fundaremus super opera infusæ nostræ institiæ, super reuelationes & alia, cùm fateamur solùm vnicum esse fundamentum fidei nostræ, hoc est, meritum & sanguinem CHRISTI.

Liber autem Imperij docet, quòd fides sinè

sinè dilectione, licèt sit solùm nudum nomen, tamen distinguit Christianos à paganis & infidelibus, quatenùs scripturæ & ijs quæ de DEO sunt, reuelationibus credant: reuelationibus de DEO, inquit, non enim omnibus reuelationibus credit, sed quæ à DEO ex certo testimonio scripturæ vel literaliter, vel virtualiter habent testimonium &cæt. Sic SS. Patres suas reuelationes & institutiones religiosorum ordinum, Carthusianorum & aliorum probârunt satis euidentibus miraculis, non quòd illorum miraculum esset fundamentum fidei nostræ aut religionis, sed quòd illorum imitatio CHRISTI in vita tali, esset certa nobis, vt & nos sic CHRISTVM imitemur fide & vita, sic enim Paulus ait, Estote imitatores mei, sicut & ego sum CHRISTI. non dixit, meæ vitæ conuersatio sit vobis pro fundamento fidei & religionis, sed CHRISTVS. Igitur fundamentum fidei, religionis & salutis meæ, non est vel S. Bruno, vel Franciscus, vel Dominicus, &cæt. sed ipse sanguis CHRISTI. In summa, miracula, reuelationes, donationes spiritussancti valent ad firmiùs credendum in CHRISTVM, qui solus fidei nostræ fundamentum est. Sic confirmabat CHRISTVS sermonem Euangelij Apostolorum sequentibus signis, Marc. vltim. & Paulus dicit Ecclesiam ædificatam fide super fundamentum Apostolorum & prophetarum, quod est CHRISTVS, Ephes. 2. cap.

QVOMODO LIBER IMPERII DEPINGAT Ecclesiam, & qualiter Sectarij. Cap. 25.

Ecclesia est congregatio & communio CHRISTI fideliũ, quos Spiritussanctus adunat & coniungit, vt sint omnes quasi vna domus, primæ ad Timotheum tertio capite. Vnum corpus, & ex vno baptismo, & vnius fidei omnes, & vnius spiritussancti in vinculo pacis. Deindè sola est vna Catholica Ecclesia, in toto mundo fundata super petram, id est, Petri confessionem: & huius Ecclesiæ membra sunt omnes, quotquot hanc fidem & confessionem Petri confitentur, siue sint supremi, siue infimi statûs homines, omnes sunt membra æqualia, & vnum constituunt corpus, id est, vnam congregationem, ad Galatas tertio capite: Omnes vos vnum estis in CHRISTO. Non ergò sunt duæ Ecclesiæ, sed vna: & qui non est sub illa vna Ecclesia membrum, ille non viuificatur à Spiritusancto, sicut nec brachium abscissum à corpore, & ramus ab arbore, & palmes à vite, &cæt. Nec illi prosunt communia sancta opera Ecclesiæ, nec sua propria sunt efficacia. Nam qui matrem relinquit, & adulteræ adhæret, etiam promissis Ecclesiæ priuabitur, vt inquit Cyprianus. Vna est igitur Ecclesia, vna columba, vt in Canticorum sexto capite. Porrò Ecclesia hæc, secundùm personas & externum cultum DEI, est visibilis: sed secundùm spiritualem statum & officia, nempè fidem, spem, sanctificationem, promissionem gratiæ, regni cælorum & remissionis peccatorum, est inuisibilis in omnibus Ecclesiæ membris, est & manet in vno sicut in alio, vna Ecclesia foris & intrinsecùs, visibilis & inuisibilis. Deindè ex quo Sathan non cessat turbare hanc CHRISTI Ecclesiam, id est, congregationem: est enim Sathan inimicus CHRISTO: ideò DEVS & CHRISTVS clementer & gratiosè Ecclesiæ suæ prouidit, & ordinauit ministros in re spirituali & temporali: qui eius deberent curam habere, ædificare, regere & purgare: sic dedit quosdam Apostolos, quosdam prophetas, pastores & doctores &cæt. in ædificationem corporis CHRISTI per verbum DEI, nè nos circunferremur omni vento doctrinæ. In isto ordine sunt Papa, Episcopi, prælati, Pastores, scriptores, & totus clerus, qui sunt ministri CHRISTI & dispensatores mysteriorum DEI, primæ Corinthiorum quarto capite. Dedit quoquè huic Ecclesiæ alios ministros, quibus non librum sacerdotalem, sed gladium iustitiæ commisit, Romanorum decimotertio capite, quos constituit custodes legis suæ, quatenùs externa pax conseruetur, & vitia corrigantur,

pij & inſontes defendantur, ſuum vnicuique tribuatur, &cæt. Vtriſque ergò miniſtris tam ſpiritualibus quàm ſecularibus debemus obedientiam. Heb. 13. Obedite præpoſitis veſtris, id eſt, qui denunciant vobis verbum. Deindè Roma. 13. Obedite non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: nam qui poteſtati reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit. Sic qui epiſcopis, Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ contumax eſt, ille DEO reſiſtit. Spirituales igitur miniſtri librum habent Euangelij, quo conſcientias conſolentur anguſtiatas. Seculares verò gladium, quo pacem conſeruent, & ſint cuſtodes legis diuinæ. Horum autem in officio negligentiam DEVS ſeuerè puniet, & ſanguinem ouium de manibus ipſorum exigit, Ezechiel. 3. Principes ſuſpenduntur propter ſornicationem populi, Nume. 25. Prætereà illis miniſtris conceſſa eſt quædam poteſtas à DEO, nempè ſpiritualibus miniſtris, vt Papæ, Epiſcopis & ſacerdotibus conceſſa eſt poteſtas abſoluendi & ligandi, Iohann. 20. & coërcendi per anathema aut excommunicationem inobedientes & contumaces: deindè vocandi & ordinandi miniſtros Eccleſiæ, conſtituendi ordinem & canones, idque ordinis, non iuſtificationis cauſa, 1. Corinth. 4. ædificationis, & non deſtructionis poteſtas, 1. Corinth. 9. & 2. Corinth. 10. Miniſtris verò ſpiritualibus conceſſa eſt poteſtas cum gladio puniendi criminoſos, occidendi malefactores & publicos tranſgreſſores diuinæ legis. ideò enim gladium portant, Roma. 13. Nulla enim perſona priuata extra Magiſtratum à DEO ordinatum, habet poteſtatem occidendi, exceptis militibus ſtipendiarijs iuſti & legitimi belli. Item Magiſtratus habet poteſtatem ſtatuendi leges, ordinationes & ſtatuta ad conſeruandum bonum Reipublicæ: atque ſic hi duo miniſtri habent diuerſa officia & poteſtatem à DEO ad bonum Eccleſiæ CHRISTI, nè Sathan illam perturbet. Porrò in hac Eccleſia ſunt plurimi etiam mali homines, qui ſolùm ſunt nomine tenùs Chriſtiani, nec tamen ſunt CHRISTI, nec Eccleſiæ vera membra, ſed potiùs diaboli membra, & ſpiritus Domini non infunditur, nec inhabitat membra diaboli, ſed in ipſis operatur ſpiritus malus, & illi homines ſolùm ſunt ſecundùm nomen in Eccleſia, & admixti ſicut zizania inter frumentum bonum, nec illi habent partem in promiſſis, quæ veræ Eccleſiæ ſunt à CHRISTO factæ, ſed abſciſi & mortui palmites, qui in ignem mitti debent, ſiue ſint ſummi, ſiue inferioris ſtatûs homines. Quòd autem hæretici nobis obijciunt, quòd intelligamus hoc nomen Eccleſia, tantùm de Romana Eccleſia & eius poteſtate & authoritate, ac quaſi hæc ſola ſit eccleſia vera, & quòd totus mundus debeat ſe ei ſubmittere & aggregari &cæt. falſum eſt & impudens mendacium. Nam aliud eſt tota Chriſtianitas per totum mundum diffuſa, ſicut Pſalm. ait à ſolis ortu Pſal. 112.
vſque ad occaſum: hanc vniuerſalem fidelium CHRISTI congregationem ſeu multitudinem vniuerſalem Eccleſiam eſſe dicimus, quam CHRISTVS ſuo ſanguine redemit, ſanctificauit & purgauit per lauacrum regenerationis in verbo vitæ, vt adhiberet eam ſibi ipſi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam nec rugam, aut quicquam eiuſmodi, Epheſ. 5. In hac vniuerſali Eccleſia compræhenduntur omnes credentes, qui ſunt membra, & omnes aliæ Eccleſiæ in Syria, India, Aſia, Aphrica, Italia, &cæt. & nulla eſt ſuperioritas in fide IESV CHRISTI. Sed omnium in toto mundo fides & ſalus, ſundata eſt ſuper confeſſionem Petri, id eſt, ſuper meritum ſanguinis CHRISTI. Epheſ. 4. Vna fides, vnum baptiſma, &cæt. Romana igitur Eccleſia non eſt ſola illa tota Chriſtianitas, ſed ſtat nobiſcum in vnitate fidei communis in CHRISTVM, de cuius plenitudine omnes accipimus, Iohann. 1. In fide igitur nulla Eccleſia eſt ſuperior aut inſerior altera, quia fides non poteſt dici Romana, Africana, aut Germanica fides, quia non eſt alligata loco: in fidei igitur vnitate ſunt æquales Romana Eccleſia & Colonienſis Eccleſia. Sed aliud eſt, ſi de ordine quem CHRISTVS in Eccleſia inſtituit, loquamur, aut de regimine eiuſdem. Hic CHRISTVS dedit Petro claues Matthæi decimoſexto capite, tanquàm ſupremo paſtori, & licèt alij Apoſtoli eiuſdem fuerint poteſtatis & dignitatis, tamen propter vnitatem conſeruandam voluit ab vno incipere ordinem. Ergò SS. Patres vnanimiter crediderunt & ſubiecerunt ſe obedientiæ & regimini Petri, quem pro vicario CHRISTI &

eius

eius locum tenente agnoscebant, & pro capite Ecclesiæ ratione regiminis & doctrinæ: & qui hanc obedientiam recusat vnitatis, hic legem DEI non tenet, id est, ordinem quem CHRISTVS ipse instituit, nec saluabitur, secundùm Cyprianum. Vbicunquè ergò residet summus pontifex, id est, successor Petri, ibi loci agnoscitur caput Ecclesiæ ratione regiminis, siue Romæ, siue Viennæ fuerit: & sic illa Ecclesia, propter residentiam summi pontificis tanquàm capitis, dicitur suprema Ecclesia omnium aliarum. Huic Ecclesiæ Romanæ, quia ibi adhuc est residentia successorum Petri, sese subiecerunt Augustinus, Hieronymus, Gregorius, &cæt. Nec tamen ex Papa fecerunt DEVM, sed omnia propter ordinem & vnitatem, quam CHRISTVS instituit, conseruandam: & experientia docuit, quòd portæ inferorum, id est, hæreticorum plusquàm trecentorum, non præualere potuerunt aduersùs hanc ordinationem: & hæc successio sacerdotum mouit & pertraxit Augustinum ad fidem Catholicam, sicut ipse fatetur in epistola ad Manichæum. Sed dices: Satis mihi est, si CHRISTVM habuero, etiamsi nulli subijciar Ecclesiæ vel Romanæ, vel Luteranæ, fides mea me saluabit: hoc argumentum ante annos mille obiectum fuit Augustino & Cypriano. sed Augustinus respondit Arrianis, cur dæmones eandem habentes fidem & confessionem, quam Petrus habuit, dixerunt enim, scimus quòd es filius DEI, Lucæ quarto capite, & Marci primo, non saluantur, sicut Petrus per suam fidei confessionem. Mat. 16.

RESPON.

Odium cordis, inobedientia DEI, hæc faciunt quòd fides illorum non proderit illis. Diuus Cyprianus respondit Nouatianis, quòd eiusdem fidei & religionis erant Chore, Dathan & Abiron, sicut cæteri fideles Israelitæ. Sed cur terra ipsos viuos absorbuit, Numerorum decimosexto & vigelimosecundo capite, certè nó propter fidem, quam cum alijs habebant communem: sed quia ex inobedientia contra DEVM & Aaronem eius ministrum sibi vsurpabant sacerdotium, & sic omnes Sectarios non iuuabit ipsorum fides, quia infecti sunt labe schismatis, & separant se ab obedientia ordinaria Ecclesiæ Romanæ, quandiù igitur ordinem, potestatem & regimen à Christo in Ecclesia institutú contemnunt, non minùs damnabuntur, quàm alij hæretici.

VBI DICAT ESSE ECCLESIAM VERAM.

Cap. 26.

EX quo multæ sunt congregationes hominum super terram, necessarium erit scire, signa & notas, in quibus vera & Catholica Ecclesia agnosci possit, & ab alijs congregationibus discerni. Nam & hæretici & schismatici faciunt congregationes, quibus asscribunt potestatem & nomen Ecclesiæ: audimus enim, quomodò & ipsi clamant, ecce hic est CHRISTVS, à quibus vt caueamus, CHRISTVS ipse iussit Matthæi vigesimoquarto capite. Cùm itaque in magna domo DEI non solùm sint vasa aurea & argentea, verumetiam lignea ac testacea, & alia quidem in honorem, alia verò in contumeliam, primæ ad Timotheum secundo capite, duo potissimùm eius sunt signa: Primum salutaris & pura doctrina, scilicet Euangelij IESV CHRISTI: Deindè verus & legitimus vsus sacramentorum. His signis discernitur vera Ecclesia à congregationibus paganorum, Turcarum & Iudæorum, qui non habent puram Euangelij doctrinam, nec vsum sacramentorum: ideò non sunt Ecclesia, neque membra Ecclesiæ. Sunt prætereà alia signa, nempè vnitas, quæ per vinculum charitatis & pacis conseruatur, & ità coniungit ac conglutinat membra Ecclesiæ, vt in ijs rebus quæ concernunt verum intellectum sanctorum, quæ indè ab Apostolorum temporibus nobis tradita adhuc seruantur, concordes sint sed etiam vnanimes sint in sensu scripturarum, sicut Apostolus rogat propter nomen Domini nostri IESV CHRISTI, nè sint in nobis schismata, sed vt idem sapiamus & loquamur. 1.Cor. 1. Alterum signum est veræ Ecclesiæ vniuersalitas, id est, quòd sit Catholica, hoc est, vniuersalis per totum orbem terrarum diffusa, & per Apostolos & eorum successores perpetua successione propagata, & vsque ad finem mundi propagabitur, iuxta promissionem CHRISTI, Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & fines terræ in possessionem. & ite-

Psal.49. & iterùm Psalm.à solis ortu vsque ad occasum &cæt. Matth.8. Multi venient ab oriente & occidente, &cæt. & Actor.1. Eritis mihi testes vsque ad extremum terræ.Ioan.14.Rogabo patrem,&c.vt maneat vobiscum in æternum. Luc.22. Rogaui pro te, nè fides tua deficiat: hæc duo posteriora signa diuidunt Catholicam Christianam Ecclesiam à congregationibus apostatarum & hæreticorum seu schismaticorum, qui vinculum dilectionis, pacis & vnitatis ruperunt, & ad propriam ipsorum perniciem se ab illa vnitate Ecclesiæ Catholicæ separârunt, ex quo suos cœtus toti Ecclesiæ Catholicæ præferunt, cùm tamen nulla vnquàm secta totum orbem occupârit, CHRISTO prohibente, sed sola Ecclesia Catholica peruasit totum mundum. Sed obijciunt aduersarij: hæretici seu apostatæ, qui à Catholica Ecclesia se separârunt, non sunt illi, qui verbo DEI & veritati adhærent: sed qui eidem aduersantur, & à CHRISTO, eius verbo & ordinatione descìscunt, & in falsis suis ac erroneis opinionibus perseuerant, & seruant humanas traditiones,consuetudines & abusus contra DEVM & clara eius verba, quorum hominum congregatio non est Christiana Ecclesia, sed antichristi, etsi totum orbem possideant, & suam ordinariam potestatem iactent,donec rũpantur.nam CHRISTVS dicit,oues meæ vocem meam audiunt, id est, non traditiones, ordinationes & opiniones hominum. RESPOND.

106. 112.

Primò hoc singulariter est notandum, quòd omnibus hæreticis illa est potissima intentio & propositum, vt non habeant vllam aliquam superioritatem, sed vt pro licentia faciant, statuant ac credant quæ velint, quasi ipsi soli habeant purum DEI verbum, vtque hoc interpretentur, vnusquisque pro suo sensu & placito, vt non habeant contradicentem: si enim admitterent superioritatem in Ecclesia & ordinariam potestatem & vnitatem Ecclesiæ, statim ac facilè conuincerentur erroris & confunderentur, & patefieret ipsorum temeraria iactantia. Prætereà, non schismaticorum verbis danda est fides, sed potestati ordinariæ, quam DEVS ipse ordinauit, vt certificet quis sit Catholicus, & quis schismaticus, penès quos sit Ecclesia CHRISTI & vera doctrina, & penès quos synagoga antichristi, & falsa vsurpatio & administratio Sacramentorum, & in qua parte error sit &cæ. Hæc omnia potestas Ecclesię & conciliorum habet discernere, & in eum finem instituta est, Roma.13. Non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam illa potestas legitima Ecclesiæ nostræ quietat conscientiam, & eam certam reddit de veritate doctrinæ & efficacia Sacramentorum &cęt. Porrò hoc verum esse concedimus, quòd qui repugnant verbo DEI, & à CHRISTO & ordinatione eius descìscunt & perseuerant in falsis suis opinionibus &cæt. illi non sint Ecclesia vera: sed hoc loco potestas est necessaria, quæ diffiniat, vtra pars sit talis: nam schismatici volunt esse vera Ecclesia, & nos damnant: hîc oportet vt iudex sit, id est potestas, non ipsa litera scripturæ seu nudum verbum, quod vnusquisque pro se interpretari vult. Non enim est semper verbum DEI verum DEI verbum, quod iactant hæretici, nec est error, quem ipsi falsò irrogant Catholicis, nec proptereà falsæ sunt traditiones & administratio nostrorum sacramẽtorum, quia cum Sectarijs noo conueniunt: Ipsi non habent potestatem iudicandi, quia iudicium est penès primates & Episcopos Ecclesiæ, sicut ab initio fuit tam in veteri, quàm in nouo testamento, & erit semper vsque in æternum. Rursus obijciunt Sectarij: vnitas Ecclesiæ non est extra verbum DEI, fundata super doctrinas hominum, traditiones, cæremonias, consuetudines: nam hæc si deberent esse signa veræ Ecclesiæ, tunc CHRISTVS nunquàm fuisset caput Ecclesiæ: nec prophetæ, Apostoli, martyres, & pij Episcopi membra fuissent veræ Ecclesiæ, qui semper pugnârunt contra falsos prophetas, opiniones, ordinationes pontificum Pharisæorum, sicut Iohannes Baptista & alij Apostoli fecerunt, &cæt. RESPONO. Vnitas ecclesiæ super duo locatur, licèt non vno modo: primò vnitas Ecclesiæ fundatur super vnitatem fidei, quæ ædificatur ministerio verbi DEI & Euangelij, idque vniformiter, sicut fuit confessio Petri Matth.16. Tu es CHRISTVS filius DEI viui: hæc confessio est fundamentum vnitatis Ecclesiæ, quam ex æquo omnes credunt & confitentur. Non igitur ecclesia ratione fidei est fundata super præcepta & doctrinam humanam, cæremonias &c. sed super fundamentum, quod est CHRISTVS, 1.Corint.3. Deindè vnitas Ecclesiæ ratione regiminis fundata est

super

super potestatem, quam CHRISTVS contulit Petro, Matth.16. & eius successoribus, vt sic ab vno inciperet vnitas. nam vbi vnum præsidet, ibi vnitas rectiùs conseruatur, idq́ue ratione superintendentiæ & regiminis, Tu es Petrus &cæt. & Iohann.20. Pasce oues meas, quæ potestas licèt omnibus sit data apostolis, tamē Petro præcipuè & singulariter CHRISTVS locutus est, & eum ordinauit cum iteratis verbis, Pasce oues meas &cæt. Tibi dabo claues. nulli enim apostolorum in specie dixit, vt tibi Andreæ, Iacobo, &cæt. sed Petro. Qui ergò hunc ordinem vnitatis non tenet, ille facit contra legem DEI, qui constituit omnem potestatem, Rom. 13. Et quoniam ad regimen & superintendentiam pertinet hæc potestas, vt iudicet ac discernat, quæ vera, quæ falsa sit doctrina, quæ congregatio hominum sit vera Ecclesia, quæ non, vbi sint vera sacramenta, &cæt. Et quoniam hæc potestas regiminis Ecclesiæ semper est, fuit & erit contra dogmata hæreticorum & eorum noua instituta: ideò omnes hæretici laborant, vt hæc potestas annihiletur. Sed retinet CHRISTVS suam potestatem in Ecclesia, per quam certificat credentes: & hæc retentio per successionem sacerdotij Apostolici, id est, Papæ in Ecclesia DEI, nouit & attraxit S. Augustinum ex hæresi in vnitatem & gremium matris Ecclesiæ Catholicæ. Hæc porrò potestas nihil adimit fidei & verbo DEI, sed cooperatur & superintendit, vt vniformiter & catholicè retineatur fides illa, & verbum DEI orthodoxè & vno consensu interpretetur, vt caueantur schismata, vt legitima sit vocatio & administratio Sacramentorum, &cæt. fides non indiget superioritate præter CHRISTVM & verbum eius, attamen alio modo, vt fit vnitas ac pax in doctrina fidei & alijs articulis, & quatenùs constantes tempore hæresum consolentur, & confirmentur vero intellectu & expositiōe scripturarum &c. At rursus obijciunt Sectarij, inter Christianos qui habent verbum DEI, non potest esse dissensio, sed audiunt illud & sequuntur. non enim potest ipsum verbum DEI secum pugnare, aut sibi contrariari. quicquid autem est dissensionis, quod oritur in Ecclesia, id non venit ex verbo DEI, nec de vera Ecclesia CHRISTI, sed ex eorum incredulitate & inobedientia, qui nolunt CHRISTO & verbo eius obedire, sed sibi fingunt proprias opiniones, & sequuntur propriam iustitiam & sapientiam, reijciunt verbum DEI, sicut faciunt pontificij & episcopi, & illi rumpunt vinculum pacis, & verbum DEI corrumpunt, & sua præferunt &c. ideò non Euāgelici, qui seruant & tuentur verbum Dei, dissipant vnitatem Ecclesiæ, sed pontificij qui pugnant contra verbum DEI &c.

RESPON. Si non est dissensio vel discordia inter eos qui verbum DEI habent, vndè ergò tanta dissensio inter ipsos Sectarios, vbi quisq; iactat se habere verbum DEI, & illud tenere, vt sunt Luterani, Zuingliani, Anabaptistæ. Cùm igitur nullus hæreticus cum alio concordauit, aut consensit in dogmate, iam ab initio Ecclesiæ, quis dicat quenquam ipsorum verum verbum DEI habuisse? & quanquàm omnes ex æquo ex falso scripturarum intellectu impugnārunt pontificē & ordinariam Ecclesiæ potestatem, tamē nihil effecerunt. sed tandèm defecerunt, sicut ædificatores turris Babylonicæ. ideò dicit propheta: Dissipat Dominus ossa eorum, qui hominibus placent: cōfusi sunt, quoniam DEVS spreuit eos. Deindè an ipsi rectùm DEI verbum habeant, & rectè illud cum suis glossis explicent, hoc doceat potestas Ecclesiæ & caput summus pontifex & pastor: at illa potestas cum Cypriano sic illa verba scripturæ intelligit Luc.11. Qui non est mecum, id est, per fidem, contra me est, sicut omnes infideles: nam præceptum est, vt credamus in filium DEI, & ipsum audiamus. Matth. 17. & qui non colligit mecum, id est, in vnitate Ecclesiæ: hic dispergit, id est, nihil lucratur, nec possidebit regnum cælorum. Qui ergò caput vnitatis contemnit, quomodò poterit esse in vnitate Ecclesiæ? Cùm ergò caput Ecclesiæ discernit & declarat, qui sint membra Ecclesiæ, qui non, & quæ doctrina approbata, & quæ reprobata, facit id ex commissa sibi potestate, quæ ex loco DEI, & quicquid facit, quod non est contra DEVM & eius scripturam & præcepta, id Deus quodammodò facit, & qui ipsum spernit, DEVM spernit: & nisi hanc potestatem à DEO haberemus in Ecclesia, nunquàm esset vnitas & pax. Vnus igitur & summus rector Ecclesiæ, est in remedium schismatis. Prætereà obijciunt Sectarij & illa: Successio & perpetua conseruatio Ecclesiæ non est illa ficta potestas pontificum & sacerdotum, qua ipsi gloriantur de successione Paparum, sed

[Margin: Psal.52. — Ioh.3.]

sed est opus & ministerium conseruandi doctrinam Euangelij, & totum illud ministerium, quod prædicationis officio cōmune & agnatum est, vt sic per ministerium verbi, Christianismi fiat perpetua successio & conseruatio: nam non potestas vel successio pontificis, sed ministerium verbi DEI facit successionem & conseruationem Christianismi. Hoc autem ministerium verbi non est ad vnam specialem personam delegatum à DEO, nec ad personalem successionem, sicut Apostoli quandò successionem in discipulos suos transferebant, non erat ad vnam personam delegata, sed doctrinæ & ministerio incorporata, non personali successioni. Sic Paulus Timotheo & Tito, qui illi succedere debebant, iniunxit, & illi alijs, quatenùs ad docendum idonei essent, & non aliam doctrinam, quàm qualem ab ipso acceperant, docerent & propagarent. Deindè successio solùm est in illis, vbi est sequela vestigiorum Apostolorum. Sed cùm apud pontificios ne reliquiæ quidem sint vestigiorum Apostolorum, tam in pura doctrina, quàm in sancta & moderata vita, non est apud ipsos successio, nam qualis est successor, quià prædecessore suo tantùm degenerauit, vt vix agnosci possit qualem habeat prædecessorem?

RESPON. Primò, ex quo natura nostra corrupta est vitio originalis peccati, & mundi peruersitas semper fuit & erit, vt sinè potestate & coërcitione non obediat nudo verbo DEI, ideò CHRISTVS non solùm dedit verbum, sed etiam potestatem excommunicandi & absoluendi, Matth.18. Iohann.20. & sic vtrunque est necessarium in Ecclesia ad conseruandam vnitatem, ipsa vniformitas & idem sensus de verbo DEI, 1. Corinth.1. Deindè potestas, quæ punit & cohibet destructores pacis & vnitatis, siue in doctrina vel administratione sacramentorum, & discernit inter Catholicos & schismaticos: Tametsi ministerium verbi sit commune, quia CHRISTVS omnibus dixit discipulis Marci vltim. Ite in orbem vniuersum: quia tamen nulla vnitas conseruatur, vbi non est ordinarium seu ministeriale caput, ideò vt ab vno vnitas meliùs conseruetur quàm à pluribus, sicut ab vno DEO omnia in mundo reguntur & prouidentur, necessè est vt sit caput. Ità Petro data est prærogatiua regiminis & principatûs Apostolorum: quod omnes Catholici doctores sic intelligunt & docent. Porrò ille principatus seu primatus, qui Petro datus est hic in terris, æquè pertinet ad successores eius, cùm Ecclesia semper egeat pace & vnitate atque capite. ideò dicit Cyprianus de simplicitate prælatorum, Quanuis cæteri Apostoli hoc erant quod erat Petrus, eiusdem dignitatis & potestatis, id est, in ministerio Euangelij, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hanc vnitatem qui non tenet, DEI legem non tenet, qui dedit potestatem, Roma.13. neque fidem tenet, nec verbum salutis: hæc ille. Porrò obijciunt Sectarij & ista: Vera Ecclesia DEI & CHRISTI in toto mundo diffusa, non est politicus cœtus, sicut Respublicæ sunt in ciuitatibus & regnis, in quibus successio primatûs ad certas & speciales personas est disposita: at Ecclesia est communio fidelium, qui in CHRISTVM credunt, & eius doctrinæ adhærent. & solùm habent successionem miuisterij verbi, & non est alia successio: illa verò non habet certam aut designatam personam, locum vel ciuitatem.

RESPON. Licèt fides solùm CHRISTI sanguinem respiciat, & non habet aliam superioritatem, & hæc fides per totum orbem diffunditur, non habens specialem vel personalem successionem, quia nullus Christianus potest hæreditariò relinquere alteri fidem: sed in genere stat, quòd qui crediderit & baptizatus fuerit, &cæt. attamen potestas & authoritas discernendi verum à falso, data est Petro vt capiti, Matth.16. Tu es (id est, esse debes) Petrus, (id est, lapis seu caput regiminis circa hanc fidem, non supra fidem, ideò hæc potestas extendit se iuxta CHRISTI commissum super totum mundum, sicut vnus sol radios suos diffundit super totam terram, id est, super omnes illos, qui sunt de congregatione fidelium: ideò licèt Ecclesia non sit politica communio, est tamen spiritualis Respublica, sicut dicimus, Credo communionem sanctorum. illius autem ordinis & regiminis caput est Papa. Instant latiùs hæretici, dicentes: DEVS aliquandò transfert suam Ecclesiam propter peccata, infidelitatem & ingratitudinem suorum, sicut ipse testatur & dicit Iudæis Matt.21. Regnum DEI auferetur à vobis, & dabitur gēti facieti fructus eius. Sic etiam testatur DEVS hoc cum populo, qui in Asia quondàm fuerunt Christiani, & habue-

habuerūt ordinarias successiones, sed iam eorum ecclesia pessùm iuit, & translata est in Mahometicam superstitionē & impietatem, sic quoquè à Pontificijs populis, ex quo pessimè viuūt, & humanas doctrinas tenent firmiùs, quàm verbum Dei, translata est ecclesia Christi, & corrupta successio ordinaria, nec habent ampliùs ecclesiam Christi. RESPON. Ex quo ecclesia est diffusa per totum orbem, (vt dicitis) quæro, in quem locum mundi transfertur, si vbiquè est, an fortè extra mundum? Ecclesia ergò non transfertur, sed qui sunt apostatæ, & seipsos separârunt ab Ecclesia, illi transferuntur extra ecclesiam, & priuantur omnibus eius promissis, sicut vnicus Sol non transfertur extra mundum: sed si quis cæcus efficitur, illi Sol est ablatus, quia non sentit eius lumen: quàm diù autem ex veritate non probauerint aduersarij, nos de fide Christi decidisse, ipsi sunt & manebunt abscisa & putrida membra Ecclesiæ.

PROBATIO AVTHORITATIS ECCLESIAE CONTRA obiectiones Sectariorum. Cap. 27.

Liber Imperij docet, quòd licèt scriptura sacra sit supra omnem humanam potestatem, & immutabilis, ità vt non possit vnum ex minimis mandatis Dei solui, vt Matth. 5. tamen apud Christianam ecclesiā semper hæc authoritas fuit, vt veras scripturas à falsis, id est, ethnicas seu prophanas scripturas à Christianis separaret. nam habet mādatum Ecclesia, vt probet Spiritus, an ex Deo sint, 1. Ioā. 4. Et indè est quòd Canon scripturæ, id est, Bibliæ & SS. Patrū ac Doctorum, à falsis ac prauis scriptis ac doctrinis est discretus, & quòd falsæ doctrinæ, quæ sub nomine apostolorum & eorum discipulorum irrepserant, pro apocryphis sint manifestatæ. Quis enim nobis selegit hæc quatuor Euangelia esse vera, & alia, Bartholomæi, Nicodemi, &c. repudiauit, nisi Ecclesiæ authoritas? Habet igitur Ecclesia primò hanc potestatem, vt discernat ac separet doctrinas in fide veras à falsis. Secunda authoritas Ecclesiæ est potestas scripturam interpretādi, ex ea doctrinam suam formandi, & eandem explanandi, eô quòd Ecclesia est domus Dei, & propter inhabitantē Spiritumsanctum est columna veritatis, 1. Tim. 3. & Ioan. 16. vt maneat vobiscum in æternū, Spiritus veritatis, & ipse ducet vos in omnem veritatem. Nam hoc officium habuit ab initio in Ecclesia Spiritussanctus, sicut Petrus testatur 2. Pet. 1. omnis prophetica Scriptura non est priuatæ interpretationis, sed sanctospiritu impulsi, loquuti sunt sancti Dei homines. Et hæc potestas interpretandi scripturam inprimis necessaria est, in ijs præsertim scripturæ locis, qui difficultatem habent, vt iam ipsa re experimur. Sic quæstionem de legalibus ecclesiæ potestas seu authoritas, id est, Concilium apostolorum, definiuit Actor. 15. ità cùm Arriani illum locum scripturæ apud Ioan. 14. Pater maior me est, falsè exponerent, & traherent ad negationem diuinitatis Christi: tunc Cōcilium Nicenum repræsentans Ecclesiam, eum locum rectè exposuit & determinauit. Sic de Baptismo paruulorum ante octo dies ipse Cyprianus in Cōcilio Carthaginensi dissoluit, & sic de cæteris Sacramentis Eucharistiæ & scripturæ locis, si quid ambiguum aut difficile inciderit, tunc Ecclesia habet potestatem de illis iudicandi ac decernendi, & hoc per Synodum: Et quicquid generale & legitimum Concilium in Spiritusancto congregatum concluserit, hoc tanti faciendum est, àc si Spiritussanctus ipse decreuisset, sicut etiam dixerunt Hierosolymis apostoli & Seniores in Concilio Actor. 15. Visum est spirituisancto & nobis: ideò sinè dubio tenendum & credendum est, Conciliorum generalium saluberrimam esse authoritatem, vt D. Augustinus ait. III. Tertia authoritas seu potestas Ecclesiæ est, ordinationes & leges constituere, idq; ordinis in Ecclesia causa, sicut fecerunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano, & Paulus & Barnabas iusserunt in ciuitatibus seruare decreta Seniorum & apostolorum: hæc autem decreta debent esse in vsum & profectum ecclesiæ, & omnis eiusmodi potestas debet respicere ad ædificationem Ecclesiæ, non ad perniciem vel destructionem. 1. Corinth. 10. & 13. iubet enim Apostolus omnia fieri debere secundùm ordinem & honestatem, non in finem iustificationis, quæ in solum Christi sanguinem transfertur. Habet etiam Ecclesia præter hæc quasdam Traditiones à Christo per manus apostolorum sibi traditas ab Episcopis primoris ecclesiæ vsque in hodiernum diem, quas qui reijcit, ille ne-

gat quòd Ecclesia sit columna veritatis, 1. Tim. 3. quales sunt de Baptismo paruulorum, de ieiunio quadragesimali, de diebus festiuis & alijs eiusmodi solennibus consuetudinibus, de quibus meminit S. Ignatius discipulus Ioãnis, & vicinus Apostolorum temporibus, in epistola ad Philadelphieñ. Sed quarè, obsecro, vir ille sanctus & Martyr, ac vicinus ipsis temporibus apostolorũ, hęc posteris scripto cõmendâsset, & vt seruarentur à Christianis, admonuisset, nisi hæc omnia ea tempestate, qua floruerunt Apostolica tempora, ad obseruandum fuissent instituta? Sic Hieronymus in Epist. ad Marcellam dicit contra Montanum hæreticum, Nos vnam quadragesimam (erant enim qui in contrarium Ecclesiæ volebant tres quadragesimas in anno seruare,) secundùm traditionem apostolorum toto anno nobis congruo tempore obseruamus. Idem Ignatius ad Magnesianos ex Smyrna ait, Dignum est vos obedire Episcopo vestro, & in nullo ei contradicere: non enim istũ visibilem quis spernit, sed illum inuisibilem, id est, CHRISTVM in eo contemnit: hic non ab homine, sed à Deo habet promotionem. Dicit enim Deus Samueli de contemptoribus eius 1. Reg. 8. Non te spreuerunt, sed me: & Moses populo aduersùs se murmuranti, ait: Non enim aduersùs nos murmurâstis, sed aduersùs Dominum DEVM, Exodi 16. nemo quoquè nisi vltione euasit, qui se contra dignitatem Sacerdotalem extulit, sicut contigit Dathan & Abiron Numer. 16. sic est tradttio de consecratione ministrorum Ecclesiæ, vt testatur Dionysius in

IIII. Chrismate. Quarta potestas ecclesiæ, est correctio & excommunicatio, & ea ex CHRISTI mandato, qui dicit: Quæcunque ligaueritis super terram, & cæt. Matth. 16. Vbi dat authoritatem ligandi seu retinendi & soluendi peccata: & cum hoc consentit Apostolus 1. Corinth. 5. Tollite à vobis malum: & illa potestas corrigendi & excommunicandi data & commissa est potestati ministerij verbi, quod ministerium prædicat & denunciat verbum Domini & Euangelium: & dicitur potestas ordinis, communis omnibus sacerdotibus & vocatis sacerdotibus: at potestas Iurisdictionis communiter vsurpatur à prælatis Ecclesiæ: sicut Paulus supremus Corinthiæ Ecclesiæ episcopus, excommunicat & separat fermentum, 1. Corinth. 5. Et iterùm absoluit 2. Corinth. 1. Quandò igitur Papa nomine totius Ecclesiæ excommunicat, pro magno est habendum. At obijciunt Sectarij, Falsum esse quòd Ecclesia habeat potestatem pro suo arbitrio scripturam interpretandi, & ità allegandi, vt aduersetur sibijpsi: nam Ecclesia debet iudicare secundùm scripturam, & non scriptura iudicari debet secundùm sensum Ecclesiæ. ideò datus est Ecclesiæ canon biblicorum librorum, iuxta quem debet esse iudicandi & docendi norma: nam scriptura est supra Ecclesiam, & non Ecclesia supra scripturam.

RESPON.

Scriptura sine dubio eiusq; authoritas, est supra authoritatem Ecclesiæ & humanam in se ipsa: nam cælum & terra transibunt, inquit CHRISTVS Luc. 21. non autem verba mea. Sed intellectus Scripturæ & expositio, quam Ecclesia vniformiter habet, est super glossemata & hominum verba, ità quòd scriptura sit iudex veritatis, sed ad Ecclesiæ sensum intellecta, non priuati alicuius hominis seu hæretici: non enim Scriptura est priuatæ interpretationis. Nullius enim solius interpretationi siue reuelationi credendum est sine publica ac communi approbatione Ecclesię. Dicitur enim 1. Ioan. 4. Nolite credere omni spiritui. Intellectus igitur scripturæ à ministris Ecclesię, Sacerdotibus Domini & Episcopis ordinarijs tanquàm ab ijs qui Ecclesię DEI præsunt, quęri & inueniri debet. Malach. 2. ex ore Sacerdotis quęre legem. &, labia sacerdotis custodiunt scientiam, & si sacerdos est, interrogetur de lege, & Hagg. 2. interroga sacerdotes legem domini. &, si ignorat legem domini, arguit se non esse sacerdotẽ. Nam & Hieronymus dicit legem esse spiritualem, id est, non à laicis, sed à spiritualibus seu sacerdotibus interpretandam. Ideò oportet populum seu laicos audire & assensum præbere huic prælatorum interpretationi, & non iudicare. Id autem fit in Ecclesia propterea, vt caueatur, nè quis priuatim seu doctus seu indoctus tanquàm ex reuelatione aliqua pro suo placito & commodo scripturum interpretari præsumat: in hunc finem est publica approbatio intellectûs scripturæ apud Ecclesiam, & hanc approbationem præferre debemus omnibus glossematis hæreticorum & priuatorum hominum.

Gene-

Generalis enim conclusio & sententia ecclesiæ præfertur priuatæ. Nec valet, si pars aduersa, id est, digladiantes hæretici nolint stare interpretationi & sententiæ Ecclesiæ, suam præferentes: nam hoc discernere debet & iudicare scriptura ad sensum Ecclesiæ intellecta, non ad detorsionem hæreticorum. Potestas igitur Ecclesiæ est super interpretationes scripturæ, non ipsam scripturam per se, id est, Ecclesia est iudex interpretationis diuini canonis. Si enim concederetur, vt quisque posset iudicare & exponere scripturam pro sui sensûs abundantia, tunc totus mundus plenus foret hæreticorum: ideò scriptum est, Qui Ecclesiam nō audiérit, Matth. 18. dicuntur autē à Chrysostomo potior pars Ecclesiæ Christi, qui ei præsunt, vt Papa, Episcopi, Sacerdotes, Doctores, &c. non quòd tantùm illæ personæ sint Ecclesia, sunt enim æquè membra Ecclesiæ sicut cæteri homines, sed tamen nobiliora propter ministerium & abundantiam gratiæ Spiritussancti, illuminationem, & prophetiam: & ideò dicuntur repræsentare Ecclesiam in generali Concilio legitimè congregati, & laici illos audire & obedire tenentur. Sed à Sectis tantùm hoc agitur, ne sit super ipsos vlla potestas aut vllus legislator in negocio interpretandi scripturam: nolunt alios ferre iudices, sed ad suum spiritum scripturam tractare: & hoc quod exprobrant saluberrimæ authoritati Conciliorum, quasi hæc pro suo libito scripturam exponant, ipsis impudentissimis hæreticis potissimùm exprobrandum venit: sed non iuuat fures, vtcunquè atrociter criminentur patibulum, non tamen sic suspendium eius euadent. Rursus obijciunt Sectarij: Non est modus alius, nec medium, nec consilium inter tot homines, vbi tot sunt opiniones & sententiæ, ad vnitatem fidei conseruandam & bonam conscientiam, quàm ipsa authoritas sacræ Scripturæ: & si aliquid ambiguum vel difficile inciderit in scriptura, hoc debet per alium locum scripturę solui & exponi, ità vt semper scriptura sit iudex, non hominum congregatio vel authoritas Ecclesiæ, quam iactant pontificij: & nisi iste modus obseruetur soluendi quęstiones ex scriptura, nunquàm erit pax &c.

RESPON.

Rectè quidem: Scriptura debet esse iudex in dissoluendis quæstionibus, sed intellecta ad sensum communis Ecclesię doctorum, non ad sensum aliquot priuatorum sectariorum: Catholici enim redigūt omnem intellectū in obsequium Christi & Ecclesiæ, cuius obedientiæ se submittunt, Matth. 18. nec Scriptura suijpsius potest esse interpres sinè iudicio Ecclesiæ. Nam hoc toti mundo manifestissimū est, quòd hæretici conuenientes vel scribentes vtrinquè allegant scripturam, & tamen nunquàm neque adhuc potuerunt vnanimem inuenire conclusionem: quomodò igitur scriptura potest ex se ipsa interpretari, cùm hoc ne hæretici quidem facere possint, qui tantoperè iactant iudicem esse debere scripturam? Constat autem idipsum ex ipsorum conuenticulis Marpurgi & alibi habitis. Vbi Luterani & Zuuingliani non potuerunt dissoluere vel concludere inter se hæc scripturæ verba Matth. 26. Hoc est corpus meum &c. Vnam & eandem sententiam &c. Sed cum confusione & dissensione, sicut ædificatores Turris Babylonicæ, recesserunt, hoc concludentes tantùm, vt quisque Deum oraret pro vero intellectu. Et cur hodiè dissentiunt quatuor illæ Sectæ, quæ est quadriga diaboli, totam Europam miserabiliter deuastans, Luterana, Zuuingliana, Anabaptistica & Caluiniana, si scriptura suijpsius est interpres, & si ex ea ipsa debet sumi iudicium, non ex authoritate Ecclesiæ? quarè non concludunt vnam & eandem sententiam, & dissoluunt suas ambiguitates ex scriptura? Sed dum hoc se iudice quisque tuetur, id est, scriptura, & dum nullus alteri cedit, sed obstat potiùs conuiciorum mole, quid aliud manet, nisi confusio & perturbatio Ecclesię? quandò aut quę pax erit speranda à talibus somniatoribus & pseudoapostolis? Fatemur autem nos, scripturam debere esse iudicem in dubijs fidei rebus ad intellectū vniformem Ecclesiæ, non ad priuatorum aliquot hominum proprium ingenium, licèt doctissimi sint, sicut fuerunt Apollinaris, Photinus, Nestorius, &c. Sed ipsorum interpretatio ab Ecclesia reprobata & damnata fuit. Rursus obijciunt Sectarij: Quòd Papa & Episcopi sint Ecclesia, Columna & Basis veritatis, & quòd per Spiritumsanctum ducantur, & errare non possint, falsum est, cùm cōtrarium doceat experientia, nempè quòd sæpè errārunt, & hodiè pugnant cum verbo Dei, id est, cum fundamento Ecclesiæ, statuentes omnia pro suo libito, prohibentes matrimo-

Gen. 11.

nium &cæt. & ipsi pessimè viuunt. RESPON. Papa & illi adhærentes, non sunt tota Ecclesia, sed membra, (vt superiùs diximus) & quidem principaliora Ecclesiæ, quæ docent & instituunt mysticum corpus CHRISTI, nè rapiatur & circunferatur omni vento doctrinæ, Ephe. 4. nec sunt fundamentum Ecclesiæ, vel colūnæ per se, sed est vnum fundamentum Ecclesiæ, nempè CHRISTVS & eius verbum, 1. Corinth. 13. Fundamentum aliud nemo potest ponere, &c. ideò tota SS. Patrum & Episcoporum turba, non est simpliciter fundamentum Ecclesiæ, sed sunt vnà cum cæteris Christianis superædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum, Ephes. 4. nec nos vnquàm docuimus, Papam (id est, priuatam personam) non posse errare, sed dicimus Ecclesiam non posse errare, propter Spiritussancti magisterium & præsentiam, qui cum illa est in æternum, iuxta CHRISTI promissionem Ioan. 14. ideò firmissimè credendum est, illum adesse, quotiès in Concilijs inuocatus fuerit, &cæt. Nec Ecclesiæ authoritas pendet à dignitate & sanctitate personarum Papę & episcoporum, sed à CHRISTI ordine & dispositione: verbum enim CHRISTI est fundamentum authoritatis Ecclesiæ, non priuata dignitas personę Papæ. Non igitur consequitur, Papa & episcopi malè viuunt, ergò nulla pręsidum Ecclesiæ est
Mat. 23. authoritas. Christus summus Pontifex iubet nos facere secundùm verba eorum, &
Heb. 13. non secundùm opera. & Paulus ait, Obe-
1. Pet. 2. dite præpositis vestris etiam dyscolis &c. Latiùs instant hæretici: Non pertinet ad Ecclesiam, hoc quod Deus fecit liberum & licitum, facere illicitum, nec habet potestatem super verbum Dei dominandi: Ecclesia enim hoc habet mandatum, vt cōseruetur libertas, qua nos donauit Christus, & non subijciatur seruituti traditionum humanarum, nec Pontificij habent authoritatem exercendi excommunicationem iuxta ipsorum tyrannidem seu placitum, proprium commodum, pecuniam &cæt. hoc enim ad secularem pertinet potestatem.

RESPON.

Paulus præcipuus Christianæ libertatis doctor, cur iubet ipse Thessalonicēses stare suis decretis, 2. Thess. 2? cur pręcipit populo in ciuitatibus, vt seruent decreta Cōcilij Hierosolymitani, Actor. 15? Si non licet statuere vel ordinare aliquid in Ecclesia, ergò Paulus malè fecit & contra libertatem Euangelicam. absit: libertas enim de qua docet, est de legalibus, id est, circuncisione, oblationibus, & alijs quibusdam legis traditionibus, nè scilicet in ijs iustificatio & salus quæratur. non loquitur de traditionum præceptis, quæ ordinis in Ecclesia & honestatis causa dantur. & quis est quem Deus exemerit, nè subsit potestati, cùm dicat Apost. Rom. 13. omnis anima subiecta sit potestati. Sed hæreticorum libertas, potiùs licentia est Luciferiana, æquantium se summę potestati: sed similem habebunt cum Sathana damnationem, quia sic cum contemptu ordinarię potestatis pręsumunt, & quę libent, sibi licere volunt. Porrò abusum Excommunicationis nemo approbat, sicut nec alios abusus. Sed tamen potestas excommunicationis non est fundata super personam auaram aut tyrannicam, sed super ordinationem Christi. Si qui ergò hoc abutantur, viderint ipsi &c. Sed hoc non excusat hæreticos. Cæterùm nec mihi admodùm probatur, si morte puniantur hæretici, cùm nec Dauid in morte filij Absalon be- 2. Re. 18
neplacitum habuerit, quantumuis in eum grauiter peccârat: tamen quia aliâs domus ipsius pacem habere nōn potuit, ideò hoc commisit Deo. Sic Paulus 1. Corinth. 5. iubet expurgari vetus fermentum &c. nos sententiam Apostoli amplectimur, cùm dicit Tit. 3 hæreticum hominem deuita &cæt. Nouit potestas secularis quę gladium defert, & custos est legis Dei & veritatis, quid faciendum sit. Non igitur vt summatim dicam, de scriptura agitur, sed de intellectu, quem vnusquisq; adfert, & ex scriptura trahit, sed potestas Ecclesiæ habet interpretari & decernere ea quæ sunt scripturæ &c.

CONTRA OBIECTIONES SECTARIORVM, QVIBVS ASserunt ea quę literaliter in Scriptura non sunt expressa, liberi esse arbitrij, siue quis faciat ac credat, siue non.

Cap. 28.

Obijciunt hæretici, omnis Christianus non solùm liberam habet potestatem per se, sed etiam habet mandatum à Deo iudicandi & discernendi doctrinam accusatum

tum Ecclesiæ secundùm scripturam, vtq; nihil teneat vel credat, quod non sit fundatum in verbo DEI & expressum literaliter, sed abominetur omne quicquid contrariatur verbo Christi, licèt vel angelus de cælo attulerit, &c.

RESPON.

Primò hoc testantur omnes SS. Doctores & fideles, quòd iste mos inter hæreticos seu aduersarios Ecclesiæ ab initio fuit, quòd semper exigant nudam scripturam: sed non de scriptura ipsis agitur, sed de intellectu & expositione, quā ipsi circa scripturam fingunt, & in medium adferunt; hunc volunt ab omnibus acceptari: ità enim scribit Hilarius contra Constantium hæreticum: Nullus est hæreticorum qui non asserat, omnia quę ipse sentiat, esse secundùm scripturam, Sic Arrius fingit & suum sensum inseri in scripturam, Ioan. 14. Pater maior me est, id est, Christus minor est patre, & ideò nō est Deus, sed creatura &c. In hoc sensu manebat peruicaciter, & Sathanas obcæcauit eum, & ità obstinatum reddidit, vt nemini cedere vellet, quasi hoc ipsius figmentum ex scriptura tantummodò valeret. Sic Sacramentarij proprium & à se fictum intellectum de scripturæ verbis, Hoc est corpus meū, &c. in sua sententia, id est, hoc significat corpus meum, impiè & erroneè persistunt, nulli cedunt, & iactant se habere scripturam: sed sacræ scripturæ non in legendo, sed in intelligendo consistunt, vt ait D. Hieronymus. Sic Anabaptistæ faciunt, fundantes se super illa verba Marc. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. Pueri non credunt, ergò baptizandi non sunt. Sic Luterani sententiam suam de sola fide iustificante confirmant verbis Pauli, Arbitramur hominē iustificari fide &c. cùm tamen non retineatur salus, nec iustificatio sinè dilectionis operibus; & sic quoquè illa verba, quæ CHRISTVS contra Iudæos & Pharisæos locutus est Matthæi 15. Gratis me colunt mandatis hominum, &c. trahunt Sectarij aduersùs traditiones generalis Ecclesiæ, aduersùs monachos &c. Quoniam igitur illi ipsi proprium suum intellectum inferunt in scripturam, & eam torquent quò volunt ac falsificant: ideò einsmodi negocium pertinet ad publicum Ecclesiæ iudicium, quæ habet mandatum, vt probet spiritus, an ex Deo, id est, ex veritate sint, 1. Ioan. 4. Ideò debemus Ecclesiæ intellectum sequi: nam etiamsi concesserimus hæreticis scripturam, nolunt tamen illam acceptare, nisi interpretatio sit consona illis, & sic eorum intellectui accedat. Sed cùm authoritas proxima post scripturā sit authoritas Ecclesiæ, ideò illa est audienda. Deindè singulariter notandum est, nomen illud Traditio, quo etiam vtitur Paulus 2. Thess. 2. Tenete traditiones, inquit, & hoc vocabulum omnes omnium temporum nouæ Ecclesiæ doctores vsurpàrunt, maximè quandò respondent hæreticis hostibus Ecclesiasticæ doctrinæ, qui nihil volunt acceptare quod non scriptum sit in Biblijs. Sic autē doctores nostri ferè omnes dicunt, quòd omnia quæcunque Ecclesia Catholica publicè facit & tenet, hoc habet primò ex scriptura sacra: deindè ex apostolica traditione, quę ab illis ad nos per successionem peruenit, præter hoc, quòd magna est authoritas Ecclesię, & potestatem habet eiusmodi bonas consuetudines & traditiones tenendi ac tuendi. De illis etiam traditionibus in scripturis non positis, quid doctores sentiant, notanter docet Augustinus ad inquisitiones Ianuarij, sic inquiens: Illa quę non scripta, sed tradita custodimus, q̄ quidē toto orbe seruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri. Idem S. Augustinus Epist. 86. ad Casulanum, in his rebus vbi scriptura nulla est, obseruanda sunt maiorum instituta tanquam pro lege. Et Eusebius lib. 3. cap. 36. Scribit de S. Ignatio, quòd reliquerit pòst se traditionem Apostolorum, quò nulla foret apud posteros ambiguitas, & idem lib. 5. cap. 11. testatur, quòd Clemens Alexandrinus, qui admodùm vicinus vixit temporibus Apostolorum, fateatur se à confratribus suis rogatum fuisse, quatenùs scripto committeret, quæ à successoribus Apostolorum voce sibi tradita perceperit. Ex quo patet, quòd apostoli non omnia scriptis commendàrint, quæ suo quoquè loco & tempore obseruanda & tenenda forent. Sed quòd multa discipulis suis viua voce tradiderint, quæ tandèm longa serie ad nos quoquè permanārunt; scripserunt autem ea, quæ maximè ad salutem necessaria visa sunt, sicut etiam Chrysostomus nobiscum fatetur. Irenæus apostolorum discipulus lib. 4. cap. 43. scribens de apostolorum successione,

docet quòd Christiani Episcopis suis obedire debeant, vt qui haberent successionem suam ab Apostolis, & cap. 44. ait, ibi est discenda veritas, vbi est Ecclesiæ successio, quæ ab Apostolis venit. Tertullianus quoquè contra eos, qui ità scripturam nudam exigebant, vbi non opùs est scriptura, inquit, potest etiam non scripta traditio in obseruatione defendi confirmata consuetudine. & iterùm; Facile est, interrogare vbi scriptum habetur, quòd non liceat serta seu coronas gestare? aut vbi scriptum inuenitur, quòd debeamus serta in capite portare? Ità & nos possumus respondere nostris scripturarijs seu atramentarijs, quandò quærunt, vbi scriptum est, quòd sal, aqua, herbæ, panis &c. benedici debeant? quæramus nos vicissìm, vbi scriptum habeatur, quòd non debeant benedici? Sic de festis diebus festiuis, ieiunijs, ciborum delectu, cæremonijs &cæt. dici potest. Fatentur autem omnes ferè doctores, cùm agunt de traditionibus, quòd neque Apostoli, neque eorum successores seu discipuli omnia pergameno inscripserint, aut mortuæ literæ tradiderint, sed quòd plurima non scripta post se reliquerint, & viuo ore suis auditoribus annunciàrint. Vndè adhuc Ecclesia Catholica & apostolica eorum traditiones habet & obseruat, tanquam quæ ab antiquissimis deuenerint ad patres, qui ante mille annos vixerunt, & ab ijs ad nostra vsque secula fluxerunt. Porrò instant hæretici: Matt. 15. inquit CHRISTVS, Gratis colunt me doctrinis & mãdatis hominum &cæt. Et Deuter. 4. & 12. Verbo DEI nihil addas, aut demas &c. Ergò superuacanea sunt, & non obseruanda, quæ extra scripturam præcipiuntur.

RESPON.

Christus hic non loquitur de traditionibus Ecclesiæ suæ Catholicæ, sed de traditionibus Iudæorum, quę non sunt iuxta voluntatem scripturæ sanctę, sed secundùm præcepta & doctrinas hominum, inquit Origenes super Matth. homil. 35. & Hilarius Cano. 15. dicit abrogandas & tollendas esse eas traditiones, quibus Dei præceptis fiat fraus. Ex quo autem nunc traditiones Ecclesiæ non sunt contra Dei præcepta & scripturam, sed maior pars ex ea petita est, & fiunt in honorem & laudem DEI, ad deuotionem fidei & conscientiæ, & ad vniformitatem cultûs diuini conseruandam, ideò falsè trahunt hanc scripturam contra traditiones & cæremonias Ecclesiæ. Verbo enim Dei sancta Ecclesia nihil addit, nec adimit, sed hoc hæretici faciunt, addentes noua glossemata, & diminuentes intellectum Ecclesiæ, &c. Habebant enim Iudæi multa præcepta & traditiones Seniorum, vt lotionem manuum ante ingressum templi, ante manducationem panis, sæpè se baptizabant cùm locuti essent gentilibus, cùm tetigissent morticinium, &c. cùm aliquid mitterent in Corban, & pleraque alia, quibus omnibus tribuebant iustificationẽ, non curantes fidei iustitiam. ideò contra illos loquitur CHRISTVS & scriptura. Cùm autem Ecclesiæ traditiones fiant in alium finem, quàm iustificationis, nihil efficiunt hæretici. At potiùs vicissìm sic vrgendi sunt hæretici, cùm & ipsi plurima teneant & faciant in Ecclesijs suis, quorum ex scriptura expressum testimonium adferre nullum possunt, nempè vbi scriptum habeatur, quòd baptizantes puerum trina vice aqua tingere debeant, quòd legunt ante Baptismum exorcismum, quòd patrinos adhibent, quòd ex Baptisterio, & non ex aqua fluuiali, sicut Apostoli fecerunt, baptizant: vbi pręcepit Deus templa ædificare, & campanas pulsare, & cur in paruo calice, & non potiùs in cantharo ampliori: & cur ieiuni, & non sub cœnę tempus communicant? quodque altario vtantur, non mensa lignea: quòd infirmis eucharistiam in domibus ipsorum distribuant, & quarè euangelicas lectiones in hac vel illa dominica (sicut nos quoquè) legant, & non promiscuè, &c. & multa eiusmodi alia, quandò nihil acceptare volunt nec tenere, nisi quod scriptura expresse dicit, cur hæc faciunt? Sed vulpina latet fraus, quæ iam diù omnibus patet. Sed hæc in summa est omnium Catholicorum sententia, quòd non sit necessarium in omnibus, quæ generalem cultum Dei concernunt, expressa mandata scripturæ vrgere, inprimis verò in ijs rebus quæ ad laudem Dei ordinatæ sunt, & ad profectum fidelium, adque decorum ordinem Ecclesiæ faciunt: deindè in ijs, quę verbo DEI & scripturæ nihil derogant, nec contrariantur eius præceptis, vt(?) nemo in ipsis iustificationem locet, & ità sanguini & merito CHRISTI suus honor derogetur.

AN

AN ECCLESIA HABEAT AVTHORITAtem condendi Canones. Cap. 29.

OBijciunt hæretici: pontificij docent quòd Ecclesia talem habeat potestatem, nempè Papa, Episcopi, & cæt. quòd iuxta placitum suum possint condere Canones, leges & pręcepta, quibus grauant conscientias fidelium, vt qui contra ea faciat, condemnetur, & qui illa obseruârit, mereatur vitam ęternam.

RESPON.

Primò notandum, quòd Canones, leges, traditiones, & cęt. in ecclesia possint fieri & condi in duplici modo. Primo, vt obseruatores mereantûr salutem, & neglectores aut cótemptores damnationem: iste finis & intentio falsa & erronea est, quia solum vnicum opus est propitiatorium, id est, mors & victima Christi, Esa. 53. quod ipsum est causa salutis & precium beatitudinis, si fide appræhenditur, 1. Ioannis secundo capite. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Si igitur extra hoc opus salus & remissio peccatorũ quæratur in alio quocunque opere, tunc error & impietas est. Igitur Ecclesiæ authoritas non se extendit in hunc finem condere canones. Secundo modo póssunt condi canones & ordinari traditiones ordinis causa, vt omnia fiant in Ecclesia honestè, decorè & deuotè: & habet præceptum verbi Dei. 1. Corinth. 14. Omnia in vobis fiant honestè & secundùm ordinem: item ad maiestatem cultûs diuini, verbi DEI, ac sacramentorum, vt Dauid dicit Psalm. 146. Deo nostro sit (id est, esse debet) iocunda (mentis & cordis) decoráque laudatio, scilicet cæremoniarum, & cæt. omnia enim illa finem habent laudis, non iustificationis: & illos Canones & traditiones potest Ecclesia secundùm conditionem temporum & mores hominum, reuocare & instituere nouos, secundùm quod viderint præsides Ecclesiæ expedire: nullum autem articulum fidei nec sacramentum possunt mutare, aut condere noua, nec aliud dare Euãgelium, quod etiam aliud esse non potest, sicut dicit Apostolus ad Galatas primo capite. nam est vna fides, vnum baptisma, & cæt. Ephesi. 4. Deindè in quolibet Canone aut traditione vel cæremonijs ecclesiæ duo ponderanda sunt. Primò, ipsa cæremonię dignitas, vt est opus in se feriari statis diebus, ieiunare, processiones rogationum agere, indulgentias promereri, & cæt. hoc opus vel traditionem violare nec peccatum est, nec non peccatum, conscientia in hoc nõ grauatur, quia illa quiescit in merito & sanguine Christi, per quem saluamur. Deindè ponderare oportet potestatẽ condentis Canonẽ aut traditionẽ, & quoniã potestas à Deo est, cui si quis resistit, Deo resistit, Roma. 13. & Deus iubet vt illi obediamus, non solùm propter gladium, sed etiam propter conscientiam, id est, conscientia peccat & grauatur, si quis cótempserit potestatem. Qui ergò nunc contemnunt præcepta & traditiones Ecclesię, quę sinè peccato seruare poterunt, cùm fide non abolet legem, Rom. 3. Sic contemptus potestatis peccatum est, quia est contra conscientiam, id est, conscientia hæc quæ pergit in sua contumacia contra præceptum DEI, non est bona; & si conscientia bona & sana non est, sed pugnat contra DEI præceptum & ordinationẽ, ob id docuit Apostolus 1. Tim. 1. habens fidem & conscientiam bonam &c. Sic non canon aut traditio te saluat aut damnat, sed contemptus potestatis, quam potestatem Deus constituit. Sicut enim pomum in paradiso non damnauit parẽtes nostros, erat enim creatura bona Genesis tertio capite, sed cótemptus in Adamo & Eua, quòd verbo DEI non obtemperabant: ità se habet cum istis pijs traditionibus, in quibus contemptus magìs damnat nos & accusat, quàm negligentia. Nec quoquè est cótra Christianam libertatem, obedire traditionibus & canonibus, quandò libertas illa solùm consistit in sanguine Christi, qui solus iustificat, nè opùs sit ab alio opere quærere iustificationem, & nemo est qui in eum finem obseruat canones, leges, traditiones, vt iustificetur. Carnalis igitur libertas, quę secum habet contemptum, hæc damnat & grauat conscientiam: Non enim debes respicere, dum violas traditionem, ad opus ipsum quod violas, sed potiùs ad potestatem quæ illud præcepit, & ad tuam inobedientiam: ideò dicitur 1. Pet. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturę propter Deum, & cæt. Porrò Gerson parte 1. contra sectam se flagellantium, inquit, Humana natura postquam destituta est ab originali iustitia, homo cupidiùs fertur in illa quæ sunt propriæ adinuentionis,

quàm in ea quæ sunt iussionis Diuinę; auidiùs audit & applaudit nouitatibus, mendacijs, sectis, nouis cæremonijs, quàm verbo Dei, & cæt. Sic venit ex corrupta natura, vt habeamus maiorē deuotionem erga quasdam res, quàm vt deceat, deuorantes camelū & excolantes culicem, vtq; maiorem habeamus diligentiam circa nostras obseruantias, quàm DEI præcepta: in tali casu attendendum est, nè de nobis quoquè dicatur, Frustrà me colunt doctrinis & mandatis hominum, &c. Et idem Gerson, vt suprà, ait: Opium verbum, & omni acceptatione dignissimum, quod Petrus dixit Actor. 15. Per gratiam Domini nostri IESV CHRISTI credimus nos saluari, quemadmodùm & Patres nostri saluati sunt, nè iugo legis præceptorum, cæremoniarum, traditionum, quas neque ipsi, neque nos portare possumus. Vigilare ergò debent Pastores, vt præficiant doctos parochos, qui populum, si fortè in ijs sint, renocent à varijs superstitionibus, nè multiplicatione statutorum grauentur conscientiæ simplicium, tanquàm ab illis pendeat salus. Si enim ex lege esset iustitia, Christus frustrà mortuus esset, Galat. 2. Non data est illa potestas ecclesię ad perturbandas conscientias timidas, vel ad destructionem, sed ad ædificationem: ideò finem huius rei oportet considerare, propter quem canones vel leges ecclesiasticæ sint conditę. Non igitur teneantur simplicium conscientiæ reseruatione Casuum, aut comminatione, quasi incurrerint ex transgressione illa peccatum mortale, maximè si admiserint, præter contemptum potestatis vel ex alia causa.

QVI ET QVALES PRO HAERETICIS HABENdi sint. Cap. 30.

EX quo igitur non duæ Ecclesiæ Christi, sed vna est, & cùm omnis, qui est extra illam vnicam ecclesiam, non saluari potest, quia non est membrum istius corporis mystici, cuius caput est Christus, & cùm Paulus dicat, sectas regnum DEI non possessuras, Galat. quinto capite, meritò quęritur, quis pro hæretico habendus est: nam nullus hæreticus vnquàm inuentus fuit, qui fassus sit se esse talem, sed potiùs se verum CHRISTI Ecclesię membrum & cæt. Quoniam autem talis nec ex scriptura possit cognosci, quandoquidem nullus eorum est, qui non fortissimè alleget verba scripturæ, & oēs scripturam pro fundamento habeant: nam frequens est illis in ore verbum DEI, euangelium, & Catholici non minùs quàm ipsi verbum DEI habeant & allegent, adhuc cognosci facilè non potest, quis talis sit censendus. Deindè cùm omnes sectarij gaudeant fœtore Catholicorum, & per vituperium & opprobrium abusuum in nostra ecclesia suam causam extollunt & ornant, & pro excusatione adferunt quòd meritò à nobis decesserint, tanquā ab impijs idololatris, superstitiosis & erroneis hominibus, hæc causa nondùm sufficit aut probat, vt quis eos hęreticos dicat propter hoc quod ipse Christus, prophetę ac martyres fecerūt, qui idololatrias, superstitiones, & falsas doctrinas Iudaicorum Pōtificum, Scribarum ac Pharisæorum execrati sunt, & ab illis secesserunt. Vt igitur cognoscatur, quis sit hæreticus censendus, antè & primò considerandum est, cur Deus voluit & ordinauit potestatem & superioritatem super terram in Ecclesia sua, nempè spiritualem & secularem. Roma. 13. Omnis potestas à DEO est, & occurrunt quidē potissimùm causæ duæ: Prima, ad conseruandam verę fidei & religionis vnitatem in conscientijs hominum: Deindè, ad publicam pacem & tranquillitatem. Vt igitur sit vnitas fidei in ecclesia, constituit Christus Petrum & eius successores, cui tradidit pasturam ouium, id est, scripturam, vt doceret eam secundùm veritatem: Deinde Dei præcepta, & commisit ei quatenùs attendat gregi, nè lupus, id est, hæreticus & falsus doctor dispergat oues in fide, & mactet eas, id est, ad damnationem seducat, Ioānis decimo capite, Actorum vigesimo capite. & huiusmodi inspectionem doctrinæ non solùm in personam Papæ (id est, successoris Petri) fundauit, sed dedit ei quoquè coadiutores multos, id est, totum Concilium, quod in dubijs fidei rebus in cōmune consuleret, & ipse Papa pronūciat sententiā, & prouulgat ac corroborat nomine omniū, sicut fecerunt Apostoli in concilio Hierosolymitano, vt liquet Actor. 15. & Petrus profert sententiam, quæ erat à suis coadiutoribus decreta, & pronunciat aliorū nomine, dicēs: Visum est spiritui sancto & nobis: nō dixit,

dixit,mihi:& hi coadiutores scribunt eandem definitam sententiam alijs quoq; ciuitatibus per epistolam, & Paulus ablegatus ab Apostolis,peragrãdo ciuitates,precipit populo, vt seruarent ea quæ decreta essent in Cõcilio illo; & sic formam celebrandi Concilij præscripserunt nobis Apostoli. Hanc sentẽtiã Concilij definitam, ꝓnunciatam à successore Petri & diuulgatã, tenentur omnes pij ac vera membra Ecclesiæ Christi amplecti & acceptare, iuxta illud Heb.13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro vobis, vt cum gaudio hoc faciant. Igitur qui nolunt audire ecclesiã,illi sunt à nobis habendi vt ethnici,id est, gentiles, qui non sunt de corpore ecclesiæ,sed infideles, Mat. 18. ità quòd nihil proderit illis ꝓpria fides, opinio, intellectus scripturæ,& sic ad Titum Apostolus ait, hæreticum hominem post vnã aut alteram admonitionem & correptionem deuita, sciens quia subuersus est, & peccat,& proprio etiam iudicio est damnatus, id est,propria eius conscientia arguit eum de contumacia: & ex illo fundamẽto procedit excommunicatio externa prelati in ecclesia. nam interna excommunicatio,qua hereticus seipsum separauit & excommunicauit sua singulari opinione & heresi,quam Sathan confirmat, à communi fide Ecclesiæ catholicæ,preceßit: sequitur nunc Papę excommunicatio. atque sic omnes heretici sunt in excommunicatione, & hoc etiam per bullam Papę toti ecclesię per vniuersum mundum insinuatur. Ex illo sequitur, quòd alius (id est, Papa) cum toto Concilio indicat toti ecclesię, quis sit pro schismatico habendus, non sunt audiẽdi heretici,quia nullus illorum vult esse hæreticus; Deindè non est credendum scripturis illorum, quas trahunt ad auditum prurientiũ aurium populi, cũq; ijs heresim suam confirmant. Alius ergò, nempè qui est caput secundarium ecclesię, cum toto concilio audiendus est in interpretatione scripturę: omnes enim ab initio heretici suas opiniones per scripturas confirmârunt. Nec audiendi sunt, cùm reprehendunt abusus Catholicorum, & per eos suam causam ornare volunt: magis enim grauant nos mendacijs impudentissimis, quàm rei ipsius veritate, cùm populo simplici persuadent, nos adorare panem, inuocare mortuos homines, velle iustificari per opera & Ceremonias, adulterina habere sacramenta,& cęt. Sed hęc ipsorum mendacia neminem mouere debent: nec interim negligere vel deserere debemus nostrę ecclesię dogmata, Ceremonias, sacramenta, & cæt. quantumuis ab illis maledicantur: alias enim oporteret nos propter Iudæos & Turcas & fidem & totum euangelium abnegare. satis nobis esse debet,quòd in vnitate fidei & ex obedientia Ecclesiæ eiusque superiorum ordinatione hæc omnia facimus, scientes illud Apostoli 1. Corinth. 13. Si habuero omnem fidẽ,scientiam,prophetiã, si dedero omnem substantiam pauperibus, si tradidero corpus vt ardeam, sinè charitate (id est,vnitate) nihil prodest. Porrò superioritas est à Deo ordinata propter cõmunem pacem conseruandam, & huic commisit DEVS gladium, Roma. 13. & quia ille magistratus est custos legis Dei, quicquid statuerit Concilium quod non est contra verbum DEI, exequitur & mandat seruandum: & omnes qui nolunt esse hæretici, ei obedire tenentur, non solùm propter iram, id est, gladium, sed & propter conscientiam. Ex prædictis ergò breuiter intelligi potest, primò qui sint censendi hæretici & schismatici, nempè quos Christiana superioritas (hoc est,Concilium) tales declarauerit: deindè, quàm periculosum sit viuere & esse sinè obedientia superiorum Papæ & Cæsaris,& se illis quos Deus ordinauit,cõtumacem præbere: ex illo enim contẽptu Deus nõ solùm ipsum hominem, sed alios quoquè,immò totam regionem cum ipso punit per bella,seditiones, effusiones sanguinis,dißipationes rerum, & euersiones imperiorum,ex quibus agnoscimus iram Dei aduersus inobedientes,&c.

DE VERA PRAEDICATIONE VERBI DEI. Cap. 31.

Obijciunt hæretici,quasi doceamus,nostros Episcopos & parochos habere potestatẽ in ecclesia prædicandi quæcunq; ipsis libeat,etiam præter verbum Dei, & si talẽ habeamus potestatẽ,fore vt nos supra Christum & eius verbum ponamus,&c. RESPON. Apostolus 1.Pet.4.inquit: Si quis loquit,scilicet ad populũ docendo,sit verbũ hoc quod loquitur, verbum Dei, nõ sit verbum hominis,sicut Propheta etiã dicit Psalm.

Psalm. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum domine, & rursus: Viuifica me domine secundùm verbum tuum. Nam oportet conscientiam nostram in re salutis habere petram & fundamentum salutis & iustificationis, quod sit certum & infallibile, vbi conscientia sit secura, quia remissionem peccatorum & salutem acquirit, sed non potest dari aliud fundamentum, præter id quod positum est 1. Corin. 3. id est, CHRISTVS & verbum suum, scriptura sacra. Ideò quilibet episcopus aut Concionator vel sacerdos nihil debet prædicare & ordinare, quod sit ad salutem necessarium, præter verbum D E I, quod nouit, & de quo certus est quòd CHRISTVS hoc docuit & iussit, sicut Lucæ quinto Petrus dixit, In verbo tuo laxabo rete. Fundamentum igitur fidei nostræ est verbum D E I, & hoc solum quietat conscientiam. Signanter dicitur, quòd conscientia debet habere pro fundamento verbum D E I in re salutis; sunt enim multa alia instituta verbo humano in ecclesia in finem boni ordinis siue Politicum, sicut Apostolus docet 1. Corinth. 14. Omnia honestè & secundùm ordinem fiant in vobis; non vt sint fundamentum, ex quo salus hauriatur, vt sunt cæremoniæ, ordinationes, status, dies, cibus, & cæt. Nam differentia est magna inter articulos fidei, quos scriptura proponit ad credendum necessarios ei qui cupit saluus esse: & cæremonias ac traditiones, quæ non salutis, sed ordinis causa sunt in Ecclesia institutæ: debemus fidem articulis fidei ac verbo DEI, obedientiam Cæremonijs ac traditionibus, nè vinculum vnitatis rumpamus: fides enim non abolet legem, sed statuit. Salus igitur nostra ligata est solùm ad vnicum opus propitiatorium, id est, mortem Christi & victimam, Esa. 53. qui solus mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter Iustitiam nostram, vt liberemur à peccato, sathana, & morte, & propter illum iusti apud D E V M esse mus. Ad nullam igitur aliam creaturam vel etiam opus, quàuis sanctissimum, ligata est salus nostra, nec in vllis cæremonijs ea quærenda est, sed cæremoniæ & traditiones exigunt obedientiam & pietatem. Vtrunque autem docetur in Ecclesia, id est, verbum D E I, nempè articuli fidei, sacramenta, &c. & in his quærimus & locamus salutem, deindè traditiones & humanum verbum, id est, præcepta Ecclesiæ sed in alium finem, aliamq; intentionem, nempè ordinis & vnitatis causa, ac maiestatis verbi D E I atque sacramentorum contemptus tamen peccatum est, non propter dignitatem Cæremoniarum ac traditionū, sed propter potestatem & superioritatem quæ à DEO est ordinata, Rom. 13. cui subiecit nos DEVS. Quòd autem hæretici dicunt, nos habere potestatem aut nos habere præsumere pro libito & placito prædicandi etiam extra verbum D E I, mendacium est. Nam CHRISTVS ideò dedit Ecclesiæ suæ Doctores & Pastores, vt ædificent corpus Christi, id est, Ecclesiam, ità vt omnes ad vnitatem fidei perueniant, vt nō circūferamur omni vento doctrinæ, iuxta nequitiam hominum, id est, hæreticorum, qui faciunt schisma in Ecclesia & sectas, per quas Christi oues priuantur salute, Galat. 5. Potestas igitur ecclesiæ ad hoc concessa est, nè quis pro suo libito præsumat prędicare, sed prçceptum habet probandi spiritus, an sint ex D E O, 1. Ioan. 4. sed probationem quis meliori iure habet, quàm caput Ecclesię, id est, Papa cum Concilio? Hanc probationem habere non possunt hęretici inter sese, nam dissentiunt perpetuò, & vnus cū altero pugnat, & quilque iactat scripturā, aut suam priuatam scripturæ expositionē, eamque ab alijs atque alijs diuersam. Multò minùs laici possunt probare spiritus, qui non intelligunt scripturas: ideò meritò hoc negocium relinquitur Ecclesiæ Catholicæ, quam repręsentat Conciliū Christianum, vt prohibeat falsa glossemata, varias scripturę interpretationes, & cęt. & huiusmodi sententiam Papa pronūciat, cui obedire omnes ex CHRISTI mandato & scripturę tenemur. Ideò dicit Apostolus 1. Corinth. 1. & rogat propter nomē Domini nostri Iesu Christi, nè sint in nobis schismata, & ad Rom. 15. rogat patrem Dñi nostri Iesu Christi, vt det idipsum sapere secundùm alterutrum. Nec curandum est, quandò hæretici clamant se habere verum intellectum scripturę, docere purum Dei verbum, non autem nos: sed quis probat, vtrùm illi, an nos habeamus verum intellectum scripturæ? Potestas ordinaria probat, quę authoritatem habet probandi spiritus, quòd nos catholici rectè doceamus. Sola ergò catholica ecclesia habet purum verbum Dei, id est, examinatum & purū à falsis glossis: quicunq; ergò hanc

hanc sequitur, ille securus est iu conscientia, quia obedit præcepto diuiuo, quo iubemur audire Ecclesiam, Matth. 18. & subditi esse potestati, Rom. 13. Deindè, quia ecclesia est domus Dei viui, in qua inhabitat, & est columna, cui præualere non poterunt portæ inferorum, Matth. 16. Et basis (id est, petra) veritatis propter assistētiam Spiritus sancti, vt maneat nobiscum in æternum. Contra hanc obedieutiam & ecclesiæ subiectionem mirificè pugnat Sathanas: & licet permittat 'queuq; credere sicut vult, tamen in hoc est studiosus, & omnes machinas admouet, vt vnitatē rum pat fidei, vt vulneret ac tollat è cordibus hominum charitatem erga Deum & proximum. Cæterùm authoritas Ecclesiæ nō est supra Deum aut verbum Dei, vt hæretici nobis falsò affingunt: nam quis vnquàm sic insaniuit, vt hoc assereret? Verbum Dei per se manet in æternum, Ecclesia autem colligitur ex verbo Dei, non igitur potest esse supra verbum Dei: huic sinè scelere nihil addi, nec quicquam demi potest; manet per se immutabile, sicut Deus per se immutabilis est, & super omnia dominatur hoc verbum, & illi subiecta sunt omnia: nō est ergò authoritas Episcoporum vel doctorum Ecclesiæ supra verbum Dei, sed est supra glossemata & falsas doctrinas hæreticorum, nè quisquā illorū præsumat interpretari secūdùm suum placitum & mentē verbū Dei: in hoc præualet & iudex est ecclesiæ authoritas. Quid si quis non audiērit ecclesiam? Is pro ethnico tibi habendus est, id est, non pro membro ecclesiæ: manet Iudęus Iudęus, quamdiù non suscipit fidem Christianam: mauet hęreticus hęreticus, quamdiù non audit ecclesiam, &c. Non igitur extendit se authoritas ecclesię supra verbum Dei, sed supra glossas sectariorum & falsariorū sacrarum literarum. Sic Ioānes ait, Si quis venit, & hanc nostrā doctrinam non attulerit, nolite eum recipere in domum, nec Aue dixeritis ei. Hæreticorum autē erronea doctrina satis nota est, & iādiù dānata ab ecclesia: lex quoque canonica & ciuilis interdixit, nè semel damnatæ hęreses iterùm renouentur, vt patet 24. q. 1. cap. Maiores. Gelasius Papa inqt, Maiores nostri diuina inspiratione cernētes, necessariò præcauerunt, vt quod cōtra vnāquanq; hæresim semel coacta synodus pro fide & veritate catholica ꝓmulgāsset, non sinerēt nouis post hac retractationib, mutilari, nè prauis occasio præbeatur, quæ medicinaliter fuerant instituta, &c.

AN SACRAMENTA HODIE IN ECCLESIA ADMINISTRENtur, sicut Christus instituit. Ca. 32.

AD hoc quod à sectarijs obijcit nobis, quasi sacramenta alio, quàm quo Christus iustituit, modo adminiſtremus, & id maximè circa Eucharistiam, eò quòd laicis tātùm vuam speciem porrigamus, iu hūc modum respōdemus: si hoc est illegitimo & alieno, quàm iuxta Christi institutum, modo accipere sacramenta, tuuc nemo Christianorum vel Baptismum, vel Eucharistiā, quæ sunt potiora sacramenta, rectè accepit, id quod patet primò de Baptismo, quem Christus instituit & præcepit administrari debere credentibus, cùm ait: Ite, scilicet ad gentes & Iudæos, & conuertite eos ad fidem: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: ideò ille qui credit, & ad euangelium conuersus est, baptizari debet iuxta institutionem Christi: sed nos omnes baptizati sumus in infantia, actualem fidem non habeutes: ergò hoc sacramentū baptismi non accepimus iuxta Christi institutiouem. Sic quoquè Mat. vlt. iubet primùm docere omnes gentes, & deindè Baptizari eos iu nomine patris & filij & spiritus sancti: Oportebat igitur & nostros pueros priùs doceri, quàm baptizari, &c. Et indè sequeret quòd neq; Apostoli rectè baptizârunt, quia non secundùm institutionē Christi administrârunt, q iussit baptizari in noīe S. Trinitatis. ipsi aūt baptizârūt solùm iu uomine Iesu, Act. 2. dicentes, baptizetur vnusquisq; vestrū iu uomine Dnī nostri Iesu Christi, in remissionē peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti, &c. Sic de sacramento Eucharistię accidit. Si nemo rectè accipit, nisi secundùm iustitutionem Christi, tunc nemo hodiè rectè accipit sacramentum. Primò christus post cœnam dedit hoc sacramentū Luc. 22. cœnantibus illis, nos manè, Apostoli vesperè: uos ieiuni, illi post manducationē agni paschalis: nos stātes & ꝓcūbētes, illi sedētes, cōmunicam⁹ uobis iu os porrigit hostia, illis in man⁹. datur, cū dicitur, Accipite & comedite, &c. Nō ergò planè administratur nobis sacramentum hoc iuxta omnimodam formā Christi, & ideò rectè nec hoc sacramētū accipimus. Prætereà ecclesia catholica fidē, sacramēta, & ꝓceptū Christi plùs æstimat, q̄ ipsas species sacramenti, id est, pluris facit ipsam fidem & præce-

præceptum baptismi, quàm ipsam aquam, quæ tamen necessariò requiritur, immò etiam præponderat Dei præcepto: & licèt fides necessariò exigatur, attamen non super fidem nostram baptizamus principaliter, sed super Dei. Est autem fides immutabilis ecclesię, qua credit Christi corpus traditum pro peccatis nostris, & sanguinem fusum pro remissione peccatorũ nostrorum, vt hæc fides semper exerceatur, & nè obliuio huius immensi operis, quod Christus pro salute nostra semel fecit in cruce, & peccator lapsus iterùm in communionem sanguinis Christi intret, & consortetur in hac fide, institutum est hoc sacramẽtum Eucharistiæ, scilicet in memoriã mortis Christi, quam pro nobis passus est Luc. 22. & 1. Cor. 11. Hæc quotiescunquè feceritis, mortem Domini annunciabitis, & cæt. Hæc fides catholica cùm sub qualibet specie credit totum Christum, id est, corpus, sanguinem, animam, vitam, Deitatem, & plenam memoriam habere potest circa quamque speciem, scilicet corpus Christi traditum & sanguinem fusum, ideò sufficit ad salutem circa vnã speciem habere memoriã, & gratiarũ actionẽ, quod æquè fieri potest sub vna specie, atquè sub duabus: hæc fides in se semper manens, gratias agit Deo de passione filij, siue sumat sacramentum sub vna aut sub duabus speciebus: ideò hæc fides plùs est, quàm species. Insuper ecclesia plùs ponderat præceptum Christi, scilicet vt sumamus sacramentum, quàm ipsas species: quod præceptum eucharistiæ sumendæ æquè possum implere sub vna, sicut sub duabus speciebus pręcepit Christus manducare corpus suum & sanguinem bibere, Matth. 26. sed non præcepit quòd sub hac aut sub altera specie fieri debeat, reliquit hoc arbitrio cuiuslibet, dicens: hæc quotiescunquè feceritis, in meam memoriam facietis, Luc. 22. & 1. Corinth. 11. Non ergò peccant in Christũ, qui vnam speciem sumũt, vt ipse fatetur Luterus in sua Babylonica. Quandò igitur tota vis consistit in fide & præcepto CHRISTI, nó in ipsis speciebus: igitur rectè accipitur sacramentũ tàm sub vna, quàm sub vtraque. Porrò grauius est periculum, errare & deficere in fide sacramenti, quàm in speciebus sacramenti: & si est ecclesia iudicanda vera aut falsa, potiùs à fide indicanda est, quàm à materia & speciebus sacramentorum: At ecclesia catholica firma est circa fidem & species Sacramenti: non autem sic fides sectaria, quia schismatica ecclesia primò negat panem & vinum transsubstantiari, sed manere panem & vinum post consecrationem vt antè: sed catholica ecclesia credit verbis CHRISTI, Hoc est corpus meum, simpliciter: non dicit, Hic panis est corpus meum, Matthæi vigesimo sexto capite. Deinde schismatica ecclesia non vult adorare sacramentum, quod fit ex defectu fidei ipsorum, quòd non benè credant adesse diuinitatem, quam ecclesia nunquàm abesse à Christo confitetur: immò eam etiã in sepulcro cum Christi corpore mortuo, & simul cum anima descendente ad Inferos fuisse credit: quod enim semel assumpsit, nũquàm dimisit, inquit Damascenus. quoniam igitur ecclesia catholica credit adesse Diuinitatem Christi in sacramento, rectè eam adorat, vt Mat. 4. Dominum Deũ tuum adorabis. Porrò schismatica ecclesia credit posse diuidi sacramẽtum, id est, sanguinem à corpore, quia dicunt totũ sacramentum tum integrum esse, si adsint duæ species, & si harum vna tãtùm adsit, esse dimidium sacramentum: & ideò abhorrent & cauillantur processiones sacramenti, & portationem ad infirmos, eò quòd tantùm vna species sit, & non integrũ (vt ipsi aiũt) sacramentum: at catholica ecclesia dicit, quòd Christus ampliùs non moritur, & si est in sacramento corpus ipsius verum & diuinum, quod quodammodò concedũt sectę, non poterit adhuc semel mori & diuidi sanguinem à corpore: & ideò si est verum corpus Domini, est integrũ & nó exangue corpus. Prętereà ecclesia schismatica credit per vsum sacramẽti, i. comestionem & potationem mereri remissionem peccatorum, quod falsum est, quandò sola fides quæ credit corpus traditũ & sanguinem effusum, appræhendit remissionem etiam ante & extra vsum sacramenti, Mat. 26. corpus quod tradetur, non dicit quod comedetur in remissionem, &cæt. Prætereà schismatici circa fidem errant: nam dicunt, si ego credo, fides mea consecrat sacramentum, non verba sacerdotis: illi fidem afferunt verbo DEI, quandò non fides mea, sed verba CHRISTI in persona sacerdotis prolata, consecrant sacramentum. Sacerdos enim consecratoria verba Christi dicit secundùm ipsius præceptum, Luc. 22. Hoc facite, & cæt. non ex propria authoritate & fidei suæ dignitate. an verò nó est pharisaica præsumptio, fidem

fidem suam effectuosiorē æstimare, quàm verba ipsius Christi. Porrò adimunt efficaciam & virtutem verbis Christi, eó quòd terminum ponunt sacramento, quamdiù sit efficax verbum Dei in sacramento, nempè tam diù donec sumatur: & tūc solùm esse sacramentum, quandò in vsu est communicationis: & quòd extra mãducationem, licèt semel consecratum sit verbo Dei, non sit verum sacramentum: at ecclesia quæ nouit ex Esaia, quòd verbum Domini manet in æternum, credit post prolationem verborum Christi tamdiù manere ibi sacramentū & efficaciã verbi Dei, quousq; fuerit consumptum vel à presbytero, vel alio communicante: sicut credit tamdiù efficacem baptismum in baptizato donec mortuus fuerit. Esa. 40. Verbū Domini manet in æternum. Mirū est igitur, quòd schismatici sic digladiãtur de speciebus sacramenti, cùm tamē circa eas & circa ipsum sacramentum pessimos & impios habeant errores atque damnabiles, & non curent de fide sacramenti, quod fundamentum est. Si adeò torquentur circa institutionem specierum sacramenti, cur non magis de institutione præceptorum, quam ipsi minimè curant? sed ex istis erroribus & litibus circa species & earum institutionem, factum est vt longè deterrimus & impius error sit natus, nempè quòd quidam negant omninò, non ibi contineri ipsum corpus & sanguinem Christi sub speciebus, sed tantùm esse signum aut figuram sacramenti, sicut hodiè (heu dolor) magna pars Europæ, ab illis hæreticis seducta, sentit & falsò credit. Quid? eò etiã prophanæ impietatis deuentum est, vt iam laicus restiarius aut tonsor, non consecratus nec ordinatus à potestate ordinaria catholica, præsumat tamē consecrare sacramētum & distribuere contra apostolicam doctrinã, Hebr. 5. vbi dicitur, Nemo vsurpat sibi honorem, sed qui vocatus fuerit tãquàm Aarō. & tametsi iactent se vocatos, illa tamen vocatio, quia non est legitima, nec facta ab ordinaria potestate, nihil valet, nec vera & fructuosa sacramenta efficiunt: & ideò meritò omnes honesti & pbi Christiani fugere debent ipsorum communionem, nec æstimare tanquàm si ederent buccellam panis albi, & biberent haustum vini. In summa igitur si fides sacramenti recta, vera atque catholica retineatur, tunc res est sinè periculo, etiamsi modus sumendi & administrãdi sacramenta varief. Habet enim ecclesia (vt quidam inquit) sicut cæteræ res mortalium omnes principium, medium & finem in suis ordinationibus, cæremonijs & institutis: quo fit, vt si quis subitò velit reuocare finem ad primordia, tãti laboris erit, ac si quis virum adultū ad cunas velit retrahere: multa secum fert tempus & rerum status. Igitur cæremoniæ & ordinationes semper p tempore mutantur, & media ac limitatione admittunt, manente tamen semper fide vna & æquali in Christum & eius sacramenta. Ecclesia igitur ordinat & statuit secundùm tempora & conditiones. Olim in primitiua ecclesia Christiani conueniebant in domibus, sicuti Ioannis vigesimo capite de apostolis legitur, nunc autem in templis consecratis. sed vtrum horum decentius? an non conuenire in templo sancto? olim vesperè & sub cœna sumebatur corpus Domini, nunc à ieiunis & manè, & iuxta sacrum altare. Olim cùm populus in Ecclesia congregabatur ad laudandum DEVM, tunc alius legebat hymnum, alius apocalypsin, alius psalmum, alius loquebatur linguis, alius prophetabat, & interim garriebant mulierculæ, & sic erat confusio & indecora laudatio Dei, quam etiam taxat Apostolus 1. Cor. 14. nunc certis hominibus sunt distributa officia, illi vno tempore canunt hymnum & psalmum, illi alio tempore legunt lectiones biblicas, illi prophetant, id est, prædicant, illi celebrant missam, & cæt. reliqui tacent, vel respondent, & auscultant. Sed vtrum horum decentius & religiosius? nonnè hæc moderna consuetudo? Olim in nocturnis vigilijs cursitabant ad sepulcra Martyrum viri, iuuenes, puellæ, mulieres, & cæt. at cùm sub hac pietatis vmbra committerentur quædam flagitia, Ecclesia pro sua authoritate, qua semper polluit, has vigilias in Ieiunia mutauit, itã vt nunc vigilias summorum festorum & Martyrum, non cursionibus ad eorum sepulcra, sed ieiunijs celebremus. Olim dabatur corpus Domini in manum, vt domi quisque suæ, cùm vellet, sumeret: at cùm essent, qui hoc tractarent indignè, & ad artes magicas abuterentur, abrogata est hæc consuetudo. Olim porrigebatur sacramētū hoc sub vtraq; specie, idq; propter hæresin Manichæorum, negantium quòd Christus habuerit verum corpus & sanguinem, sed cùm Nestoriani exurgerent, qui diuidebant sacramentum, id est, sanguinem à corpore, instituta est vna spe-

cies, ad significandum quòd in vna specie sumeretur totus & integer Christus. Olim per suffragia populi creabantur Episcopi, & eiusdē populi libito iterùm deijciebantur. & interdùm lapidabantur, & erat res planè tumultuosa & periculi plena, sed nunc est consuetudo, vt penès paucos & certos homines esset ius deligendi episcopum, aut etiam submouendi. Olìm non canebant notis, attamen postea à musicæ species reperta est, licèt non sinè reclamatione propter inductum multorum boatum & clamorem atque iactantiam vocis. Olim abominabiles erant imagines in templis, nunc verò in honore & precio sunt, licèt abusus meritò sint tollendi. Olìm liberum erat Monachorum genus, sed cùm increscens turba per mundum se spargeret, redacti sunt in vitæ genus strictius, vt sub disciplina & claustris in monasterio agerent vitam. Olìm aduersùs hæreticos non nisi gladio spiritûs pugnabatur, sed cùm efferberet contumacia & prophana blasphematio contra superioritatem Ecclesiæ, coacta est imperatoria potestas legibus & armis communi discrimini occurrere. Olìm cùm esset adhuc feruens deuotio, tunc in certis vigilijs populus Christianus abstinebat non solùm ab esu carnium, sed ab omnium animantium esu, & tantùm leguminibus & oleribus vescebàtur, sed iam cùm refrixit talis deuotio, Pontifices instituerunt certas ieiunandi formas. Olim omnia ad pedes discipulorum offerebantur, & nemo aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia, Actorum quarto capite: at nunc quiuis clericus suam habet propriam portionem: & in Ecclesia variæ sunt factæ commutationes, semper tamen sub vna fide firma in CHRISTVM & cæt. Quicunque igitur hodiè digladiantur, vt pluris æstiment mutationes cæremoniarum, & cæt. quàm ipsam fidem, & sic perturbant charitatem & vnionem: videant ergò ipsi, an sint de vera & Catholica ecclesia. Non enim iustificatio (id est, remissio & salus) consistit aut dependet à speciebus, sed à Christi passione, quam fides apprehendit.

QVOD VERA ET ORDINARIA VOCATIO MINISTRORVM Ecclesiæ, vera & fructuosa sacramenta efficiat,

Cap. 33.

OBijciunt sectarij, & dicunt, nos catholicos vocare & ordinare pro placito ministros Ecclesię, & non secundùm doctrinam Apostoli idoneos & sufficientes, 1. Tim. 3. & ad Titum primo capite, idque patére dicunt in indoctis episcopis, canonicis, mercenarijs pastoribus, & cæt. RESPON. Primò notandum, quòd scriptura duplicem notat vocationem ministrorū: & primò ordinariam, id est, quæ fit ab illis, qui habent potestatem eligendi, ordinandi & præficiendi ministros: Sic Christus assistens pontifex futurorum bonorum, Heb. 9 non seipsum fecit pontificē, sed ille qui dixit ei, Tu es sacerdos in æternum, Heb. 5. ille vocauit & ordinauit alios, Matth. 4. Lucæ nono capite, & Paulus existens pontifex, ordinauit Timotheum oratione & cum impositione manuum presbyterij. Sic Tito committit officium ordinandi & constituendi presbyteros oppidatim & c. & Acto. 20. inquit Apostolus, Attendite vobis & vniuerso gregi, &c Est autem hęc vocatio vera, quæ fit ab his qui habent hāc potestatem. Alia est vocatio inordinaria, præsumptuosa vsurpatio ministerij, cùm quis seipsum ingerit, aut à talibus præficitur, qui non habent potestatem, vt sunt quidam principes aut Reges, qualis Ieroboam fuit, qui, cùm nemo ipsos miserit aut ordinârit, sed laici sunt, ecquomodo aut quo iure possunt alios mittere & ordinare? quales etiam hodiè sunt superintendentes sectariorū: de his autē qui non obseruant legitimum ordinem & sanam doctrinam ac consuetudinem Ecclesiæ, Paulus præmonuit, dicens 2. Timot. 4. erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, id est, tempus hæresum, & tūc ad sua desideria coaceruabunt sibi ministros prurientes auribus. de illis conqueritur Dominus per Hieremiam: Currebant, & Hier. 23
ego non misi eos. Iubet autem Christus, vt ab ijs nobis caueamus, attendite à falsis prophetis, qui veniūt (id est, non legitimè vocati) & cæt Est igitur hoc signum, quæ vocatio sit vera, quæ scilicet habet testimonium, quòd ordinaria potestas eam cōstituit. nam potestas à Deo est, Roman. 13. quicquid ergò à legitima potestate fit, hoc certò teneri debet, quòd à Deo est & verū. Illa autem vocatio, quæ non habet testimonium ordinariæ potestatis, nec ab illa facta est, vt est hæretica & sectaria, illegitima & falsa est. Ioannes Baptista cùm

prædi-

prædicaret finè Iudæorum ordinaria potestate, Matthæi quarto capite. & cùm similiter apostoli prohiberentur à pharisęis, nè prędicarent, responderunt: Oportet Deo magis quàm hominibus obedire, & cæt. Tales non possunt pro se citare schismatici prædicantes, nam Ioannes Baptista testimonium Christi habuit, Matthæi vndecimo capite, quòd inter natos mulierum non surrexerit maior Ioanne & c. & quòd sit angelus, id est, nũcius, de quo propheta Malachias 3. ca. Sic Apostoli quoquè suam vocationem à Deo probârunt miraculis varijs, Marci vlt. Tales à Deo habentes testimonium, erant veri ministri, etiã absq; humana authoritate: Sed vbi non est neq; sanctitas vitæ, aut miraculorum testimonium, neque ordinaria vocatio, illi tanquàm Pseudoapostoli & dolosi operarij fugiendi sunt, & sicut lupi qui mactât & perdunt animas. Per illos autem potẽs est Sathanas in deuastationem Ecclesiæ, & illorum sermo vt morbus cancer serpit. Præterea nec nos laudamus, quòd indoctiores præficiantur, qui aut fauore, aut munere ordinantur & euehuntur ad dignitates, quia sunt ex propinquioribus vel ex nobilitate, &c. Sed fortassè ità Deus hunc iam punit abusum, dum nobiles indocti Episcopi magis principum statum & pompam curant, factum est vt Principes seculares Episcopalem statum vsurpent, & ipsi ordinent & mittant in suis ditionibus quos volũt. Sed Ecclesia meritò tales indoctos subornatos anathematizare deberet: Sed tamen aliud est ordo hierarchicus, ecclesiæ ministeria, cæremoniæ, & c. & aliud est, vita illarum personarum, quę gubernant ecclesiam docendo, ministrando, & cæt. Si igitur defectus, error, aut inhabilitas sit in hominib⁹, nõ asscribendũ est hoc malum ipsi Ecclesię ministerijs & ordini hierarchico, quę Christus instituit & confirmauit suo sanguine: manet itaque Ecclesia, ordo, & potestas ordinaria pura & virgo, licèt qdam ministri non valeant: illorum peccata nihil derogant Ecclesiasticæ potestati, & cęt. At inquiunt: à malis & scandalosis ministris recedendum est.

RESPON.

Christus iubet audire sedentes super cathedram Moisis, id est, fungentes sibi concessa potestate, & vt faciamus secũdùm eorum doctrinam, & non secundùm vitam aut facta ipsorum, &c. Matt. 23 licèt igitur vita mala sit prælatorum, tamen potestas illis concessa & ministerium sacramentorum manet in sua efficacia. Vndè certiores reddimur in conscientia de efficacia sacramentorum ab illis administratorũ, quàm de alijs, qui sese ipsos ingesserunt finè ordinaria potestate, & ex temeritate præsumunt tractare sacramenta: est enim differentia inter malum ministrum, attamen consecratum: & inter hæreticum non ordinatum, eò quòd prior sit adhuc membrũ ecclesiæ, licèt putridum & infirmum; ille autem ob sectam abscissum mẽbrum & mortuum, non habens partem cum bonis ac donis Ecclesiæ Christi. Sic D. Augustinus dicit differentiã esse inter pessimum Christianũ & hæreticũ. Rursus inquiunt, Verbum D E I, omnia operatur, quicunq; id habuerit, ille virtute eius verbi omnia fructuosè facit, etiam finè ordinaria potestate: quid enim est Papæ potestas?

RESPON.

Vtrunque est à Deo, tam verbum Dei, q̃ potestas: & oĩs anima potestati sublimiori subdita esse debet: deindè hæc duo, potestas & verbum Dei, nõ sunt vna res: nam potestas est propter verbum Dei, vel ad docendum ac custodiendũ, 1. Corinthiorum quarto capite: Sic nos existimet homo tanquàm ministros noui Testamẽti, id est, Euãgelij, sic nominat se etiã vocatum apostolum, Romanorum primo capite, & 1. Cor. 1. at illa vocatio est aliud nihil, quàm potestas denunciandi verbum Dei. Omnes ergò qui volunt docere in Ecclesia, debent esse vocati, id est, ordinariam habere potestatẽ: aliàs suspecta est ipsorũ prædicatio, & finè efficacia. Potestatis quoquè secularis officium est, vt sit custos verbi Dei, & puniat externas transgressiones legis Dei. Et quoniam non est vna res, verbum Dei atque potestas, sed quia ordinatã est potestas propter Dei verbum ab ipso Deo, ideò nolunt diuidi. Vbicunquè ergò volumus vti verbo Dei in externo officio, ibi oportet esse vocationem legitimam. Si volo per verbum Dei absoluere aliquem à peccatis suis, aut baptizare, aut communicare, &c. oportet ante omnia vt sim ritè vocatus, id est, vt habeam authoritatem: ità quoquè nemini licet occidere malefactorem, nisi magistratui vel eius executori: aliàs committeret homicidium, quod tollitur & excusatur hîc, quia magistratus habet potestatem ordinariam, & non frustrà gladium fert. Sic quoquè ordo hierarchicus à Deo est constitutus, & hîc vult D E V S esse effi-

efficax per verbũ ſuũ: ibi conſcientia tuta eſt de efficacia, nã quæ ordinata ſunt, illa à Deo ſunt: vocatio, id eſt, poteſtas collata ab ordinaria poteſtate, te certificat: vbi autẽ fit contemptus iſtius ordinis & poteſtatis, quam Deus ordinauit, ibi DEVS non vult eſſe efficax per verbum ſuum, quia talis reſiſtit ſuæ ordinationi: ideò damnationem acquirit, & nullam benedictionem vel efficaciam. Et hæc eſt cauſa, quòd Apoſtolus nullus voluit abſque vocatione ſeu poteſtate exercere miniſterium verbi. ſic imponit Timotheo manus, 1. Timotheo quarto capite, vt donum (id eſt, poteſtatem) acciperet exercendi miniſterium: ſic reliquit Titum in inſula Creta. Hoc donum volebat emere Simon magus, ſcilicet vt poſſet etiam, ſicut apoſtoli, per manuum ſuarum impoſitionem dare ſpiritum ſanctum, & obtulit pecuniã, dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, & cæt. Hæc igitur poteſtas non poteſt emi pecunia, nec ex propria temeritate vſurpata valet, vt patet Actorũ decimonono capite. Vbi quidam princeps ſacerdotum, nomine Sceuæ, habens ſeptem filios, qui volebant expellere dæmones propria authoritate, dicentes ad dæmones: Adiuro vos per Ieſum, quem Paulus prædicat, & cæt. at ſpiritus nequam dixit: Ieſum noui, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis? ſcilicet qui ſinè authoritate ſuper nos conceſſa, vtimini exorciſmo, & inſiliens homo in eos qui habuit dæmonium, & dominatus amborum, inualuit contra eos ità, vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa, & cæt. Nihil ergò valet ſinè authoritate conceſſa, nec Deus impunitum relinquit, ſicut horribiliter etiam puniuit vſurpantes propria temeritate miniſterium, Chore, Dathã & Abiron, & cæt. Vbi ergò non eſt adiuncta poteſtas verbo DEI, ibi verbum DEI non eſt efficax, quia Deus non approbat, quod extra ordinem & poteſtatem à ſe ordinatam fit. Sic habet hiſtoria exemplum de quadringentis quinquaginta prophetis, qui plurimùm gloriabantur 3. Reg. 18. de ſuo Baal, & de illius inuocatione & cultu: at probat hoc falſum eſſe Helias cum inuocatione veri DEI & per oblationem bouis. Nã ad inuocationem prophetarum, id eſt, prædicatorum illegitimorum, nihil ſequebatur, quia Deus nó approbabat eorum cultum, nec proceſſit ex ordinaria poteſtate. At inquiũt: habent ſchiſmatici & hæretici ſuum ordinarium magiſtratum, qui illos vocant, & conferunt poteſtatem in ditionibus ſuis: ergò ex illa poteſtate habent quoquè efficaciam conferendi ſacramenta.

RESPON.

Qui extra eccleſiam ſunt, & nec pontifices, nec epiſcopi, quomodò ordinabũt aut mittent Eccleſię miniſtros, quod ad hierarchicum ordinem pertinet, & quam poteſtatem poſſunt conferre, quam ipſi non habent? etſi præſumant ſe habere poteſtatem, tamen illegitima eſt, & ad ſpiritualem poteſtatem pertinet: & quarè ſe implicant illi negocijs alienis, id eſt, eccleſiaſticis? ſed luce clarius eſt, quã Deus oderit ac puniat talem præſumptionẽ in laicis principibus, idque patet in rege Ieroboam, qui erexit duos vitulós aureos 3. Reg. 12. & de nouiſſimis populi fecit ſacerdotes, id eſt, dedit authoritatẽ ſacerdotij. Sed tandèm cum tota domo fuit extinctus, 3. Reg. 14. Sic quoquè puniuit Deus falſos illos ſacerdotes, Chore, Dathan & Abiron cum ipſorum adhærentibus, quia contempſerunt ordinariam poteſtatem, quam Deus contulerat Moiſi & Aaroni, Num. 16. quorum officium & cultus erat efficax. Simili modo peccant ſeculares principes, quãdò præſumunt & vſurpant poteſtatem deligendi miniſtros cõtra ordinariam poteſtatẽ, &c. Eſt igitur ſola illa poteſtas vera, quæ ordinaria eſt. nam omnia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, Rom. 13. conſtituit enim Deus hunc ordinem & poteſtatem, & illam contulit Eccleſiæ ſuæ, vt continuet ſucceſſionem ſacerdotij, & ideò epiſcoporum eſt, nõ laicorum, ordinare & mittere ſacerdotes: non enim Conſtantinus, ſed Paulus ordinat ſacerdotes Grauis quoquè pœna expectat omnes illos ſectarios miniſtros & falſos operarios, qui contra Dei volũtatem & ordinem abutuntur nomine ſuo in conſecrando, abſoluendo, baptizando, &c. extra commiſſionem Eccleſiæ, & vnitatem catholicam: peccant enim contra ſecũdum præceptum Dei, Non aſſumes nomen Domini in vanum. &c.

AN VERBVM DEI SEMPER SIT EFFICAX & potens. Ca. 34.

SEctarij obijciunt quòd nos efficaciam verbi DEI & vim ſacramentorum fundamus ſuper dignitatem, ſanctitatem & iuſtitiam miniſtri, ſcilicet vt tunc ſit efficax verbũ & verum ac fructuoſum ſacramentum,

ſi

si à iusto & sancto sacerdote confertur: Si autem minister malus sit & schismaticus, quòd non sit efficax verbum Dei, & cæt. RESPON. Primò verbum Dei habet suam efficaciam à Dei ordinatione, & sacramenta habent suam efficaciam ex verbo Dei, & non à dignitate personæ, sed à Dei ordinatione. Quandò igitur ordinatio Dei obseruatur, id est, quandò sic vtimur sanctis verbis, vt Christus ordinauit & fieri præcepit: ordinauit autem, vt verbo Dei vterentur, & sacramenta dispensarent ij, qui ab eo essent missi, & qui ab his posteà mitterentur, id est, qui haberent authoritatem & legitimam vocationem: hęc est ordinatio Dei, & secundùm illam ordinationem verbũ est efficax: alioqui inualidum & inefficax est. Vim igitur & efficaciam sacramentorum impedit, ac verbum D E I inefficax redditur, quandò minister est illegitim⁹, & quãdò ad aliud quàm ad quod Christus voluit, quis abutatur verbo Dei. Omnia enim quæ efficaciã habere debent, & quę à Deo sunt, ordinata sunt, Romanorũ decimotertio capite. Vult igitur Deus, vt eo ordine quem ipse instituit, verbum suum sit efficax. Porrò non est voluntas Dei, vt verbum suum operetur remissionem peccatorum in homine non pœnitente: & vt oratio sit efficax sinè recõciliatione cum proximo, Matthæi quinto capite, vtque sacramenta administrentur sinè authoritate & potestate ordinaria: alioquì opùs non fuisset, quòd Deus per scripturam exigit vocationẽ, id est, legitimam potestatem ministri, quòd exigit pœnitentiam in absolutione & fidem, &c. & frustrà fecisset Paulus, quòd per impositionẽ manuum suarum Timotheũ ordinauit, si verbum Dei per se est efficax simpliciter sinè vocatione ordinaria, sed dicit Esa. 55. vt imber fructificat, sic verbũ quod egredietur de ore meo, non reuertetur vacuum, sed faciet omnia ad quæ ego misi illud: ad quæ, inquit, ego misi illud. Sed Deus non mittit verbum suum, vt alio ordine, forma & modo quis vtatur, quàm sicut ipse misit, ergò si q̃s illo vtitur extra ordinariam potestatem & modum, ad quem ipse misit, tunc redibit vacuum, id est, erit inefficax & inualidum: nam Deus non misit, vt infidelis apostata & non habens vocationem & potestatem, suo verbo vtatur, & si præsumunt aliqui, tunc non est efficax, quia Deus non approbat, cùm fiat extra ordinem quem D E V S instituit. Si enim in re multò inferiori, id est Politica, sententia prolata sinè authoritate magistratûs aut cõsulum, nullam habet authoritatem & efficaciam: multò magis in re salutis & fidei erit sinè efficacia, si quis vtatur extra potestatem & ordinem, quem Deus instituit. Sic enim ordinauit C H R I S T V S Ioannis vigesimo capite, Accipite Spiritumsanctum, quorum remiseritis peccata, & cæt. ecce potestas collata Apostolis & eorum discipulis. Sic verbum D E I consecrat, baptizat, prædicat, exorcizat, & efficaciter omnia operatur, si minister est debitè vocatus, & si recipiens sacramentum, adferat pœnitentiam & fidem. Sic si est ordinarius magistratus, valet eius authoritas occidendi flagitiosos, cùm illi commissus sit gladius, Romanorũ decimotertio, alioqui esset homicidium: est igitur verbum D E I efficax in sua natura semper, nisi impedimentum sit in ministro non vocato, aut in suscipiente sacramentum. Præterea notandum quòd aliud est, si quis est ritè vocatus & ordinatus, & accepit potestatem, & tamen scandalosè viuat: hic enim malitia personæ seu ministri non impedit efficaciam verbi, quia ille verè consecrat, docet, absoluit, &c. propter potestatem quam habet, & potestas illa & authoritas certificat recipientem sacramentum de efficacia verbi D E I: illa enim potestas non est fundata super dignitatem aut malitiam personæ siue ministri, sed super D E I verbum hoc præcipientis & ordinantis: at alia res est, si quis non est vocatus nec ordinatus, neque habet aut accepit authoritatem ab ordinaria potestate, sed propria temeritate aut schismate, vel principum præsumentium iussione, hic verbum D E I, nec in absolutione, nec baptismo, nec consecratione, & cæt. efficax est, quia non ibi est Diuina approbatio, quoniam Deus vult vt secundùm ordinationem & honestatem illa fiant in Ecclesia. Dignitas ergò ministri non te baptizat: nam virtus baptismi à Deo est, & ab eius ordinatione efficax, non à sanctitate ministri. Ioãnis primo capite, hic est qui baptizat, & cæt. neque malitia personę potest impedire efficaciam sacraméti, modò persona sit vocata & ordinata, & sinè hęresi aut schismate: in talibus enim non est efficax verbum D E I, quia prohibet falsos prophetas audire, Matthæi septimo capite. At inquis: Videtur mihi omninò quòd

opera Dei nihil sint, si homo non sit bonus, vt baptisma & absolutio, consecratio & alia sacramenta sunt opera Dei, sed quia homines flagitiosi ea administrant, non sunt ampliùs opera Dei. &c.

RESPON.

Aliud est, opera Dei atque sacramenta in se esse bona & vera: & aliud est, in persona esse efficacia: passio Christi in se est bona & vera & semper manet, sed in infideli non est efficax. Infidelitas autem illa non facit, nè passio Christi sit opus sacrosanctum, sed nè sit efficax in infideli: sic malitia ministri non impedit, nè sacramenta sint bona & opera Dei: Sed impedit potiùs, nè in me sint efficacia: sic remissio peccatorum est opus bonum & Dei opus: at impœnitentia mea non facit, nè sit opus Dei bonum, sed quòd in me non est efficax propter impœnitentiam meam. Sic vtentibus verbo Dei & administrantibus sacramenta extra ordinariam potestatem non impedit, nè verbum DEI bonum, sit bonum & efficax, sed facit quòd per illos alijs non sit efficax: quia extra ordinem, authoritatem & formam, quam CHRISTVS instituit, contulerunt: vult enim Deus, vt vocati ministri eius distribuant sacramenta. Nullus ergò schismaticus vel Luteranus minister potest te certificare de efficacia sacramentorum vel absolutionis, quam ab eo accepisti, quia tibi extra ordinem à Christo institutum ministrauit et in odio & schismate extra vnitatem & potestatem Ecclesiæ. Non igitur bonitas aut veritas sacramenti dependet à dignitate personæ, sed efficacia exigit, vt eo ordine ministretur, sicut à Christo institutum fuit. Et quoniam promissiones diuinæ dantur Ecclesiæ, & habent efficaciam in membris ecclesiæ, vt sunt remissio peccatorum, spiritus sanctus cum donis & fructibus suis, salus æterna, & cæt. Ideò quicunque sunt extra ecclesiam & ab ea abscissi, non sunt capaces harum Diuinarum promissionum, nec sacramenta habent efficacia: dicit enim Cyprianus: Qui in ecclesia non est, etiam promissis Ecclesiæ carebit. Inane igitur est & vacuum, à schismaticis audire verbum Dei, & sacramenta accipere, cùm ipsi veri ministri ecclesiæ non sint, nec vera conferant sacramenta: nec euadent illi temerarij vsurpatores sacerdotalium officiorum diuinam vindictam. Nota: enim sunt historiæ de Hieroboam, de Dathan, de Ozia rege, qui lepra percussus tiebatur vsque ad diem obitûs sui, & de filijs Sceuæ à dæmonijs vulneratis, Actorum decimonono capite. Et quoniam laicale sacerdotium propter odium verorum sacerdotum & ad propagationem schismatis erigitur, Deus autem non est author dissensionis, sed vnitatis & pacis: & ideò non approbatur à Deo, idcircò quotquot sunt prudentes Christiani & catholici homines, cauere & fugere debent illorum sacra & officia, quia nihil sunt, nè cum illis damnationem incurrãt, sic scribit Cyprianus lib. 1. Epist. 6. Oseas propheta dicit 9. cap. Sacrificia eorum (id est, hæreticorum) tanquàm panis luctûs, id est, Veneno infectus, omnes qui manducant ea, cõtaminabuntur: at cõtaminari non est sanctificari, & nota est historia 3. Reg. 13. vbi propheta solùm manducans cum alio propheta schismatico contra præceptum Domini, laceratur à leone in via ob detestationem peccati. CHRISTVS quoquè admonet Matthæi vigesimoquarto capite, inquiens: Multi venient & dicent ecce hîc est Christus, nolite credere, nolite exire domum, id est, ecclesiam catholicam. In summa omnis cultus diuinus & officia, quæ fiunt in odium ecclesiasticæ potestatis, & in contemptũ catholicorum episcoporum, Deo minimè probatur, nec Deus ipsis cooperatur, sicut nec oratio à Deo acceptatur, si qs est in odio proximi sui, Matthæi quinto capite.

PENES QVOS SIT VERA POTESTAS CLAuium. Cap. 35.

SEctarij obijciunt, quòd nos potestate Clauium pro nostro libito abutamur, & non secundùm verbum DEI, eò quòd Papa in Bannum conijciat ministros Euangelij, & veros apostolicos concionatores excommunicet, vt vel sic extirpet Euangelium.

RESPON.

Primò, clauis est potestas prædicandi euangelium, & administrandi sacramenta, excommunicandi illos qui publicis criminibus sunt desamati, & rursus eos absoluendi, si petant absolutionem: estq; data catholicæ ecclesiæ seu prælatis eius, non schismaticis aut sectarijs principibus, qui ab ea seipsos segregârunt. Hęc potestas fundatur, Matthæi decimosexto capite. Si quis

quis Ecclesiam non audiêrit, sit tanquam ethnicus & publicanus, &c. hâc potestatē exercuit Paulus 1 Corinth.5. excommunicando fornicarium, & rursus absoluendo eundem, 2. Corinth. 2. Differt quoquè hæc potestas à mundana: illa enim vi & gladio materiali punit & legibus agit in corporalia, hæc verò est spiritualis, & pertinet ad res æternas, hoc est, ad animam, doctrinam cælestem, & in verbis coërcet, non in corporali, 1. Corinth. 4. sic nos existimet homo &cæt. Tertiò, hæc potestas clauium non improbat, neque abolet potestatem ciuilem, sed approbat, & fidelium corpora ac bona temporalia illi subijcit, Rom. 13. & 1. Pet. 2. Subditi estote omni humanæ creaturæ propter D E V M: attamen cauere oportet, nè Ecclesiastica potestas inuadat officia publicæ potestatis, & nè obscuretur beneficium CHRISTI, & nè moueantur seditiones, non sumat arma ad propagandam doctrinam, sicut solent facere hæretici, vt Muntzer, Zuuinglius, &cæt. vt eripiant alijs imperia, quasi hoc doceat Euangelium: non habent eam potestatem schismatici. Est autem clauis hæc, id est, potestas collata ministerio verbi, prædicandi Euangelium, Ioan. 20. Accipite Spiritumsanctum, & Matth. 16. Tibi trado claues &cæt. Quicunque ergò legitimè vocatus est per ordinariam potestatem, ille habet hanc potestatem ligandi & absoluendi à culpa & pœna æterna, non à temporali pœna, vt est mors, infirmitas, ac cæteræ huius seculi calamitates, &cæt. Hoc semper, & ante omnia attendete oportet, vbì sit legitima potestas: omīa enim quæ ex ordinaria & legitima fiunt potestate, hæc valida, rata & efficacia sunt, sed vbì non est legitima potestas, ibì omīa inefficacia sunt. Ad potestatem igitur, an legitima sit, semper respiciendum: per hanc enim agnoscitur vera & legitima vocatio ministrorum & efficacia sacramentorum, quæ per illos ministrantur, clauium potestatem esse veram & certam. Summa, illa potestas te certificat de efficacia, non nudum verbum, quod omnes Sectarij iactant, non ministratio sacramentorum, quæ licèt simili modo fiat vt à Catholicis, nullam tamen habet efficaciam, quia deest illi potestas: legitimam verò dico, non temerè vsurpatam: & hæc est ratio, cur omnes schismatici veterem & legitimam oderint potestatem & eiusdem successores, cùm videant suam non approbari à nobis, immò nec D E V S approbat. Nam sicut vna est Ecclesia, non duæ: itá vna est legitima potestas, nō duæ. Quicunque ergò recesserit ab illa vnica Ecclesia, quæ ab initio fuit, ille non potest gaudere de efficacia sacramentorum, nec exercere in alios legitimè potestatem clauium. Porrò scriptura commeminit causas excommunicationis: primò, crimina publica, si non emendentur, vt adulterium, scortatio, ebrietas, hæresis, blasphemia &cæt. 1. Corinth. 5. 2. Thessalonicens. 3. Galat. 1. Quòd verò pro re pecuniaria plerique abusi sunt excommunicatione aut potestate clauium, nemo sanus est qui approbet: est quoquè contemptus Ecclesiæ, peccatum puniendum excommunicatione, sicut & hæresis, Matth. 18. si Ecclesiam non audiêrit, &cæt. Præstereà haud exigua res est excommunicatio, quantunuìs hanc derideant Sectarij, cùm fit à summo prælato Ecclesiæ, nempe Papa. Traditur enī homo, quo ad corpus, ipsi Sathanæ, qui illud vexet pro libito, iuxta carnem infirmitate, amissione bonorum, exilio, & alijs pœnis, vt vel sic admoniti redirent ad pœnitentiam, vt sic confusi, sese emendarent, vtque saltem spiritus saluus fieret. Sic Paulus blasphematores Hymenæum & Alexandrum tradidit Sathanæ, 1. Tim. 1. vt discant, inquit, non blasphemare &cæt. & est medicinalis excommunicatio, vt reuocet scilicet ad pœnitentiam, sicut peccator vel schismaticus contemnens illam, ac pergens in sua malitia, fit damnabilis propter contemptum & inobedientiam suam, quantunuìs iactet suam fidem & charitatem: contemptus enim & odium non stat cum fide & charitate. Videmus ergò huius temporis hominū mores & ingenia, quàm sint omnes Sectariorum populi blasphemi, leues, carnales, prophani, seditiosi, rebelles, & ad omnia peccata sicut cera deflexi: quare autem? quia ab illegitimis Sectariorum ministris sunt baptizati, sinè fructu & efficacia sunt absoluti à peccatis, sinè fructu cōmunione Euchatistiæ cibati, &c. quæ omnia quia accipiunt ab illegitima potestate sinè fructu gratię D E I & efficacia illis contingunt: non possunt repellere Sathanam ob defectum gratiæ sacramentalis, sed ab illo exagitantur, & de vno peccato in aliud ruunt, & dantur in reprobum sensum, mente subuertuntur, facientes quæ non conueniunt, nul-

iam habentes conſcientiam, nullum peccatum pro peccato ducentes, nullum vinculum inter eos pacis & vnitatis &c. igitur quis neget, Sathanam in ipſos habere omnimodam poteſtatem, itâ vt non opus ſit, vt ab Eccleſiæ prælatis excommunicentur, quia iam anteà Sathanæ ſunt, & quia opera eius faciunt. In ſumma igitur, ſi volumus ſcire vbi ſit vera & Catholica Eccleſia, vbi recta prædicatio verbi Dei, vbi vera & efficax adminiſtratio ſacramentorũ, vbi vera & legitima vocatio, recta poteſtas & vſus clauium, &cæt. oportet ante omnia attendere ad legitimam poteſtatem: omnia enim quæ ab illa fiunt, efficacia ac ſalutaria ſunt, quia illa ordinaria poteſtas à Deo eſt, & quæ à Deo ſunt, haud dubiè efficaciaper poteſtatem agnoſcuntur, Rom. 13.

CONTRA OBIECTIONES NEGANTIVM PRIMATVM Pontificis, quaſi omnes Epiſcopi ſint æquales. Cap. 36.

PRimò liber Imperij docet, oportere Eccleſiam, quæ eſt vnicum corpus vnius capitis, quod eſt Dominus noſter IESVS Chriſtus, per certam aliquam viam ac remediũ in vnitate conſeruari. ſi enim hæc tollatur, deſtrui Eccleſiam, non ædificari neceſſè eſt: & quanuis Eccleſia habeat multos epiſcopos, qui populum, quem Chriſtus precioſo ſuo ſanguine redemit, regant, idque ex iure diuino, Actor. 20. Attendite vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritusſanctus Epiſcopos &c. tamen in Eccleſia haberi ſolet ſummus aliquis epiſcopus, qui cæteris omnibus cum plenaria poteſtate præfertur, idque maximè ad vitanda ſchiſmata & diſſenſiones in Eccleſia, & hoc quidem ſecundùm prærogatiuam & prælationem, quæ D. Petro eſt data à Chriſto, Ioan. 21. Quantoperè autem neceſſarium & ſalutare hoc ſit ad ædificationem ac conſeruationem corporis myſtici, & ad cauẽda ſchiſmata & diſſidia conueniens, ex eo liquet, quòd quàm plurima ſchiſmata & factiones tam in veteri quàm in noua Eccleſia, ex contemptu ac rebellione ſummi ſacerdotis ortas fuiſſe ex diuinis & Eccleſiaſticis hiſtorijs conſtat, ſicut etiam D. Cyprianus teſtatur lib. 1. epiſtolar. epiſtola 3. & ipſa experientia rei docet. Qui ergò nunc ſedem, ſeu Cathedram Petri occupat tanquã ſummus epiſcopus, ille debet eo iure, quod Petrus à Chriſto accepit, cùm ei diceretur, paſce oues meas, Ioan. 21. totam Eccleſiam regere & adminiſtrare: ſed non debet ſuo illo iure abuti ad deſtructionem Eccleſiæ, ſed potiùs ad ædificationem, 2. Corinth. 13. Hanc verò plenariam poteſtatem CHRISTVS Petro eatenùs contulit, vt tamen idem ſaluator cæteris epiſcopis partem ſolicitudinis ipſis commiſſæ non ademerit, ſed voluerit vt quiſque in ſua Eccleſia & epiſcopatu veri & ex iure diuino eſſent epiſcopi, & quòd debeant omnes Chriſtiani ſummo epiſcopo & ſuo quilibet epiſcopo obedientiam, ſicut per Apoſtolum dixit Hebr. 13. Obedite præpoſitis veſtris, qui vigilant pro animabus veſtris &c.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Quòd epiſcopus Romanus ex iure diuino alijs epiſcopis in toto mundo tanquàm caput cum plenaria poteſtate debeat præferri, & quòd ei liceat pro ſuo arbitrio mandare & prohibere, præficere & deponere tanquam non epiſcopus, ſed DEVS eſſet: & quòd omnes ipſi in omnibus quæcunq, præcipit, non minùs quàm domino CHRISTO obedire teneantur, nullis ſcripturis probari poteſt. Item quòd obedientia Romanæ ſedis ſit fundamentum Eccleſiæ & vinculum, quo ipſa in vnitate conſeruatur, quodque nemo rectè aut benè agat, nec ſaluari poſſit, quicunque extra pontificiam illam iuriſdictionem, Eccleſiam & obedientiam viuit, & miniſteria Eccleſiaſtica adminiſtrat, fictum ab illis eſt, & ſinè veritate.

RESPON.

Huiuſmodi improperij verbis ab initio vſus eſt inimicus pacis & vnitatis in Eccleſia DEI: ſed quantunuis ſæpè omnibus machinis conatus ſit deſtruere ſedem Petri & ſucceſſorum eius, nihil tamen eſſecit, non enim portæ inferorum præualebunt aduersùs eam, Matth. 16. licèt mille excitauerit Sathan hæreſes contra hanc poteſtatem ordinariam, ſemper tamen CHRISTVS ſummus pontifex in cælo, conſeruauit in Eccleſia ſua præcipuũ ſacerdotem & vicarium ſuum. Omnes verò SS. Patres Catholici ſolùm ratione vnitatis conſeruandæ in Eccleſia in fide, vt eſſet qui tempore exurgentium hæreſum & falſorum prophetarum alios coëpiſcopos & mi-

& ministros conuocaret, cum quibus per Spiritum sanctū & scripturā dispiceret de doctrina schismatica, & si falsa ac hæretica depræhenderetur, communi sententia eam ex Ecclesia excommunicarent, & quid credendum & sentiendum esset, concluderet. Non vt ipse solus pro suo arbitrio posset aut deberet mandare & prohibere, constituere & abrogare, quasi D E V S esset, & non potiùs coëpiscopus cum cæteris foret: eiusmodi abusum, si est, nemo sanus approbat, sed omnes pij Christiani ipsum tantùm propter vnitatem in Ecclesia conseruandam ex ordinatione C H R I S T I primatem Episcopum & ministeriale caput agnoscere debent. Potestas enim ipsius, sicut & cæterorum episcoporum, tantùm se extendit ad ædificationem, & non ad destructionem, 2. Corinth. 13. At vnitas fidei & religionis quis nescit, quàm salutaris & necessaria sit ad salutem consequendam, cùm Apostolus expresse dicat, Sectæ (id est, dissidia) regnum D E I non possidebunt, hoc est, salutem æternā non consequentur, quicunque sunt extra hanc vnitatem fidei; & ideò orat idem Apostolus propter nomen Domini nostri I E S V Christi, nè sint in nobis schismata. At illa vnitas non potest conseruari sinè ordinario aliquo capite & potestate. Vt omnia igitur essent ordinata sinè confusione & schismate in Ecclesia, ordinauit D E V S potestatem, Rom. 13. Qui ergò resistit potestati, D E I ordinationi resistit, & damnationem acquirit. Si igitur fortè Papa sua potestate & iure abutatur in destructionem Ecclesiæ, grauissimè peccat, & illi obediendum non est; eiusmodi autem abusum pontificiæ potestatis debet Ecclesia, id est, legitimum & vniuersale Concilium, emendare & diffinire: hoc verò non decet Sectarios. Omnes verò schismatici, tam principes quàm populi, oderunt pontificem, id est, caput vnitatis, extra quam ipsi sunt, & sese ipsos secluserunt ex vinculo pacis mystici corporis C H R I S T I: quicunque enim sunt extra & contra vnitatem vniuersalis Ecclesiæ SS. Patrum, illi etiam sunt contra ministrum & custodem vnitatis illius in Ecclesia: & sic fit, quòd omnes schismatici oderint principaliter Papam, ministrum & superintendentem vnitatis & vinculi pacis in Ecclesia. Non igitur mirum est, quòd blasphemant, abominantur & contumeliosè pingunt pontificem & eius coadiutores episcopos. Sic ait de illis Cyprianus lib. 1. epistolarum epist. 3. Neque enim aliundè ortæ sunt hæreses aut nata schismata, quàm indè, quòd sacerdoti Dei non obtemperauernnt, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos vice Christi iudex cogitatur & cæt. quem locum licèt Sectarij intelligant de priuatis episcopis, attamen cæteri SS. Patres intelligunt pro persona Petri: sicut etiam idem Cyprianus latiùs declarat in lib. de simplicitate Prælatorum, inquiens: Disposuit C H R I S T V S, vt vnitatis origo ab vno inciperet, id est, Petro: erant autem vtiquè cæteri apostoli quod erat Petrus, pari consortio præditi tam honoris quàm potestatis. Sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt vna Ecclesia monstretur, credimus enī vnam Ecclesiam Catholicam, non sunt duæ. Hanc ergò Ecclesiæ vnitatem qui nō tenet, an tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ resistit, quomodò in Ecclesia se esse confidit? est enim vnum corpus, vna fides, vnus dominus & cæt. Et iterùm: Hanc vnitatem qui non tenet, D E I legem non tenet, non tenet Patris & filij fidem, vitam non tenet & salutem: hæc ille, quod dicit legem D E I, hoc est, ordinem quem instituit C H R I S T V S, non tenet. Roman. 13. Omnis anima sit subdita potestati & cæt. quoniam ergò nec vitam tenet, igitur non saluabitur quisquis extra hanc vnitatem pergit. Vnitas autem sinè capite & principio & origine, non consistit nec conseruatur. Sed D E V S pie, quid opùs habemus multis argumentis? an non manibus palpamus hodiè exempla, si Sectariorum Ecclesiæ, vt ipsi vocāt, Luteranorum, Zuuinglianorum, Anabaptistarum, Hussitarū, Caluinianorum, Cōfessionistarum & cæt. haberent vnum caput, vtiquè non tā miserè & turpiter inter sese essent diuisi: immò non vna Secta, vt Luterana, inter semetipsam fuisset diuisa, si caput habuissent, vt factum est in multis Colloquijs Imperialibus. Nam per Deum immortalem quid aliud iam in mundo videmus, nisi mera, varia & diuersa schismata? quæ verò causa est? quia caput nullū volunt agnoscere, nolunt subdi vlli potestati ordinariæ: quid autem vide sequitur? nonnè horrenda confusio, destructio & pacis amissio? Et quia ipsi cōcedunt Concilia iure diuino probari posse, quarè ergò ipsi nō congregant Conciliū vnū generale, & discernūt ac concludunt, q ipsorum

rum Ecclesia sit vera aut hæretica? Sed quia caput nullum habent inter se omnes Sectæ prædictæ, nec Concilium legitimum congregare possunt, sed alia aliam accusat Sectam, vnaquæque se tuetur verbo D E I, prout interpretatur, & aliam damnat hæreseos, & sic manet Babylonica inter ipsas confusio, & iram D E I incurrunt: sicut verò in nullo regno vel republica potest pax conseruari sine ordinario magistratu seu capite, sed semper sunt factiones & seditiones, ità quoquè in Catholica vniuersa Ecclesia non potest pax & vnitas conseruari, cùm Ecclesia nostra sit quasi ciuitas terrestris Hierosolyma, quæ dicitur visio pacis, si non habeat caput ministeriale seu administratorium summum episcopum, qui eam cum communi coepiscoporum sententia regat ac pacificet: & hic dicitur hierarchicus ordo in Ecclesia D E I. Porrò quòd criminantur Sectarij, quasi dicamus Petrum vel Papam esse caput Ecclesiæ, super quod fundata sit Ecclesia ratione fidei, mendacium est, cùm fateamur solum vnicum esse fundamentum fidei & Ecclesiæ, eum scilicet ad quem dicitur, Tu es CHRISTVS filius D E I &cæt. Matth. 16. At ratione regiminis in Ecclesia ones C H R I S T I illum agnoscunt pro capite secundario, vt sæpè dictum est. Quòd etiam garriunt, primatum illum Papę esse abominationem coram D E O, hoc falsum & blasphemum esse vel indè constat: *si aliàs nulla nobis suppeterent argumenta*, quia sanctissimi quidam pontifices Martyres & Confessores manifestissimis miraculis claruerunt, id quod D E V S non concessisset, si status ipsorum fuisset coram illo abominatio, nec tam diù vsque in hunc diem statum illorum per totum mũdũ florere, & potestatem suam exercere siuisset, si ei non placeret: & oportet ipsos Sectarios concedere, vel ab ipsis apostolorum temporibus vsque nunc Spiritum sanctum terram deseruisse, & Christum Ecclesiam orphanam reliquisse, eô quòd in tã magno errore & abominatione, vt ipsi dicunt, Ecclesia vniuersa fuit administrata, & sub vno capite ordinario constituta: vel concedant oportet, quòd hæc ordinatio capitis secũdarij ab ipso CHRISTO & Spiritusancto sit. Nos quidem personarum Papalium dignitatem vel malitiam nec defendimus, nec laudamus, nã & scriptura dicit, quòd DEVS sæpè sinat re- Iob 34.

gnare hypocritam, & quòd super cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, &c. Mat. 23. nec inficiamur, multos abusus negligentia pontificum & episcoporum irrepsisse in Ecclesiam, vt sunt pompa, luxus, rerum temporaliũ occupatio, quòd magis principes ac reges agant quàm episcopos, quòd tantùm pascant semetipsos, &cæt. hæc & similia nemo approbat, non tamen abusus tollit potestatem &c. hoc solùm agnoscimus, quòd in successore Petri est illa prærogatiua, quòd caput sit vnitatis in Ecclesia, vt ab vno regatur hîc in terris.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Quòd Romanus episcopus non iure diuino, sed ex humana ordinatione ad prælaturam sit euectus, testatur S. Hieronym. dist. 93. cap. olim: & quòd secundùm ordinationem apostolorum non fuerit episcopus alius super alium, aut dignior altero, nec vnus aliorum fuit caput authoritate & ministerio, testatur idem Hierony. ad Eugeniũ episcopum, dist. 93. cap. legimus, & S. Cyprianus & Augustinus vocant hoc errorem tyrannicum, quòd episcopus alius alium authoritate superat: ergò Papa non est iure diuino super alios Episcopos. Augustin. lib. 3. contra Donatistas, Cyprianus in concilio Carthaginensi, &c.

RESPON.

Hieronymus in Commentarijs Epistolæ ad Galatas, vocat Petrum principẽ apostolorum, & lib. 1. aduers. Iouinianum, inter duodecim apostolos vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Item Ioan. Roffensis martyr in lib. contra Assert. Luter. artic. 25. inquit, Nec est quod quisquã hîc dicat, hanc electionem apostolos ex se fecisse: nam palàm est ex multis scripturis, nõ apostolos, sed Christũ hunc delegisse, qui futurus esset totius Ecclesiæ pastor, & princeps ac caput cæterorũ, à quo promanaret Ecclesiæ concors vnitas, & oĩs diuisio schismatica tolleret.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Quòd Christus illis verbis, pasce oues meas, Petro tradiderit superioritatem & prerogatiuam vel dominiũ aliquod in Ecclesia, & ipsum prępofuerit cæteris episcopis & Ecclesijs, est cõmentum pontificiorum. Nam pascere oues Christi, est commune mandatum & potestas inter omnes cæteros apostolos, episcopos & pastores, & generaliter his demandatum, & non solùm S. Petro, sicut ipsemet testatur dicens 1. Pet. 5. Presbyteros obsecro, qui sum

ſum & ipſe presbyter. Paſcite quantùm in vobis eſt, gregem CHRISTI, curam illius agentes &c.

RESPON.

Sathanas prædicatur omnibus modis, nè cogatur aut videatur ſubiectus eſſe diuinæ poteſtati, ob id etiam è cælo eiectus eſt Eſai. 14. Nos non docemus quòd ſolus Papa debeat paſcere oues Domini, id eſt, docere verbum Dei, in hoc officio omnes cæteri pares ſunt ei epiſcopi: nam CHRISTUS dixit, faciam vos piſcatores hominum, & Marc. vltimo dicit, Ite in mundum vniuerſum &cæt. Sed aliud eſt, primarium epiſcopum, qui habeat ſuperintendentiam aut inſpectionem ſuper alios epiſcopos & totam Eccleſiam, inſtitutum fuiſſe à Deo. quòd autem talem inſtituerit CHRISTUS Petrum, teſtantur Ss. Doctores, Hilarius lib. 6. de Trinitate, Ambroſ. ſermone de pœnitentia Petri: Petrus poſt trinam confeſſionem & poſt lachrymas, paſtor aſſumptus eſt, & alios regendi accepit poteſtatem, qui priùs ſeipſum non rexit. & Gregor. in regiſtro Epiſt. 32. Sic Chryſoſt. homilia 87. ſuper Ioannem, qui omnes exponunt hanc trinam commiſſionem Chriſti, vt paſceret oues pro regimine paſtorali. Quòd ſi hi Doctores vnà cum cæteris hac in re errârunt, mâlo cum ipſis (quod abſit) errare, quàm cum hæreticis ſentire: at ſaltê oſtendant illi, quo vnquàm tempore tam vetus quàm noua Eccleſia fuerit ſinè capite, aut quæ religio in mundo non ferat ſummum aliquem ſacerdotem? Sed hoc ſtruunt hæretici & Sectarij, quotquot vnquàm fuerunt, vt deturbata poteſtate ordinaria, ipſi libertatem habeant docendi, gloſſandi, nouandi, & faciendi pro ſuo quiſque ſpiritu ſinè examine, correctione & contradictione ſuperiorum: Nec obſtat primatui Pontificis, ꝙ quandoquè nominatur frater coëpiſcopus Vocat enim & Chriſtus omnes Chriſtianos Catholicos fratres ſuos, Ioan. 20. Vade, dic fratribus meis. & Paulus Rom. 8. vocat nos cohæredes, & Chriſtus vocat diſcipulos ſuos amicos, Ioan. 15. cùm tamen Chriſtus verum ſit caput Eccleſiæ; eſt enim perſona magiſtratum gerens etiam ciuis, tamen non tollit eius poteſtatem. Sic Papa eſt etiam membrum & epiſcopus Eccleſiæ, ideò tamen manet ſummus miniſter Eccleſiæ. Summa igitur vnitatis neceſſitas cogit, vt ſit caput aliquod in Eccleſia Dei &c.

QUID LIBER IMPERII DOCEAT DE SACRAMENTIS. Cap. 37.

Sacramenta ſunt præcipuè ob duas cauſas ex authoritate diuina inſtituta, quarum prior eſt, quòd ſint notæ & ſigna magnæ congregationis, quæ eſt Eccleſia. Non enim congregari aut conuocari de vno nomine poſſunt homines, niſi per quædam externa ſigna, quę ſint viſibilia, & ſacramenta in cômunionem conuocentur. Et ideò Chriſtus communionem noui ſui populi congregauit & adunauit per ſacramenta numero quidem pauca, & obſeruatu facilia, & in ſignificatione planè efficacia, nempe per Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Vnctionem, Ordinem & Matrimonium. Secunda cauſa eſt, quòd non ſolùm ſignificant gratiam, ſed etiam ſanctificant, & donant inuiſibilem gratiam DEI, non ex propria rerum externarum virtute, nec ex dignitate aut meritis miniſtri conferentis, ſed ex virtute ipſius DEI & hominis IESU CHRISTI, qui eadem inſtituit, & in illis occultè operatur. Propterea etiam decet, vt miniſter aut diſpenſator ſacramentorum pius & probus ſit, licèt etiam malus miniſter poſſit eadem fructuosè alijs diſpenſare, modò non ſit abciſus ab Eccleſia Catholica.

ARGUMENTA SECTARIORUM.

Pontificij non adferunt ſatis claram doctrinam de ſacramentis, nec ex ſolidis fundamentis tradunt doctrinam ſuam Eccleſiæ: primò enim non commemorant quicquam de diuina promiſſione in ſacramentis & de fide, per quę tamen maximè venit virtus ſacramentorum, & ob ea recipiuntur & nobis in Eccleſia applicantur. deindè falsè docent quòd ſacramēta in ſeipſis ſint efficacia, & quòd opere operato proſint, & viſibilem gratiam conferant ſumētibus, etſi hi de gratia Dei nec ſciant quicquam, nec credant. RESPON. Primò hæc doctrina apud totam Eccleſiam tenetur & docetur, quòd communi lege nemo capax eſt gratię diuinæ, niſi primùm habeat fidem, dicête Apoſtolo Heb. 11. Accedentem ad Deum oportet credere. Sic quoquè doctores Scholaſtici docêt, & p̄ſertim Scotus lib. 4. diſt. 4. q. 2. ad primum argumentum, quòd Deus paruulis non infundit gratiam ſinè fide: ideò & fidem docemus infundi in baptiſmo paruulis, vt ſint

sint capaces gratiæ diuinę. Deindè quotiès Ecclesia Catholica de fide loquitur, etiam compræhendit originem & fundamentum, vndè fides venit, hoc est, promissioné: fides est ex auditu, id est, promissionis, nisi primùm audirem, & crederem promissioni, non apprahenderem effectum promissionis. Sunt ergò sacramenta sigilla nostræ iustificationis, promissiones propter CHRISTVM. Contigit enim nostra iustificatio gratis nobis propter Christum, vt sit firma, Rom. 4. fides enim credit promissioni, at sacramentum sigillum est me certificans de appræhensa gratia per fidem. Deindè doctores Ecclesiæ Catholicæ longè aliter sentiunt de opere operato, quàm ipsis imponitur ab hæreticis: sic enim docent quòd in omni sacramento duo sunt: vnum, quod Deus facit: alterum, quod homo facit. Deus enim baptizat, absoluit, cóiungit marem & fœminam, consecrat &c. Ioan. 1. hic est qui baptizat &c. Virtus igitur & potentia quæ tollit peccatum & absoluit &c. à Deo est, & illud opus operatum aut potentia, qua Deus operatur, vocant doctores opus operatum, id est, quod iam factum est à Deo. Aliud verò quod fit in sacramento, est officium sacerdotis, qui solùm minister est: ideò solùm administrat sacramentum. 1. Cor. 4. sic nos existimet homo &c. non ipse tollit suo ministerio peccata, sed Deus per hoc ministerium tollit ab eo, qui fide suscipit sacramentum. fides igitur dicitur opus operans quasi cooperans, scilicet vt appræhendatur virtus sacramenti, quæ à Deo est. Christus enim baptizat, absoluit, cóiungit &c. & quod in sacramento omnium pręcipuum est, facit: & maior est effectus gratię, quàm fidei meæ. Ex quo liquet, quàm falsè hæretici interpretantur, quòd Ecclesia docet sacramenta ex opere operato, id est, virtute & potentia Dei esse efficacia, & tollere peccata, in his præsertim qui non ponũt obicem, & est hic obex seu impedimentum infidelitas in corde, id est, non credere in Christum, & esse sinè pœnitentia in peccato mortali: tales enim non sunt capaces gratiæ sacramenti: oportet enim scire de gratia Dei, qui credunt & illam cupiunt. Falsum quoquè est, quòd dicunt nos docere, solam aquam Baptismi aut verba absolutionis, & ipsum corpus & sanguinem Christi &c. tantę esse virtutis, vt sit efficax in suscipiente, etiamsi suscipiens nó habeat fidem &c. Quandò igitur dicitur, quòd sacramenta conferant gratiam ex opere operato, is est intellectus, quia sacramenta sunt opus Dei, id est, Christus baptizat &c. ideò semper habent efficaciam, & conferunt gratiam non ponẽti obicem per infidelitatem mentis aut impœnitentiam: Præterea, licèt exigatur fides, quę appræhendat efficaciam sacramẽti, quam Christus confert, simul etiam pœnitentia, attamen nè quis dubitaret fidem suam esse minùs sufficientem, aut in propria dignitate consistere, vt quis verè baptizetur: aut non esse verè baptizatum, eò quòd à malo ministro sit baptizatus, sicut hodiè Anabaptistæ delirant. Vt igitur homo certus esset se opere operato, id est, opere & virtute Christi baptizatum, & nõ proprio opere & dignitate ministri &cæt. Virtus igitur sacramentorum est ex virtute meriti Christi, & sacramenta vasa sunt, in quibus reseruatur meritũ Christi, quod oportet fide suscipi & appræhendi. Non igitur visibilia sacramenta efficiunt gratiam, & tollunt peccatum, sed opus operatum, id est, Christi meritum, vt dictũ est.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Solùm duo sunt vera sacramẽta, Baptismus & Eucharistia. Hęc enim sunt à Christo instituta, & Ecclesiæ per apostolos tradita: alia verò quinque putatiua sacramẽta, quòd sint vera sacramenta, signa gratiæ & sigilla diuinarum promissionum, non concedimus, quia de his nihil habetur in scriptura. Deindè si hoc vocabulum, sacramentum, tantùm significaret externum signum vel rem, per quam rudioribus & pueris in Ecclesia aliquid inuisibile designaretur, tunc non solùm erunt septem, sed benè centum sacramenta: nam hoc modo possent sacramenta appellari omnia illa, quæcunque aliquid significant inuisibile, sicut omnes cæremoniæ, ritus, vexilla, candelæ, sal, herbę, vestimenta &c. Sic etiam veteres theologi vsurpârunt hoc nomen mysterium, seu sacramentum. Postremò, hæc quinque sacramenta non debent vlteriùs in Ecclesia tractari, nisi quatenùs seruiãt ædificationi ac profectui Ecclesiæ, & fidei nostræ in CHRISTVM. Si igitur falsam doctrinam & abusum secum adferant, sicut iam faciunt, non sunt ampliùs sacramenta, sed abusus: sunt quidem in seipsis indifferentia, nec à Deo pręcepta, nec prohibita, qualia Christianæ libertati sunt subiecta: nos nolumus conscientias nostras hisce rebus onerare &cæt.

RE-

RESPOND. Primò,non negamus Baptiſmum & cœnam Domini eſſe potiora ſacramenta, ſicut etiam Auguſtinus lib. 3. cap. 9. de doctr. Chriſti meminit. ſed nihilominùs idem in plerisque alijs locis commemorat & alia Sacramenta, nempè pœnitentiam, lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 9. de contritione in Pſal.146. de Confirmatione in Pſal.141. de Satisfactione,lib. vnico de Eccleſiaſticis dogmatibus. de Sacramento extremæ vnctionis, lib. 2. de viſitatione infirmorum, de verbis Apoſt. ſerm. 32. de Sacramento ordinis, de bono coniugali cap.34. & lib. 2. contra epiſtolam Parmen. cap. 13. de Sacramento matrimonij, lib. de fide & operibus cap. 7. & lib. 1. de bono coniugali cap.18. de Sacramẽto Confirmationis, lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. & de verbis Domini in Iohan. ſerm. 44. & in multis alijs locis commemorat de iiſdem ſacramentis, nec ideò derogat cæteris ſacramentis, etſi illa duo vt potiora cæteris præferantur. Secundò,Chriſtum prohibuiſſe illa alia quinque ſacramenta, aut quòd nullam habeant efficaciam & promiſſionem diuinam, mendacium eſt: nam Confirmatio gratiæ augmentum per impoſitionem manuum, Actor. 2. poſt Baptiſmum, extrema vnctio promiſſionem alleuiationis, infirmitatis & dimiſſionis peccatorum propter orationem fidelium, Iacobi quinto capite. Ordo ſacer promiſſionem authoritatis & poteſtatis conficiendi corpus, exercendi miniſteria Eccleſiæ efficaciter, 1. Timoth. 4. nè negligas gratiam,quæ in te eſt per prophetiam &c. Matrimonium, quia torus immaculatus, Hebr.13. 1. Timoth. 2. Saluabitur mulier per generationem filiorum &c. Cùm ergò in quolibet ſacramẽto confertur gratia ſpecialis, & Deus eſt efficax, id quod experiẽtia docuit, ideò minimè pro adiaphoris vel indifferentibus habenda. Pœnitentia quoquè ſuam habet promiſſionem gratiæ, Iohan. 20. Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, &cæt. Porrò hoc vocabulum ſacramentum, nõ accipitur pro vnoquoque ſigno aliquid ſignificante: ideò res cæremoniales, ſal, herbæ &c. non poſſunt eſſe Sacramenta propriè. Nec etiam omne opus quod habet promiſſionem Dei, eſt ſacramentum: aliàs enim afflictio propter iuſtitiã, eleemoſynæ, relictio bonorum, orationes, & id genus alia eſſent Sacramenta, quia habent ſuas promiſſiones, & à Deo mandata ſunt, & pia opera & virtutes dicuntur, non ſunt ſigna. Sacramentum enim eſt ſacræ rei ſignum efficax, à CHRISTO inſtitutum, ſicut ſunt vaſa in quibus repoſuit Deus meritum Chriſti & gratiam ſuam, vt fide ex illis hauriremus & appræhenderemus gratiam promiſſam, quam Deus in hoc Sacramento & per illud vult diſtribuere: continent enim ſacramenta meritum & gratiam Chriſti, ſed non ſunt ipſa virtus aut meritum. Sunt enim ſacramenta ordinata, vt vel exhibeant meritum CHRISTI, ſicut eſt primum ſacramentum baptiſmus, in quo tollitur omne peccatum originale & actuale: & quoniam non ſatis eſt accepiſſe gratiam remiſſionis, niſi etiam retineatur, ob id datur ſacramentum Confirmationis, quo confertur gratia & augmentum ad conſeruandam appræhenſam Baptiſmi gratiam: ſic eſt etiam Sacramentum ordinis, quo per verbum conſolamur, vt pergamus, & non defatigemur. Sic eſt Sacramentum Matrimonij, nè per diſſolutam vitam perdamus acceptam CHRISTI gratiam & meritum in Baptiſmo. Sunt quoquè alia Sacramenta ordinata ad recuperandam amiſſam gratiam, vt eſt pœnitentia qua abſoluimur, Euchariſtia qua iterùm intramus communionem CHRISTI & Eccleſiæ, & vnctio vbi tandèm conſortamur & abſoluimur de peccatis, vt liberè exeamus. Ideò hæc ſeptem Sacramenta ſunt ordinata propter CHRISTI meritum & gratiam, vt eam vel appræhendamus, vel retineamus, vel amiſſam recuperemus: hæc eſt ſimpliciſſima doctrina de ſacramẽtis, & omnia eò ſpectẽt & ordinata ſunt, vt efficaciam meriti CHRISTI apprehendant, quod ipſum in hæc quaſi vaſa repoſuit, & id propter ſuam voluntatem, quia ſic ei placuit: quanuis poſſet nobis per ſolam fidem omnia donare. Tertiò, quòd cætera quinque ſacramenta ſint in deſtructionem magis, quàm ædificationem Eccleſiæ, nemo docet præter hæreticos, quandò omnia ad ſalutem & meritum CHRISTI hauriendum ex his ſacramentorum vaſis, ordinantur illa & fiunt. Nullus ſacerdos per oleum donat remiſſionem &c. Sed tamen ſub illis ſacramentis ipſa cõfertur gratia, aut retinetur, aut recuperatur amiſſa, & pia membra Eccleſiæ illa non abijciunt, nec ea pro erroneis habent: cauillentur & mentiãtur hæretici, donec rumpantur: Eccleſiæ veritas conſtabit vſq; ad conſummationẽ ſeculi.

g Quid

QVID DE BAPTISMO ET PAEDOBAPTISMO.
Cap. 38.

PRimò, ex quo necessarium est homini ad saluté, vt noua creatura regeneretur ex eo, quia à natura sua est filius iræ, Ephe. 2. ideò ipsemet CHRISTVS Baptismi Sacramentum instituit, vt esset lauacrum regenerationis, ad Titum 3. Quod non minùs homini ad nouam & spiritualem vitam est necessarium, quàm carnalis generatio ad vitam naturalem, & nemo insupèr saluari potest, sicut ipse Christus dixit Iohan. 3. Nisi sit renatus aqua & spiritu. Deindè hoc sacramentum lauat nos, sanctificat, & iustificat nos: hoc Sacramentum facit, quòd acquirimus remissionem peccatorum nostrorum originalium & actualium, & planè huiusmodi vim & naturam habet sacramentum hoc, quòd qui in eo lauatur, ille CHRISTVM induit, Galat. 3. sicut Paulus dicit. Hoc verò sacramentum constat ex verbis DEI & aqua: nam quamprimùm verbum accesserit ad elementum aquæ, tunc fit sacramentum, per quod lauacrum regeneramur & mundamur ab omnibus paccatis. Ideò debemus cogitare, quotiès videmus quòd per aquam exteriùs lauatur corpus Catechumeni, totiès operatur diuinitùs Spiritussanctus, quem nos non videmus, & multo magis remissionem peccatorum & donorum suorum intrinsecùs. Porrò CHRISTVS dedit Apostolis formam verborum baptizandi, sinè quibus verbis mysterium huius sacramenti non potest expediri, nempè Matthæi 28. quandò dixit: Baptizantes eos in nomine patris &c. In hæc verba à CHRISTO DEO prolata, & Apostolis mandata, fundat se & confidit is, qui sacramentum Baptismi accipit, si est ætate adulta. Pro pueris autem confidit in hæc verba ille, qui puerum suscipit, & fatetur publicè pro puero fidem & abrenunciationem sathanæ & eius pomparum &c. & licèt etiam hæreticus baptizaret, si rectè vtatur materia, forma & intentione, tunc non est iterandum sacramentum: ex quo non constat idipsum in ministri dignitate, sed in veritate & mandato verbi DEI, & in virtute Spiritussancti, id est, operatione. Cæterùm quàuìs baptisma tollit omnia peccata hominis, iuxta scripturam Ephes. 1. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, attamen non tollit omnes defectus & imbecillitates naturæ nostræ corruptæ. Nam adhuc manet concupiscentia, quæ ad malum allicit, etiamsi culpa ablata sit, quæ concupiscentia non cessat, quandiù super hãc terram vixerimus, pugnare aduersùs bonum spiritum in homine. Galat. 5. Caro concupiscit aduersùs spiritum. In qua pugna virtus etiam Baptismi non deserit, vt quæ non solùm vna vice & modo omné culpam peccatorum abstulit, sed etiam corroborat nostras vires per Spiritum sanctum contra omnes prauas concupiscentias, quæ adhuc in carne nostra hærent, & bellum mouent ad varia desideria & cogitationes. Etiam armamur per virtutem Baptismi aduersùs vim omnium concupiscentiarum, vt possimus illis resistere, & vincere, sicut dicit Apostolus Galat. 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis nolite perficere: hactenùs ex libro Imperij.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Circa baptismum Pontificij in libro suo Imperiali nullam mentionem faciunt fidei, quam tamen circa baptismum exigit CHRISTVS, tanquàm necessariã ad salutem, dicens: Qui crediderit, &cæt. Marc. vlt. & Matth. 28. Deindè docent quòd Baptismus sinè fide ex opere operato fit efficax, & tollat peccata, quod est falsum. Item quòd pueri debeant baptizari super fidem eorum qui illos leuant, aut super fidem totius Ecclesiæ, quod falsum est, sed potiùs debent baptizari super verba CHRISTI, mandatum & ordinationem: & tunc spiritussanctus operatur in Baptismo in pueris inclinationem secundùm mensuram ipsorum, fidé, timorem, dilectionem erga Deum, sicut de Iohanne Baptista apparet Luc. 1. nam nemo fit saluus sinè renouatione spiritussancti: hoc autem concedimus, quòd adstantium fides & oratio plurimùm conducant, scilicet vt propria fides detur.

RESPON.

Primò apertum est mendacium, quòd nullam faciamus mentionem fidei circa baptismum, quandò clarè dicitur quòd fides adulti hominis, quandò baptizatur, fundat se & confidit verbis & mandato CHRISTI, qui iussit baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritussancti: & prima interrogatio sacerdotis ad baptizandum fit, an credis in Iesum Christum &cæt. Deindè docemus, quòd baptismus

ptismus ex opere operato efficax est ac opus operatum (si non intelligitis) est ipsa virtus & opus Dei, quod ipse in baptismo & omnibus alijs sacramentis facit, licut Iohan. 1. dicitur: Hic est qui baptizat. sed nemo apprehendit hanc Dei operationem sine fide: nó docemus quòd opus quod minister facit, aut ipsum elementū aquæ tollat peccatum: minister facit opus operans, at Deus opus operatum, quod semper efficax est, vbi non ponitur obex infidelitatis in corde, vel impœnitentia aut peccatum mortale in voluntate illius qui sacramentum accipit. Neque enim res pendet à dignitate aut malitia ministri. Deus operatur inuisibiliter iuxta suā ordinationem, & sic opus operatum Dei est efficax semper &cæt. Deindè quoniam Apostolus dicit Heb. 11. Impossibile est, placere Deo sinè fide, non sic aliena fides sola saluat aut remittit peccatum, aut pro alijs orat, est fundamentum in baptismo, vt non sit etiam opùs propria fide, vt quis sola aliena fide & oratione saluetur, sed pro tanto valet & efficax est aliena oratio & fides, vt propria detur, & propria fides apprehendit Christi meritum: credit in Christum S. Stephanus, & orat pro lapidantibus se. hæc oratio & fides profuit Paulo, quòd fuit propria fide paulò pòst à Deo donatus, Acto. 7. Sic oratio Mosis apud Deum valuit tantum, vt Deus multis millibus pugnatorum victoriam donaret Exod. 17. ità etiam oratio Heliæ 3. Reg. 17. propter fidem igitur alienam, id est, patrinorum adstantium Deus infundit baptizato propriam fidem, spem & charitatem, Tit. 3. Sic Augustinus epist. 23. ad Bonifacium testatur, quòd infantes super fidem parentum suorum sint baptizati, vbi etiam meminit fidei offerentium & ministrantiū: alioquì baptismus sinè fide non prodesset, sicut dicit Hilarius. non autem fides Ecclesiæ vel patrinorum, est causa efficiens remissionis, sed ipse sanguis CHRISTI effusus &c.

AN CONFIRMATIO SIT SACRAMENTVM.
Cap.39.

PRimò, vt homini non solùm est necessarium ad vitam naturalē, quòd sit natus, sed quòd etiam crescat & augeatur, ità illi non solùm Baptismus, in quo nouus homo renatus est, sed etiam confirmatio quædam, vt in bono corroboretur, & per virtutem spiritussancti augeatur, ad quod institutum est sacramentum Confirmationis; salutare id quidem & ab Apostolis vsurpatū, quandò Samaritanis imponebant manus, Acto. 8. vndè euidētem virtutem acceperūt, & quicquid Apostoli hîc fecerūt, hoc fecerunt in nomine Christi, & locò Christi hoc mysterium, sicut & alia instituta pro officio suo introduxerunt. Hoc verò mysterium est fundatum super promissionem Christi de gratia spiritussancti, & de missione eiusdem. Luc. 24. Mittam promissionē patris ad vos. & iterùm: Paracletus aūt Spiritussanctus, quē mittet Ioh. 14.
vobis pater in nomine meo, ille vos docebit omnem veritatem. Prætereà licèt sacramentum Confirmationis in principio Ecclesiæ sola impositione manuum frequentatum fuit, tamen Ecclesia circa ipsa tempora & traditionem Apostolorum incepit cum externo aliquo signo interiorem vnctionem sancti spiritûs significare, nempè per Chrisma, quod adiecit huic Sacramento cum expresso signo sanctæ crucis. Quam consuetudinem & ritum Catholica Ecclesia vt antiquum perpetuò defendit, & credit quòd Deus omnes suos ministros, quos per aquam & spiritum regenerauit, etiam cum hoc Sacramento signari fecit, vt accipiant septem dona spiritussancti, Esai. 11. Consolatorem de cælo spiritum sapientiæ & scientię, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum cognitionis, pietatis & timoris Domini: hoc credit & testatur tota Catholica Ecclesia in dispensatione horum mysteriorū, quæ omnium optima est mysteriorum Dei interpresi & qui ei contradicit, contradicit veritati, cuius ipsa basis est & columna, 1. Timoth. 3. Porrò virtus huius sacramēti est, quòd illi qui Confirmantur à sacerdote vel Episcopo, accipiunt spiritum sanctum, vt in peregrinatione hac & via salutis progrediantur, perseuerent, & occultis tentationibus, desiderijs carnis, mūdi & diaboli salubriter resistere queant. Deindè, quoniam maior pars baptizatorum adhuc pueri & infantes sunt, & pro seipsis fidem suam profiteri non possunt, bonum sanè esset, vt pueri qui iam ad annos pubertatis peruenerunt, & in fide Christiana satis instructi sunt, inter suscipiendum hoc Sacramentum Confirmationis proprio suo ore fidem in Christum, & obedientiam Ecclesiæ confiterentur,

rentur, idque ieiuni, & facta confessione auriculari susciperent, sicut in Concilio Aurelianensi conclusum est: attamẽ ex eo inferendum non est, quòd pueri infantes ab hoc sacramento remouendi sint, cùm tamen Christus ipse non dedignatus fuerit paruulis imponere manum, Marc. 10. nec Ecclesiæ in his mysterijs præiudicare decet. Minister autem huius Sacramenti debet esse Episcopus, quod ex vnanimi cõsensu vniuersalis Ecclesię & ex Apostolorum vsu probari & confirmari potest.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Si confirmatio hodiè ità fieret, sicut ab antiquioribus vsurpata fuit, non refragaremur, sed modis omnibus eam asserere ac tueri vellemus. Sed confirmari sinè examine & doctrina Catechismi nihil prodest, sicut hactenùs fecerunt personati illi Episcopi propter lucrum: Deindè, quòd Confirmatio sit Sacramentum, ab Apostolis loco Christi institutum & vsurpatum, falsum est, cùm neq; CHRISTVS, neq; Apostoli hoc ordinârunt, nec vsi sunt, nec legimus de forma huius sacramẽti, videlicet verborum, Signo te signo crucis, nec materiã, id est, Chrisma &c. Nec verum est quòd CHRISTVS promissionem spiritussancti annexerit aut alligârit huic cæremoniæ: nam promissio Spiritussancti Apostolis & toti Ecclesiæ facta est, immò datus Spiritus fuit antequàm quisquam fuisset confirmatus in vita sua: ideò Ecclesia hoc tolerare non potest, quòd generales promissiones Euangelij debeant ad has vel illas traditiones humanas trahi & applicari: est igitur confirmatio solùm traditio humana, à Clemente 1. post ascensionem CHRISTI annis 60. instituta, & non à CHRISTO nec Apostolis: ideò non potest esse sigillum & gratiæ signum, quod conferat & operetur inuisibilem gratiam per fidem. Deindè ea asscribunt cõfirmationi, quæ propria sunt baptismi, & per illa derogant vim principalibus sacramentis &c. Nec verum est, quòd homo seu minister per traditiones humanas possit conferre alijs spiritumsanctum: nam de Apostolis Acto. 8. legimus, quòd imposuerũt manus Samaritanis. Sed Episcopi oleum illinunt. Cùm Apostoli imponerent manus, dabatur spiritussanctus, qui statìm in ipsis per dona fuit manifestatus publicè, & hoc Apostolorũ opus, erat miraculosum opus, vt per id Euãgelij doctrina confirmaretur, non dabatur nouus vel alius Spiritus, sed ille quem antè in Baptismo acceperant. Ostendant ergò pontificij se in confirmatione dare Spiritumsanctum.

RESPOND.

Primò, quòd confirmatio iam non fit in Ecclesia, sicut olìm apud veteres magna cum diligentia fuit administrata, dolemus & minimè approbamus. Veteres enim Episcopi cum diligenti studio doctrinam Catechismi in Ecclesia exercuerunt, sicut patet in Origene in lib. periarchon, & in Augustino de fide ad Petrũ, in Cypriano &c. qui omnes summas quasdam doctrinæ Christianæ scripserunt, easque docuerunt, & instruxerunt certis diebus catechumenos, eosque examinârunt, cogentes vt ad interrogata responderent, qui deindè post examen per Episcopos & parochos suos pro veris Christianis sunt confirmati & approbati, & posteà dicti sunt perfecti Christiani, qui ità examinati confirmatique fuerũt: & talis ritus, postquàm baptizati fuerant, à suo fine dictus confirmatio. Hunc modum confirmandi hucusquè neglectum fuisse omnes dolemus, sed quòd propter eiusmodi defectum cõfirmatio non debeat dici Sacramentum, nullo modo concedit Ecclesia: est enim inuisibilis gratiæ, id est, donationis spiritussancti efficax signum externum, sicut impositio manuum Apostolorum Actor. 8. erat externum signum, sub quo inuisibiliter dabatur spiritussanctus, id quod clarè testatur spiritussanctus in scriptura Actor. 8. Et acceperunt spiritumsanctum. Secundò, quòd dicunt Christũ non fuisse vsum hoc sacramento, ergò nõ esse sacramentum, falsa argutatio est, sicut & sequẽtes istę: Christus non appellauit Baptismũ sacramentum, ergò non est sacramentum: & idem non iussit baptizari infantes, qui adhuc fide carerẽt, ergò non sunt baptizãdi. Quòd autẽ Apostoli confirmatione vsi sint, patet ex prędicto loco Actor. 8. Quis autem dicat Apostolos ità temerarios fuisse, vt aliquid fecerint sinè iussu Christi aut spiritussancti, quandò Paulus dicit se nõ ausum fuisse aliquid loqui, quod Christus in eo non effecisset, Rom. 15? Idẽ ergò spiritussanctus, qui Ecclesię datus est doctor & consolator, hoc in Ecclesia conseruat, quod semel reuelauit. Nam idem spiritussanctus, quoàd vixerit homo, nõ cessat in eo confirmare fidem quotidiè per verbum & inspirationẽ, ità quòd etiam sacramentũ hoc durat per totam vitam, sicut baptismus, & in cõfirmato spiritussanctus semp efficacior fit donis septiformib', donec

nec occurramus omnes in vnum virũ perfectum, Ephes. 4. Hic ſpiritusſanctus cõfortat contra hæreſes, contra abnegationem fidei, contra tentationes Sathanæ. Porrò Deus non alligauit ſpiritumſanctum huic cæremoniæ, vt ipſi nugantur, non ipſa cæremonia dat ſpiritumſanctũ, neque oleum vel chriſma, ſicut nec aqua tollit in Baptiſmo peccatum, ſed Deus eſt author & cauſa efficiens, qui per hanc cæremoniam ſeu inſtrumentum nobis dat Spiritumſanctũm: neque ſic alligata eſt Dei potentia, vt non poſſit dare ſpiritumſanctum, niſi per huiuſmodi cæremoniam. Nam varijs etiam alijs medijs generaliter donat Spiritumſanctum. Datus eſt Spiritusſanctus Apoſtolis in Baptiſmo, Iohan. 3. quandò CHRISTVS baptizabat: datus eſt quoquè illis in flatu, Iohan. 20. cùm diceret Chriſtus: Accipite Spiritumſanctum. datus & miſſus eſt illis in die Pentecoſtes in ſpecie linguarum ignitarum, Actor. 2. & audeat aliquis hîc dicere, quòd tres ſpiritus aut nouos illis dederit Chriſtus? Vnus igitur atque idem ſpiritus, qui dona ſua varia confert ſingulis, prout vult, 1. Corinth. 12. eſt ille, qui in Baptiſmo & in Confirmatione datur: ſed ad alium effectum & opus in Baptiſmo, ſ. ad renouationem naturæ. Tit. 3. in Confirmatione autem ad robur pergendi, creſcendique in accepta gratiá propter meritũ Chriſti. Confirmat enim hoc in homine, id eſt, fidem quam Deus operatur. Philip. 1. Confidimus in Domino, quòd qui cœpit in vobis opus bonũ, perficiet vſq; in diem Ieſu Chriſti. Igitur ſpiritusſanctus extinguit in homine motus carnis & mortificat, non ipſa cæremonia. Inſupèr nec nos dicimus homines per traditiones humanas dare ſpiritumſanctum: non enim homo, ſed Deus dat illum propter Chriſtum filium ſuum, non propter vnctionem aut ritum confirmationis. Ioan. 14. Paracletus autem ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo &cęt. Hunc non Epiſcopus aut presbyter mittit ſua poteſtate, ſicut nos Apoſtoli ꝓpria virtute & impoſitione manuum ſuarum, dare potuerunt Spiritumſanctum, qui Deus eſt, & à creatura dari non poteſt: ſed ad illorum orationem Deus de cęlo dedit Spiritumſanctum propter ſanguinem Chriſti. eſt enim hæretica & cauilloſa perſuaſio, ſcilicet quòd putemus nos ipſam cæremoniã, oleum ſeu Chriſma ſua virtute & dignitate conferre ſpiritumſanctum & gratiam, quaſi non per cęremoniam tanquàm per inſtrumentum & medium, ſicut etiam in baptiſmo per medium ſeu cæremoniam aquæ, cõferri, dicamus ſpiritumſanctũ: ſic nec flatus ille, quo Chriſtus in faciem Apoſtolorum inſufflauit, fuit ſpiritusſanctus, ſed ſub illo ſigno viſibili dedit illis Spiritumſanctum inuiſibiliter. Sic in die Pentecoſtes vehemens ſpiritus, id eſt, ventus & linguæ ignitæ nõ erant ſpiritusſanctus, ſed ſub illis ſignis dabatur. Sic cùm clara voce Chriſtus euocaret Lazarum, illa vox non erat vita Lazari, ſed per illam ei vitam reſtituit, Ioan. 11. &c. Deus enim agit per media viſibilia, quibus tamen nõ alligauit ſuam diuinam potentiam: poſſet enim ſinè illis conferre gratiam & Spiritumſanctum, ſed ſic eſt eius voluntas, ſit ergò illius voluntas nobis pro cauſa & ratione. Porrò quòd criminantur nos ſentire, Papam, Epiſcopos, Sacerdotes &c. eſſe fundamentũ Eccleſiæ & columnam veritatis, &c. hoc nemo noſtrûm ità docuit. Nam veritas Domini & verbum in Eccleſia nõ eſt fundata nec ſuper homines ædificata, ſed ſuper ſpiritumſanctũ, qui datus eſt Eccleſiæ doctor: aliàs enĩ Chriſtus fruſtranea locutus fuiſſet, & promiſiſſet rem inanẽ aut impoſſibilem, cùm dixit Iohan. 16. Expedit vobis vt ego vadam. ſi enim nõ abiero, paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eũ ad vos. & paulòpòſt: Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. & aliquantò pòſt, de meo accipiet, & annunciabit vobis &c. docebit vos, inquit, an non Apoſtoli & diſcipuli fuerũt homines? ſed nunquid pro ſolis Apoſtolis hęc locutus eſt, & non etiam pro omnibus ipſorũ ſucceſſoribus & electis Eccleſię membris? maximè verò. patet ergò quòd ſpiritusſanctus locutus ſit in hominibus, & ideò quia credimus ipſum per Apoſtolos & alios eorum ſucceſſores locutũ fuiſſe, & eos omnem veritatem docuiſſe, & manifeſtâſſe ea quæ à Chriſto ſe mittentè accepit, tantam fidem ipſis habere nos decet, quantam ſpiritui ſancto: licèt igitur ex Apoſtolicis hominibus audire veritatem Dei, quam illis vnanimiter cõgregatis ſuggeſſit ſpiritus Dei. Scimus enim tales eſſe domũ Dei, in quibus Deus habitet, & ſcimus illam veritatem, quam Deus reuelauit ſanctis apoſtolis & patribus eſſe columnã contra ſathanam & ſuos ſatellites hæreticos, qui nunquàm præualebunt aduerſùs Eccleſiam. Neq; verò doctrinam catholi-

cam docemus & cõseruamus propter præsentem faciem ecclesię nostrorum seculorum Pontificum aut Episcoporum, quorũ maxima pars (proh dolor) corruptè viuũt, cùm ipsi non sint primi illi interpretatores scripturarum, & constitutores dogmatum principalium Ecclesiæ &c. Sed à primoribus tanquàm per manum acceperũt, qui erãt nobis multo perfectiores sanctitate, abundantia gratiæ, scientiæ &c. & in illis non dubitamus spiritumsanctum habitâsse, & operatum fuisse ea quæ veritati Dei essent consona. Est ergò ipsa veritas Dei spiritussancti reuelata, annunciata & suggesta apostolicis viris & patribus, quorum doctrina cùm non ipsorũ, id est, pura humana, sed spiritussancti doctoris ipsorum sit, basis est & columna veritatis. Qui ergò temerè cõtradicit Apostolicę ac Catholicæ doctrinæ, quid aliud facit, nisi quòd Spiritumsanctum aut mẽdacem, aut semper ociosum fuisse arguit? & non fuisse & esse doctorem ecclesię? Igitur nos superædificati sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, id est, super eam veritatẽ, quam eis spiritussanctus reuelauit, Ephe. 2. Quandò igitur Confirmatio non destruit fidem in Ecclesia, sed potiùs est in ædificationẽ, quarè eam abolẽt hæretici? Vt verò diligẽtiùs & more veteris Ecclesiæ per episcopos administret, vt nimirùm doctrina Catechismi pcedat, & à ieiunis ac cum confessione accipiatur, nos quoquè maiorem in modum cuperemus: nihil verò curamus hereticorum cõtra hoc & alia sacramẽta blasphemias: nam quia ab Ecclesia vera abscissi sunt, non reguntur spiritu sancto Ecclesiæ, sed spiritu aduersarij, cuius doctoris sui linguam, qui mendaciorum pater est, quia sequuntur, non mirum videri debet, quòd Ecclesiasticam doctrinam mẽdacijs grauant.

CONTRA OPPOSITIONES DE CHRISMATE. Cap. 40.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

QVandò Apostoli nunquàm vsi sunt chrismate, tanquàm materia seu medio aliquo inter baptizandum, videtur figmentũ esse Pontificiorum, quòd adhibent Chrisma, dicentes hoc significare internam vnctionem spiritussancti: nullũ de hac re habemus verbum Dei, nec præceptũ: sed est inuentio humana, quòd sancto sacramento Baptismi addi debet oleũ, quasi spiritussanctus alligaret tali vnctioni, &c. RESPON. Notũ est, chrisma idẽ sonare quod vnctio: & mos vngendi venit ab eo, quòd Deus Mosi præcepit, cùm tabernaculum præpararet, vt oleum pararet, & eo omnia vasa tabernaculi, & ipsum tabernaculum atque sacerdotes vngeret, Exod. 30. & 1. Reg. 10. Samuel vngit in regem Saul, & indè mos inungendi Reges inoleuit. Sic nunc Christiani omnes cùm baptizantur, sacro perunguntur Chrismate, idq; pia patrum ordinatione, eò quòd vsum Chrismatis commendant vetustissimi authores. Nam de chrismate circa baptismũ memorat Cyprianus lib. 1. epist. epist. 12. qui idem totum sermonem cõtexuit de chrismate. item de vnctione legitur apud Clementem epistol. 2. Tertullianus de resurrectione carnis. Eusebius lib. 6. c. 34. Dionysius in ecclesiastica hierarchia cap. 2. part. 2. & plerique alij. Cùm ergò Confirmatio, id est, chrismatis vsus in Confirmatione habeat testimoniũ veteris Ecclesiæ, à mille & ampliùs annis, nempè temporibus Apostolorum, cur debet abrogari in Ecclesia? ostendant hæretici quòd vnq̃ fuit improbata aut ꝓhibita.

SECTARII. Ad quid prodest aũt vngi? an non sufficiunt In Baptismo & Confirmatione alię cæremonię, quas in scriptura legimus, vt intinctio aquæ, impositio manuum &c? RESPON. Si chrisma nõ prodest quicq̃, cur aqua prodest in Baptismo? aut cur chrisma præcipitur in extrema vnctione per Apostolicam scripturã, Iacob. 5: Vngentes eos oleo in nomine Domini? Si per huiusmodi media Deus vult sic distribuere gratiã suam, cur adhuc causam & rationẽ quęrũt hæretici? nemo nostrũm docer has cæremonias per se & sua dignitate efficere gratiã, sed Deus infundit, efficit atq; operat per illa: hæc non sunt gratia, id est, remissio peccatorum, sed vasa gratiæ, in quibus deus reposuit meritum Christi. Per Baptismi opus non mereor remissionẽ peccatorum, sed fides mea apprędendit promissam gratiã in baptismo: nullius sacramẽti vsus meretur iustificationem, nec eucharistia, nec pœnitentia, &c. Sed fides apprędẽdit in his sacramẽtis, quod Deus in ijs locauit & ordinauit: meritũ Christi est ipsa virtus æterna: sic chrisma non meretur spiritumsanctum, nec spiritussancti gratia alligata est ad chrisma, quasi non alia via posset dari, sed per illam exter-

nam vnctionem, quæ sola signum externum, datur interna & inuisibilis vnctio spiritussancti, sicut semper Catholica fides tenuit. Prætereà Ecclesia vtitur externa vnctione quandò baptizat, confirmat, ordinat, & extremum oleum dat: sed non solùm fit vnctio, verùm etiam certa scripturæ verba proferuntur, & orationes in quibus DEVS pro gratia inuocatur & rogatur, vt baptizatis, confirmatis, ordinatis, & extremè infirmis propitius esse voluit, eisque peccata sua remittere, & spiritumsanctum suum infundere dignetur, vt per hunc ad omnia bona agenda, & ad ritè ac benè fungendum officijs & vocatione sua impellantur, si hæc est idololatria aut res inanis, vt criminantur hæretici, totus mundus iudicet. Nobis vel antè notum erat, quàm ipsi blaterarent, quòd nullum oleū externum mereatur gratiam vel remissionem peccatorum, aut conferat spiritumsanctum sua virtute propria, sed quòd per illam vnctionem olei significatur gratia spiritussancti, id quod est omnium patrum testimonium: tum circa hanc vnctionem DEVS obnixè rogatur, vt ipse, ipse inquā, nō oleum, dignetur præsentibus ibidèm & ordinatis personis gratiam suam & spiritum suum sanctum largiri, velitque eos intùs in corde vngere spiritusancto, sicut exteriùs oleo vncti sunt, ità quòd omia in hac cæremonia, precatione & inuocatione nominis DEI & gratiæ spiritussancti fiunt, quò minùs debent ab hæreticis blasphemia dici: et hæc vnctio deriuata est ex apostolica scriptura Ioannis, 1. Iohann. 2. vbi spiritussanctus vnctio vocatur: Vos vnctionem habetis à sancto &cæt. & de hac vnctione scribit Iacobus Apostolus, vt suprà allegauimus, Iacob. 5. quòd postquàm vnxerunt, oratio fidei alleuiabit infirmum: & si in peccatis erit, remittentur ei &cæt. Patet igitur, quòd etiam apostolica Ecclesia eiusmodi cæremoniali vnctione vsa fuerit: quis igitur contradicet, nisi apertus hæreticus? Hoc porrò est omnium hæreticorum mendacium, quo apud simplicem populum falsò traducunt catholicam religionem, quasi fingemus gratiam Dei, remissionem peccatorum, cælum & vitam æternam ad cæremonias Ecclesiæ quasi illæ, vt ferè sunt chrisma, aqua benedicta, sal, cerei, vexilla, cantus, vestitus, cibus specialis, thurificatio, aut quiduis aliud opus operans, quod nos facimus in sacramentis, &c. possint nobis conferre salutem & gratiam ac iustificationem, quod nemo sanus ex nostris dicit. hoc autem dicimus & credimus, quòd gratia Dei, id est, remissio peccatorum, donatio spiritussancti, & vita æterna sint tantùm ad vnum opus ligata & fundata, nempè ad sanguinem & meritum crucis CHRISTI, & ad nullam aliam rem sacramētalem nec cæremoniam, 1. Iohann. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis mundi &c. Sunt igitur cæremoniæ & externi cultus Dei in Ecclesia solùm signa interni nostri desiderij ad Dei misericordiam, vt ipsa DEI misericordia nobis sit efficax, & donet quæ nobis salutaria sunt, non propter ipsas cæremonias, sed propter sanguinem Christi, non vt hîc externus cultus cæremoniarū sit præcipuus, & sinè interiori cordis ad Deum motione efficax, nisi præcesserit internus cultus Dei, id est, fidei, timoris & dilectionis, parùm proderit externus cultus, nec tamen externus cultus est reijciendus, quia signum est interni: & Deum non solùm tacitè in corde, sed etiam foris laudare debemus: nam Dauid non solùm corde intùs, sed etiam pulsando citharam, & saltando ante arcam, Deum laudauit &c.

DE NECESSITATE POENITENTIAE. Cap. 41.

PRimò, ex quo homines, qui iam renati sunt in baptismo, sæpè in grauia & enormia peccata incidunt, nè tamen peccator desperet, instituit Christus sacramentum pœnitentiæ, quæ est sicut tabula secunda naufragij, quatenùs non mergamur in mari magno peccatorum, sed veniamus ad æternam patriam: ideò CHRISTVS ad hoc sacramentum dedit claues absoluendi & ligandi, Ioan. 20. Accipite spiritumsanctū, quorum remiseritis peccata, &c. Quandò nūc peccator de peccatis suis ex corde dolet, & cum tota fiducia ad thronum gratiæ & misericordiæ accedit, & credit quòd in hoc sacramēto accipiat hoc, quod CHRISTVS promisit, tunc ei fit secundùm fidem suam: nam hoc sacramentum habet promissionem certam, quòd peccata debent mihi remitti in cælo: ideò quandò tolluntur peccata, tunc homo sanctificatur, & sic hoc sacramentū, sicut & alia continent virtutem sanctificandi, quam Deus hoc & alijs sacramentis tanquàm in vase reponit: illa autem virtus ex merito Christi est, qui est fons & causa efficiens

iuſtificationis, quam fides reperit & appræhendit in ſacramento. Hoc inſupèr ſacramentum ſtat in abſolutione miniſtri, quæ abſolutio fundata eſt in inſtitutione & verbo CHRISTI, qui in his rebus poteſtatem ſuam ſacerdotibus committit, quandò dicit: Sicut miſit me pater, ſic mitto vos. accipite ſpiritum ſanctũ. Secundò, ex quo ſacerdos non ſolùm habet poteſtatem abſoluendi, ſed etiam ligandi: & hoc vtrunque à DEO datur ipſi, indè colligi poteſt, quòd accipit etiã poteſtatem iudicandi, inquantùm vtriuſque huius clauis poteſtatem accepit, qua vti antè non poteſt, quàm intelligat, cui remittere & quem ligare debeat. Hanc autem cognitionem aliundè habere non poteſt, niſi ex confeſſione oris & enumeratione peccatorum: nam cùm multa peccata occultè committantur, & ea hominis ſaluti non minùs pernicioſa ſint, quàm ea quę manifeſta ſunt, immò his ſint quandoquè multò grauiora ac periculoſiora, non quidem miniſter Eccleſiæ iudicare poterit, quid cuiq; remittere aut quid ligare debeat, niſi reus priùs enumerârit ac confeſſus fuerit ea quæ commiſit, & ità vulnus ſuum tanquàm medico detexerit, quó conueniens medicina adhiberi poſſit. Vt igitur ſacramentum pœnitentiæ tãquàm vtile ac neceſſarium populo Chriſtiano commendari debet, ità etiam confeſſio & enumeratio peccatorum non in minori loco habenda eſt, & quemadmodùm hęc non minùs laxari debet, ità etiam non nimìs coarctari: quis enim omnis delicta intelligit, Pſalm.18? Ideò debent illa peccata enumerari, quæ peccatori diligenter, & ſi non nimìs anxiè, cogitanti in mẽtem veniunt: & quorum apud ſe meminiſſe non poteſt, ea vt in generali confeſſione compręhendat licebit: & non minùs ei remittentur illa, quàm ſi enumerâſſet ea in confeſſione. Quandò autem beneficia Abſolutionis & Remiſſionis conſolatur conſcientia, nemo ob confeſſionis onus grauari debet: cùm enim abſolutio nobis ſolatium adferat, ideò libenter fieri debet confeſſio. Porrò quamuis ſatisfactio, quæ culpam & pœnam æternã tollit, ſoli Chriſto Domino noſtro aſſcribi debeat, ſolus enim peccata noſtra portauit, Eſai.53. & 1. Iohann.2. ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: attamen & illa ſatisfactio, quæ conſiſtit in fructibus pœnitentiæ, nempè in ieiunio, eleemoſyna, oratione, caſtigatione corporis &cæt. ſiue ea fiant à nobis voluntariè & ſpontè, ſiue à ſacerdote iniungantur, ſi ea in fide & dilectione ſuſcipiatur, minimè infructuoſa aut fruſtranea eſt: reſcindit enim cauſas peccandi, ſanat reliquias delictorum, retinet iuſtificationem ſemel acceptam, tollit aut certè mitigat temporales pœnas & alijs inſupèr hominibus ad ſimilem pietatem fit exemplar. Et quoniam huius ſacramenti virtus conſiſtit in Abſolutione, ſcilicet vt illi credatur, eius forma & verba eo modo debent fieri, vt à confitente ſeu puero ſeu laico, percipi & intelligi queãt, ſcilicet quòd ipſi ex virtute & merito CHRISTI peccata ſua remittantur, iuxta inſtitutionem verborum ipſius CHRISTI, Ioan.20. Quibus remiſeritis peccata, eis remiſſa erunt. Nam gratia & condonatio peccatorum, quæ ibì datur, ipſius Dei eſt: miniſterij verò opus, ſacerdotis eſt, ſicut Ambroſ. dicit: Non noſtra Contritio, Confeſſio, ſatisfactio eſt cauſa efficiens remiſſionis, ſed Chriſtus ipſe. Hæc liber imperij.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Sicut Pontificij docent pœnitentiam, appáret quòd ſit manifeſta negatio redẽptionis CHRISTI, & deluſio Baptiſmĩ & gratiæ Dei, & error eſt damnabilis, quo docent quòd per contritionem, auricularem confeſſionem & ſatisfactionem, mereamur remiſſionem peccatorum, & perſoluamus culpam coram DEO delictorum noſtrorum, & hanc doctrinam ſuam vocant ſacramentum pœnitentiæ. Deindè, quòd pœnitentia (id eſt, contritio & ſatisfactio) poſt baptiſmum ſit ſecunda tabula, cuius beneficio è peccatis & morte æterna eripiantur, &c. falſum eſt. nam ità Chriſto derogatur ſuus honor & ſatisfactio & redemptio, atq; hæc tribuuntur auriculari confeſſioni & noſtræ ſatisfactioni. Tertiò, quòd gratia DEI quæ per Abſolutionem diſtribuitur, DEI ſit, & non hominis: ſed ſolùm ſacerdos eſt miniſter officij, verum eſt: ſed oportet per voculã, ſacerdos, non intelligere vnctum aut illinitum oleo papali ſacerdotem, ſed quemcunque alium, qui animarum curam habet, ad miniſterium ſacrum à ſua eccleſia vocatum & admiſſum. Non enim virtus ligandi & ſoluendi peccata, in dignitate aut ordinatione cõſiſtit aut fundata eſt, ſicut illi docent, ſed ſuper ordinationem Chriſti & eius mandatum: ideò quicunque electus fuerit in miniſtrum etiam ſinè vllis ordinibus, hic abſoluere poteſt. RESPONDEO. Primò, oportet vt verum Chri-

ſti

ſti corpus, id eſt, Eccleſia, ſequatur caput ſuum, id eſt, CHRISTVM. nam ſicut Chriſtus fuit à Iudæis occiſus, quaſi mendax eſſet, ſeductor, dæmonium habens, peccator, Samaritanus &c. hęc omnia licèt eſſent nefaria mendacia, attamen ipſum ad ſupplicium rapiunt, tanquàm talis eſſet, ità, inquam, Eccleſiam oportet ſequi caput ſuum, quæ ab Hæreticis tam blaſphemis mēdacijs grauatur, quibus eius veritatem apud ſimplices oues Chriſti conantur extinguere, & ipſam pedibus cōculcare: Sed ſicut ſurrexit Chriſt⁹ & euicit, ità & Eccleſia ſurgit: & ſicut ſol per oppoſitas nubes relucet clarior, & dicet cum Chriſto capite ſuo, de Hæreticis malignantibus, Odio

Ioh.15. habuerūt me gratìs, Pſal.68. Eſt autem generalis Eccleſiæ doctrina & fides, quod ſolum vnicum eſt opus propitiatorium, id eſt, quod meruit ſemel, & ſemper manet efficax: nihil illi addi nec adimi poteſt, nempè mors chriſti & effuſio precioſi ſanguinis ſui in cruce, Hebr.9. ſemel intrauit in ſancta ſanctorum, & ęternam reperit redemptionem: Hoc opus ſolùm eſt opus operatum, quod ſua dignitate meruit toti mundo remiſſionem & ſalutem. Rom. 4. Mortuus eſt pro peccatis noſtris. & 1. Petr.1. 1. Cor.6. Sanguine illius precioſo mercati ſumus &c. Hęc mors & opus chriſti ſolum eſt cauſa efficiens origo & fundamentum perfectum remiſſionis peccatorum noſtrorum & ſalutis æternæ. Nulli ergò operi in toto mundo hęc virtus & efficacia tribui poteſt: nam hęc ipſa virtus & potentia tollendi peccata, ſatisfaciēdi, donandi ſpiritumſanctum, & ſaluandi, eſt res extra nos, & non res in nobis aut à nobis: ob id neq; fides, neq; Sacramenta, opera, ieiunium, oratio, eleemoſyna, cęremoniæ &c. nobis donare poſſunt remiſſionem, iuſtificationem, ſpiritumſanctum & vitam æternam, ſed ſolum Chriſti meritum, effuſus ſanguis ipſius illa faciūt & largiuntur. Non ergò fides aut Sacramentum vllum iuſtificat, ſed Deus per fidem intùs & inuiſibiliter, & foris per ſacramenta certificat nos de iuſtificatione viſibiliter, non ipſum opus operās, quod nos facimus, aut ipſum elementum ſacramentorum & cæremoniarum, quibus nos vtimur, ex propria virtute confert gratiam & remiſſionem, ſed Deus: Deus, inquam, operatur per hæc media & fidem & ſacramenta, donatq; & infundit ſpiritumſanctum, ac participes facit nos meriti Chriſti &c. Ità baptiſmus non tollit peccatum, ſed DEVS per ſacramentum baptiſmi hoc facit: ità manducatio & bibitio corporis & ſanguinis Chriſti, non tollit peccata nec ſaluat: ſed fides, qua credo CHRISTVM pro me paſſum: ſic contritio, confeſſio, ſatisfactio non ſunt opera propitiatoria, id eſt, quòd mereantur ſua virtute remiſſionem peccatorum &c. Sed DEVS per hæc media lapſum hominem poſt baptiſmum iterùm recipit in gratiam, & tollit peccatum: DEVS, inquam, hoc facit, non noſtra contritio, &c. licèt hæc media fieri debeāt. Nos natamus ſuper tabula pœnitentiæ, ſed vt eripiamur & liberemur à ſubmerſione, DEVS facit, & non tabula. Impudētiſſimum igitur eſt mendacium hæreticorum, quo traducunt Eccleſiam, quaſi tribuat contritioni, confeſſioni, &c. remiſſionem peccatorum & ſalutem: tametſi Sacramentum pœnitētiæ ſic commendatur, ſcilicet quòd pœnitentia abſoluit à peccato, recōciliat nos Chriſto, reſtituit Eccleſiæ, ditat ſpiritualibus bonis, efficit de filio ſathanæ filium DEI, aperit paradiſum, reparat bona opera deperdita peccato: item, pœnitētia impiū iuſtificat, peccata delet, lauat, mundat, gratiā infundit, viuificat, vitā æternā dat, & vitare facit gehennam, remiſſionem & purgationem peccatorum adfert, & cæt. hæc encomia non pœnitentiæ ipſi tribuuntur, quaſi ipſa ſua virtute hęc efficiat, ſed quòd potiùs ipſe DEVS hæc per pœnitentiæ medium operetur in homine reſipiſcente per hoc Sacramentum: DEVS enim eſt, qui operatur omnia in omnibus, 1. Corin. 12. Sic etiam eſt de Sacramentis alijs & cęremonijs: non quòd hæc ipſa ſua propria virtute efficiant aliquid, ſed DEVS per illa ſua virtute & efficacia operatur: Sic omnis creatura Dei ſanctificatur per verbum, i. ipſum Deum, cuius verbum eſt, & orationem, i. propter orationē & petitionē ſacerdotis. At liberat quoquè Eccleſiam ab hoc Hæretico mendacio ipſa forma verborum abſolutionis, quæ ab initio fuit in vſu Eccleſiæ. eſt verò talis, Dominus noſter IESVS CHRISTVS per meritum ſuæ amariſſimæ paſſionis te abſoluat, id eſt, ipſe Dominus noſter IESVS CHRISTVS eſt, qui te abſoluit, & peccata tua tollit, non propter tuā contritionem, confeſſionem & ſatiſfactionem, ſed propter meritum ſuæ amariſſimæ paſſionis te abſoluat, & ego eius authoritate mihi conceſſa, abſoluo te virtute meriti eiuſdem CHRISTI, in nomine DEI Patris & Filij & Spirituſſan-

rituffandi. Ad veram contritionem dicit nos legis prædicatio, veram contritionem probat confessio. qui verè pœnitet, & contritionem veram habet, non erubescit illa confiteri seu publicè seu priuatim, sicut Dauid confitetur 2. Reg. 12. & peccatrix Luc. 7. Zachæus Luc. 19. & satisfactio, id est, noui fructus pœnitentiæ retinent distributam gratiam & remissionem, hæc fides retinet & confitetur &c. Tertiò, quòd dicunt, authoritatem absoluendi non esse locatam & fundatam super ordinationem legitimam Ecclesiæ, sed super mandatum & ordinationem DEI &cæt. verum est. sed in hoc dubitatur, quis illud mandatum debeat exequi, & eo fungi, an ille qui est finè ordinaria potestate adscitus & electus à schismatico cœtu, an verò qui à Catholicis est legitimè missus? Cùm igitur non consecrati & finè ordinaria potestate, immò potiùs ex contemptu ordinariæ potestatis præsumunt absoluere, fugiendi sunt, quia authoritas illa Catholicæ Ecclesiæ concessa est, quę eos non misit, nec approbauit: at consecratos ritè approbat, & hic certi sumus de absolutione &cæt. & si authoritas absoluendi non pendeat à cōsecratione, attamen DEVS suam efficaciam non dat, nisi per consecrationem & commissam authoritatem & ordinem: nam quæ à DEO sunt, ordinata sunt, Romanorum decimotertio capite. Qui resistit ordinationi, DEO resistit: qui autem DEO resistit, quomodò Deus operabitur efficaciam suam in tali contemptore sui ordinis & institutionis? Quid multis? non opus operans, aut cæremoniæ, vel sacramenta vlla, causa sunt efficiens gratiæ & remissionis. Vnum est enim solum propitiatorium opus: quotiès ergò vtimur sacramentis, cæremonijs, operibus &cæt. non in ipsum opus respicimus, sed fidem & mentem dirigimus supra nos in ipsam DEI misericordiam, vt illa tribuat effectum & virtutem & gratiam, quam petimus per hanc cæremoniam, non ipsum opus sacramenti, &c.

CONTRA OBIECTIONES DE CONFESSIONE AVRICVLARI.

Cap. 42.

TOta Ecclesia Catholica illam confessionem coram presbytero tenet & credit, quòd salubris sit, & inseruiat ad communicandam doctrinam Catechismi, deindè ad Christianam disciplinam, tertiò ad testimonium fidei & vitæ, quartò ad consolationem turbatæ conscientiæ. Sic populus egrediebatur ad Iohannem Baptistam, & baptizabantur confitentes peccata sua, Marc. 1. Sic Actor. 19. Paulo confitēturabusus suos. Ab omnibus igitur catholicis confessio illa pro re Christianis vtili approbata est, vbi quisquam iudicium audiebat à sacerdote fidei & vitæ suę. Signum est enim obstinatæ mentis, nolle de se audire iudicium. Hæc confessio quondàm fiebat in facie totius Ecclesiæ: nam qui erant rei publicorum criminum, eijciebantur extra Ecclesiam, nec recipiebantur iterùm, nisi primùm confessi. hoc est, nisi priùs testarentur apud pastores se emendaturos in posterum mores & vitam, & peterent absolutionem: & illa forma pœnitendi habetur Matth. 18. 1. Corinth. 5. Addebatur quoque satisfactio, hoc est, publica quædam castigatio vel exempli causa, vt alij admoniti cauerent, nè in idem vitium laberentur, vel vt tentarentur illi, qui sic redibant ad Ecclesiam, an seriò resipiscerent. At quoniam & hic modus publicæ confessionis multis erat scandalosus & offendiculum, cùm alter alterius audiret delicta: visum est patribus, eam redigere in aurem occultè, nè alter alteri obijceret suum crimen, sed solus sacerdos sciret ad conseruandam publicam pacem, qui & pœnitentiam iniungeret iuxta delictorum quantitatem.

Nec iste modus confitendi in aurem nouus est, nam vt lib. 9. cap. 35. tripart. histor. traditur antiquitùs fuisse consuetum, vt presbyter quidam honestæ vitæ per pontificem constitueretur, qui celare deberet ea quæ sibi per confessionē à plebe occultè detegerentur, vt ibidèm dicit Sozomenus. Et quanuis hoc institutū abrogârit Nectarius quidam Episcopus, ob facinus cuiusdam Diaconi cum fœmina quadam, attamē posteà restitutum est per pontifices Romanos. quorum institutio apud catholicos adhuc durat. neindè enumeratio peccatorum nunquàm sic est pręcepta ab Ecclesia, vt quis omnia peccata sua occulta & obliterata, nullo excepto, enumerare debeat: Hoc enim impossibile esse propheta Dauid dicit Psal. 18. Delicta quis intelligit? nec sacerdos exigit omnia, nec opùs est, sed tamen peccata illa quæ occurrunt, & quæ manifesta sunt contra

legem

legem, vt in Decalogo Exod.20. Hæc aliquo modo sciri possunt, & horum etiam quædam quæ è memoria exciderunt, tolluntur beneficio absolutionis, quanquàm contra legem DEI sunt facta. Oportet tamen sacerdotem inprimis scire peccata illa, propter quæ excommunicare possit peccatorem, & iterùm absoluere eum: hic enim Iudex est, & habet iurisdictionem, Matth.18. & 1.Corint.5. Si quis est scortator, rapax, &cæt. sed ad occulta peccata sacerdos simpliciter absoluit in genere, sinè plena agnitione omnium peccatorum: & hoc est euangelicum mandatum remittendorum peccatorum, tam publicorum quàm priuatorum. Prætereà moderata enumeratio peccatorum, magis quietam reddit conscientiam & securam, quàm sola mentalis confessio, aut sola fides extra necessitatem. Sic Dauid 2.Reg.12. quandò post confessionem audiuit à propheta, Dominus trāstulit peccatum tuum, &c. & Magdalena, cui dicebatur Luc.7. Dimissa sunt tibi peccata: & Zachæus Luc.19. Salus hodiè domui huic facta est: & Matth.9. Misericordiam volo &cæt. Quanuis igitur confessio ad DEVM, prima & potissima sit, sinè qua hæc altera non proderit: attamen hæc minimè est repudianda. Inquisitiones verò in confessione indè natæ sunt, quia rudes homines, non scientes doctrinam Catechismi, per hæc doctiores euaserunt: ad nihil enim aliud sunt eiusmodi interrogationes, nisi ad examinationem de articulis fidei, de decem præceptis, de oratione Dominica, de virtutibus & vitijs, & cùm confessio potissimùm sit instituta, vt doceantur homines de doctrina Catechismi: ideò tales interrogationes & summularia confessionum, potiùs valent ad ædificationem, quàm destructionem Ecclesiæ: multa enim occurrunt in confessione priuata tractanda, quæ publicè fieri non conuenit: piè autem interpretanti omnia, vero consonant: nec tam commune est, vt confessionarij ea quæ illis in aurem commissa sunt, palàm enuncient, sicut aduersarij criminantur.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Pontificij docent, quòd confessio sit causa, per quam peccata tollantur ex opere operato, & per eam impetrari remissionem peccatorum, vulnera peccatorum sanari: quod falsum est, & aduersatur fidei nostræ, & tollit meritū CHRISTI & satisfactionem. nam si ex operibus est iustitia, CHRISTVS frustrà mortuus est, Galat.2. Deindè, quòd vulneratus peccator sanari non possit, nisi omnia occulta peccata, vel in factò commissa vitia, in cōfessione oris aperiat & enumeret, error est & laqueus conscientiæ: de qua re nec Christus, nec apostoli quicquam mandârunt. Nam si remissio peccatorum constaret in humano opere, id est, in enumeratiōe peccatorum, aut in cognitione vel inquisitione sacerdotis, vt ille omnia peccata specialiter sciat, antequàm absoluat confitentem, & si non constaret in promissiōe Dei & CHRISTI merito, tunc promissio Dei de remissione peccatorum semper esset incerta, & fides nostra dubia. quis enim certus est, an omnia peccata, aut quæ potissimùm debeat, enūerârit? aut quotusquisque minister est satis intelligens, & fidelis ac taciturnus? prætereà, quandò sacerdos solùm est minister promissi alieni ac beneficij, id est, dispensator, & non iudex: tunc non quidem consistit remissio peccatorum in iudicio ipsius, sed in agnitione peccatorum coram Deo, & in fiducia & bono proposito confitentis. Nam nec CHRISTVS vel apostoli ità absolutionem dederunt post enumerationem peccatorum, sed post agnitionem peccatorum in genere. Sic absoluit CHRISTVS publicanū in templo, Lu.18. Magdalenam in conuiuio, Luc.7. paralyticum, Matth.9. Zachæum, Luc.19. & Petrus totam multitudinem populi, Actò.2. & Philippus cubicularium reginæ Cādaces, Act. 8. & sic neque CHRISTVS, neque apostoli remissionem peccatorum alligârunt ad auricularem confessionem, nec ad enumerationem peccatorum: ideò non decet prẹter omnem commissionem CHRISTI & scripturæ in ecclesia imponere consciētijs tam periculosam traditionem, sed deceret potiùs vt sinerentur ea frui libertate, qua ipsos donauit CHRISTVS, Gal.5. Prætereà experientia docuit, quòd sæpè pericula, proditiones dominorum & regionum ex confitentibus ad conscientiam ipsorum extorta per sacerdotes & monachos fuerūt. vndè bella & alia mala, nō dicimus, crimina & scandala, nata sunt, cùm omnia secreta propalârint, & ad Papā aliosq; potentes detulerunt. Huc accesserūt reseruatio casuum, scrutinium pectoris, & alij eiusmodi pecuniæ laquei pontificis & suorū &c. RESPONO. Primò, Ecclesia Catholica nouit solum vnum, qui tollit

lit peccata mundi effusione sanguinis sui, sicut etiam illum nobis mōstrauit voce & digito Iohannes baptis. Eccè agnus DEI, eccè qui tollit peccata mundi, Iohann.1. Hinc etiam fit confessio peccatorum, confiteor DEO omnipotenti &c. Huc quoquè accedit petitio peccatoris & ministri & Ecclesiæ, vt propter meritū amarissimæ passionis CHRISTI, & non propter nostram contritionem aut confessionem à peccatis absoluamur, non propter vllum opus operatum. vndè cōstat, quàm impudenter hæretici nos mendacijs grauent: cùm non doceamus quòd nostra confessio mereatur remissiōem peccatorum, sed quòd CHRISTI sanguis hanc nobis semel meruit. Deindè hoc pro certo axiomate nostræ confessionis est notandum contra mendacia hæreticorum, quòd remissio peccatorum, salus æterna, & collatio omium bonorum spiritualium & corporalium &c. solùm habeant vnum & perpetuum fundamentum, causam efficientem atque originem, scilicet meritum passionis CHRISTI. in hoc cōstanter permanemus, Vnus est mediator Dei & hominum, 1. Timoth. 2. Vna propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Ioann. 2. Vnus Iesus Christus herì, hodiè, & in secula. Hoc

Heb. 13. ergò meritum CHRISTI, semper & solùm retinet gloriam suam, quòd ipse causa est & fundamentum remissionis peccatorum & gratiæ DEI in hac & post hanc vitam perpetuò: at sunt multa media & opera à DEO ordinata, per quæ quasi instrumenta appræhendimus, comparamus, acquirimus, nobis applicamus & participamus meritum illud sanctissimum IESV CHRISTI: quæ media, instrumēta & opera seu cæremoniæ aut qualiacunque nomina habent, non sunt ipsa causa nec origo remissionis peccatorum & gratia Dei: hoc semper illæsum manat & saluum meritum Christi, &c.

Sic prædicatio Euangelij, ex qua fides hauritur in Christum, Roma. 10. & illius meritum appræhendendum, est medium, sed non est ipsum Christi meritum. sic fides est res seruiens ad appræhendendum CHRISTI meritum, sed non est ipsum meritum Christi. sic baptismus & alia sacramenta sunt seruientia ad acquirendum CHRISTI meritū, sed non sunt ipsum Christi meritum. sic contritio, confessio, &c. sunt media, quibus Christi meritum apprahendimus, sed non idipsum sunt. Accum iam solum Christi meritum tollis peccatum, Ioann. 1. Eccè agnus DEI, eccè qui tollit &cæ. & cùm hoc dicamus, solum & vnicum opus operatum esse, quod sua dignitate & efficacia meruit omnibus & toti mundo gratiam & remissionem, quo modo nostræ confessioni, contritioni & satisfactioni asscribi potest, quòd remissionem mereantur peccatorum? Prætereà nec enumeratio peccatorum, nec scientia vel dignitas ministri, sunt vel esse possunt fundamētum, è quo remissio peccatorum veniat, aut ab illis dependeat. Hæc enim sola media & instrumenta sunt, per quæ ipsum CHRISTI meritum operatur & nobis communicatur: non recedimus à fundamento remissionis peccatorum, id est, merito Christi, dum vtimur medijs à DEO ordinatis, quatenùs ipsum nobis applicemus. Est igitur solum vnum fundamentum, id est, meritum Christi, in quo fundatur remissio, salus, & omnia bona DEI. cætera omnia sola sunt vel media, quibus ea applicamus nobis & apprehendimus: vel opera quædam, quibus ea retinemus & custodimus, vt sunt obedientia legis, & alia pia opera: sed nullum ipsorum est ipsum CHRISTI meritum. Hic igitur agnus est, id est, CHRISTVS qui occisus est ab origine mundi, Apocal. 13. Ipse solus est qui portat peccata mundi, Iohann. 1. & in eo posuit peccata omnium nostrûm, Esai. 53. Hoc solum ipsius vnicum meritum, tollit omnia peccata, & solum dat omnibus cælum & salutem, & cæt. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere &c. Acto. 10. Nō igitur amouemus aut tollim⁹ à Christi merito remissionem & salutem, & locamus ea in nostra opera. absit, absit: rumpantur igitur hæretici suis mendacijs.

Tertiò, quòd sacerdos solùm sit dispēsator alieni meriti & beneficij, & non iudex, id nos quoquè concedimus, sed paterfamiliâs nunquìd non exigit seruum fidelem & prudētem, qui bona sua & commissa ei talenta fideliter dispenset, Matth. 25. At quomodò ignorans, rectè dispensabit aliena beneficia? quomodò ei rectè communico meritum CHRISTI, cuius fidem & scientiam exploratam non habeo? Licèt iudex sit minister beneficiorum Christi, attamen dispensator est: & thesaurus hic sibi commissus est, vt fideliter dispenset, 1. Cor. 4. Hoc quæritur, vt fidelis quis inueniatur. Ergò enumeratio modesta peccatorū, multò magis facit certiorem

tiorem & cõfitentem & ministrum, quàm anxia. Quòd autem dicunt, CHRISTVM & apostolos absoluisse sinè enumeratione peccatorum: respondeo, CHRISTVM, quia Deus, non indiguisse enumeratione, qui aliàs omnia nouit, & ad cogitata Pharisęorum respondit, attamen nullum legimus à CHRISTO absolutum sinè confessione peccatorum: absoluit publicanũ Luc. 18. sed dicentem, Deus, propitius esto mihi peccatori: absoluit Zachęum, Luc. 19. sed dicentem, Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si aliquem defraudaui, &c. absoluit Deus Dauidem, sed dicentem, Peccaui &c. hæ sunt publicę confessiones. Petrus absoluit in die Pentecostes plures simul, sed dicentes: Quid faciemus viri fratres, Act. 2? Hæc & similia non sunt facta absque confessione peccatorum: nam nullus vnquàm absolutus fuit, nec à CHRISTO, nec ab Apostolis, absolutus fuit sinè confessione peccatorũ præcedente &cæ. Nemo autem dicit hanc confessionem esse fundamentum remissionis peccatorum, sed meritum Christi: attamen si reijcias fidem, sacramenta, contritionem & confessionem, &c. quæ appræhendunt illud meritum Christi, vbi erit appræhensio? Quòd porrò hæretici obijciunt, quòd interrogationes & explorationes è confitentibus, multa mala & proditiones & bella pepererint, & quòd per confessiões inquisita fuerint Secreta principũ, regum vel Papæ, &c. manifestissimũ est mendacium, quandò sub pœna grauissima semper mulctati fuerunt enunciantes confessionis arcana. Cùm enim in confessione constituatur quasi forum secretum, in quo mori debet & extingui peccatum: ideò ad rationem confessionis pertinet, vt nullo modo reueletur. nam qui reuelat, irritam facit sacramentalem confessionem. est enim sigillum confessionis de iure naturæ. & licèt Papa præcipiat sacerdoti, vt reuelet confessionem, non est ei obediendum, quia non potest super ius naturale & diuinum præcipere. Si autem aliqui cõfessionarij spontè & ex leuitate aut lucri gratia reuelârint, seuerissimè puniendi sunt.

QVID DE SATISFACTIONE CENSENDVM. Cap. 43.

PRimò, hoc verbum satisfacęre, rectè intelligere oportet. Est enim sola vna satisfactio, quæ tollit æternam pœnam & culpam totius mundi, & solùm hæc est perfecta & plena satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi coram DEO. 1. Ioann. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris & totius mundi, Coloss. 1. complacuit patri per eum, id est, CHRISTVM reconciliari omnia, per sanguinem crucis eius omnia pacificans. Esai. 53. Ipse dolores nostros & peccata nostra portauit, & in eum posuit pater omnia peccata nostra. Roma. 4. Mortuus est pro peccatis nostris, &c. Igitur quo ad DEVM, sola vnica est satisfactio pro peccatis totius mundi, id est, meritum CHRISTI: & hoc ideò sic ordinauit DEVS, vt conscientia nostra sit certa & fides. Roma. 4. Nam si satisfactio à nostris penderet operibus, nunquàm essemus certi de remissione peccatorum & satisfactione. lex enim semper accusat conscientiam, & iram operatur: ideò satisfactio quæ culpam & pœnam æternam tollit, soli CHRISTO tãquàm propria asscribi debet.

Præterea est adhuc alia satisfactio, qua proximo nostro hic satisfit, sicut est reconciliatio fratris post offensam, Matthęi quinto capite: sic restitutio rerum iniustè ablatarum, sicut Zachæus restituit quadruplum, Lucæ decimonono capite: & promissorum satisfactio: Sit sermo vester, est est, non non. sic externa disciplina, quam Ecclesia ob peccata imponit, sicut olim publicè pœnitentes fecerunt, & Canones septennem pro vno peccato olim exigebant satisfactionem: Et hodiè imponitur disciplina quædam externa peccatoribus post confessionem ieiunandi, orandi, eleemosynam dandi. Hæc externa disciplina, cùm correctioni & pietati Christianæ sit conuenientissima, commendanda & retinenda in Ecclesia potiùs quàm criminanda videtur, vt sit exemplum alijs fidelibus pietatis exercendæ. Et de hac publica & canonica disciplina siue satisfactione multa leguntur in veterum patrum scriptis & historijs. Hieron. de absolutione Fabiolæ, Ambros. cum Theodosio & Cypriano lib. 3. Epist. & Eusebius Ecclesiæ histor. lib. 9. c. 25. Gratianus de pœnitentia distinct. 1. Plurimùm igitur retinenda est hæc disciplina: Vtinàm & hodiè exerceretur cum hæreticis & alijs insolentioribus. meliùs enim haberet Ecclesia: nunc omnes sese excusant, quid nobis cum rigore canonum? CHRISTVS omnia expediuit & satisfecit. Hæc autem externa satisfa-

tisfactio & disciplina non habet eum finem, vt ipsa DEVM sua virtute placare possit, & coram DEO satisfaciat pro peccatis admissis: alioqui CHRISTVS gratis mortuus esset, Galat. 2. Sed multos alios habet fines. Primò præuenit iram DEI & correctionem, sicut fuit disciplina Niniuitarum, Ionæ tertio capite, mitigat pœnas æternas & tollit, primæ Corinthiorum vndecimo capite: Si nosipsos dijudicaremus, id est, corriperemus, non vtiquè dijudicaremur à Domino, &cæt. & Psalm 88 Si dereliquerint filij mei &c. Deindè abscondit occasiones peccatorum: nam oratio fugat Sathanam, & ieiunium luxuriam, eleemosyna auaritiam & vsuram. Galat. 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis nō perficietis. Quartò retinet iustificationem. Romanorum octauo capite, Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et Romanorum sexto capite: Sicut exhibuistis membra vestra seruire &cæt. & illi sunt fructus boni & noui, qui sequi debent necessariò pœnitētiam. Matthæi tertio capite: Facite dignos fructus pœnitentiæ. vbi enim non est coniuncta pœnitentia fidei, id est, bona conscientia & cessatio à peccatis, ibi non retinetur remissio peccatorum, 1. ad Timoth. 1. Habens fidem & conscientiam bonam. In illos fines docetur satisfactio coram proximo, sed hæc non coràm DEO satisfaciunt pro peccatis: hic sola mors & meritum CHRISTI operatur & satisfacit. At dices, nihil ergò merentur fructus pœnitentiæ, oratio, ieiunium, eleemosyna, si non satisfaciunt coram DEO?

RESPON.

Scriptura habet diuites promissiones Euangelij, quæ promittunt remissionem, salutem & Spiritum sanctum credenti solùm propter personam CHRISTI. 1. Iohann. 4. Ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris. Alia est promissio legis, quæ lex promittit præmia in hac & post hanc vitam, Exod. 20. Leuit. 26. Deuteron. 28. ibi sanitas, longa vita, abundantia omnium rerum, pax, amotio pœnarum temporalium, ac varia alia dona & præmia promittuntur obseruatoribus legis. Hebr. 6. Non iniustus est DEVS &cæt. & cùm illa satisfactio seu noui fructus & opera pœnitentiæ pertinent ad legem, ob id etiā sua habet præmia specialia & alia, quàm qualia sunt Euangelij, & in futura vita: differt enī stella à stella, primæ Corinthiorum decimoquinto capite, & vnusquisq; mercedem accipiet secundùm suum laborem &c. Opera igitur nostra sic dicuntur mereri remissionem peccatorum, id est, pœnarum pro peccatis debitarum in hac vita. Sic dicuntur placare & mitigare iram DEI, id est, pœnam quam DEVS statuit infligere in hac vita pro peccatis, vel tollunt aut mitigant: non propria dignitate & efficacia, sed DEVS qui promisit misericordiam propter CHRISTVM, est causa qui mitigat pœnas iuxta illud Psal. 88. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Igitur CHRISTI meritum tollit & mitigat pœnas temporarias & æternas, nostra opera media sunt, non precium, per quæ CHRISTI meritum distribuitur & efficax est. Et quoniam pœna purgatorij etiam ad tempus, & non perpetuò durat, sicut credit Ecclesia: ob id suffragia pro defunctis in purgatorio, media quoquè sunt, non precia aut merita, per quæ DEVS seu misericordia DEI meritum CHRISTI operatur, aut mitigat & tollit. Omnia transferuntur in meritum CHRISTI, & non opus nostrum operatum. Hæc omnia credit Ecclesia propter misericordiam per CHRISTVM promissa.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Pontificij ità vtuntur hoc vocabulo satisfactionis, vt merita humanorum operum ponant in loco meriti CHRISTI, ijsq; asscribant remissionē peccatorum & satisfactionem coram DEO. Nam ideò excogitàrunt bona opera, vota monastistica, opera supererogationis, Missas, balnea animæ, indulgentias, peregrinationes, fraternitates, corollarium, seu rosarium, fundare Missas, vouere abstinentiam aliquot ciborum, seipsum flagellare, in cuculla sepeliri, asperis camisijs indui, &cæt. Hæc & similia opera dicunt esse veros fructus pœnitentiæ, qui iram DEI à nobis auertant, satisfaciant pro nostris peccatis, cùm tamen Deus magis per hæc ad iram prouocetur, &c. Etiam sic docēt illi, quòd CHRISTVS satisfecit solùm pro peccato originali, & quòd sic peccata quę cōmisimus post baptismum, oporteat per pœnitētiam & illius fructus exolui, & pro illis satisfieri: & sic CHRISTVS non ampliùs esset CHRISTVS, id est, Saluator, nisi ad Baptismum vsq;, solùm redemit nos ab originali peccato, & non ab actualibus peccatis post baptismum commissis,

quas

quasi illa oporteat nosipsos bonis nostris operibus expiare, qui error est cótra totum euangelium &c. RESPOND.

Primò dicimus, quòd sicut hæretici in alijs, ità in hoc etiam iniquissimis mendacijs nos onerant, cùm vbiquè vera Catholica Ecclesia credat non vllú, quanuis sanctissimum opus hominis, sed solum vnicú opus propitiatoriú esse in mundo: hoc est Christi passio, & eius sanctissimum meritum, &c. Cùm itaque credamus & doceamus, solam esse vnicam & perfectã coram Deo satisfactióem, 1. Iohan. 2. Ipse est propitiatio nostra &c. Rom. 3. quem cóstituit propitiatoré in sanguine suo &c. quid aliud faciunt hęretici, quàm quod filij Sathanæ, perpetuo mendacio effluentes? Sed Deus suo tempore perdet omnes qui loquuntur mendaciú, Psal. 4. Deindè, omnia opera nostra quæ facimus, illum finem habent, vt aut appræhendant Christi beneficium & meritum, sicut fides & sacramenta, in quibus tanquàm vasis haurimus meritum Christi per fidem: deindè, aut vt retineant appræhensam gratiam & Christi meritum, id est, obedientia legis, oratiões, Missæ, ieiunium, castitas, monastica vota, abstinentia ciborum, &c.

Summa, hæc externa disciplina in nostra persona, & suffragia ad alienas personas, omnia eò tendunt, vt retineatur Christi meritum, satisfactio & gratia Dei, non vt sit precium, vel causa efficiens satisfactionis pro peccatis, aut sunt in laudé Dei, sicut est cultus diuinus in Ecclesia. Philip. 1. Repleti fructibus iustitiæ ad laudem Dei. Prætereà omnes SS. Patres & CHRISTVS ipse & Apostoli, docuerunt castigationem & mortificationem carnis, vt destruatur corpus peccati, Roma. 6. at hæreticorum studium est, vt omnia cedant ad libertatem, eamque carnalem: sic dulcibus sermonibus seducunt corda simplicium, & per venenosa sua mendacia, quæ aduersùs doctrinam nostram fingunt, populum corrumpunt. Sciunt autem, populo mundano placere quas narrant nugas, latam esse viam à CHRISTO stratam ad regnum cælorum. Sed aliter se habet Matt. 7. cùm angustam eam esse ipse Christus dicat, dulcem ac facilem ac momentaneam pœnitentiam sufficere docét. Veterem autem disciplinam irridét, sed quales futuri illi sunt coram DEO, dicentes, pax, vbi nulla est pax: & bonum malum, malum verò bonum, placétia populo &c. Deindè quod aiunt, nos docere, CHRISTVM solum esse dimidium saluatorem, vel vsque ad baptismum, & quo ad dilectionem peccati originalis, &cæt. hæreticum est mendacium. Hebr. 9. Semel introiuit in sancta, & æternam reperit redemptionem. & qui docet septuagiès septiès dimitti debere offensam fratris, Matth. 18. Quomodò ergò ipse tantùm semel dimittit, id est, peccatum originale ante baptismum, cùm tamen iubeat nos quotidiè orare, Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6. si solum peccatum originale dimisit? Quarè per Ezechielem dixit Deus, quotiecunsquè ingemuerit peccator de peccatis suis &cæt. & iterùm, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, si tantùm semel CHRISTVS nobis remisit peccata? Loquantur hæretici suis confratribus Nouatianis, qui negabant gratiam lapsis post baptismum: nos autem scimus & credimus perpetuò durare DEI misericordiam, non solùm ante baptismum, sed post lapsum: nam Idem CHRISTVS heri & hodiè & cràs, id est, saluator, Hebr. 13. & 1. Iohan. 1. Sanguis eius emundabit nos ab omni peccato, non solùm originali, sed & actuali, & Lyra super illud ad Roma. 6. Christus mortuus est &c. semel, inquit, vnica Christi mors sufficit ad tollenda omnia peccata præterita, præsentia & futura &cæt. Matth. 1. Ipse saluabit populú suum à peccatis eorum, à peccatis, inquit, non solùm originali, vel ante baptismum perpetratis, sed etiam post baptismum, ab actualibus &cæt. attamen vt meritum CHRISTI sit efficax, exigitur hic mediú, nempè contritio vera & cessatio: non ipsa media tollunt peccata, sed CHRISTI meritum. Nec hoc verum est, quòd sola fides in sanguinem CHRISTI, sit efficax sinè pœnitentia cordis & cessatione, nemo tamen media æquiparat merito Christi, neque medijs tribuit causam efficientem remissionem peccatorum. Est ergò Ecclesiæ fides, CHRISTVM totum esse saluatorem ante & post baptismum. In paruulis remittuntur sinè actuali pœnitentia omnia peccata: at adultis lapsis quoquè remittit actualia merito suo Christus, sed habentibus media, contritionem & confessionem & dignos fructus pœnitentiæ &c.

Ezec. 18. iuxta LXX.

DE SACRAMENTO ALTARIS. Cap. 44.

b 2 Qui

QVi nunc per Sacramentum pœnitentiæ iterùm est viuificatus in Domino, illi etiam necessarium est, vt per cibum alatur ac constructur, in bono spirituali crescat & proficiat. CHRISTVS instituit hoc sacramentum altaris sub visibili specie panis & vini, quod nobis dat verum corpus & sanguinem Christi.

Secundò conciliat nos cum illo per hûc spiritualem cibum tâquàm capiti & membris sui corporis, 1.Corinth.12. ità vt nos in ipso ad omne bonum educemur & nutriamur, & in possessionem bonorum ipsius veniamus. Iohan. 6. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum: in me manet, & ego in eo.

Tertiò, vt nos cum sanctis & tota Ecclesia in communionem veniamus, & per charitatem adunemur, sicut corporis mēbra sub vno capite CHRISTO, vbi quodlibet alteri seruit & communicat sua dona: sicut ex multis granis vnus panis efficitur, & ex multis racemis vnum vinum profluit: sic nostrorum multi sunt vnus panis & vnum corpus. Nam omnes de vno pane participamus, vt dicit Paulus 1.Corinth.10. Præterea forma verborum, quibus hoc sacramentum consecratur, & sunt illa verba quæ CHRISTVS ipsemet dixit, & dicere præcepit Matth. 26. Hoc est corpus meum. & iterùm, Hic est calix sanguinis mei noui testamenti &cæt. Hic quicunque verbis illis CHRISTI, sicut tenemur, credit: illi dubium esse nullum debet, quin immediatè, cùm illa verba accesserint ad panem & vinum, fiat verum corpus & sanguis CHRISTI, & sic substantia panis & vini commutantur in verum corpus & sanguinem Domini, sicut substantia aquæ in vinum mutata fuit in Cananæis nuptijs, Iohann. 2. Qui autem hoc negat, ille in dubium vocat omnipotentiam DEI, & CHRISTVM mendacem facit, qui dicit, Hoc est corpus meum: non dicit, Est signum vel figura corporis mei. Insupèr admonet Apostolus primæ Corinthiorum vndecimo capite, vt diligenter caueamus, nè indignè sumamus hoc sacramentum in cibo. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium (id est, damnationem) sibi manducat & bibit, eò quòd non diiudicat corpus Domini ab alio pane, id est, sic manducat, quemadmodum alium panem: & propter hoc etiam, id est, indignam manducationem, multi sunt inter vos infirmi & debiles, & multi mortui 1.Cor.11. sunt, id est, subitanea morte vel maturiùs solito. Sumunt autem omnes illi indignè Sacramentum, qui de eo aliter credunt & tenent, quàm Ecclesia Catholica tenet, id est, qui signum & figuram esse docent aut solum corpus & sanguinem, sinè Deitate &cæt. & qui non pœnitent, & sinè contritione accedunt. nam ille vitam debet emendare, qui vitam vult acceptare, dicit Augustinus: quia si vitam non mutàrit, vitam accipit in damnationem seu iudicium, & per vitam magis perit, quàm sanctificatur: magis occiditur, quàm viuificatur. Ideò summoperè laudanda est consuetudo Ecclesiæ, quæ hominem non antè admittit ad sacramentum altaris, quàm sit per sacramentum pœnitentiæ mundatus à peccatis.

Præterea hoc sacramentum habet virtutem confortandi & consolandi nos in bono, & nè desperemus in peccatis, sed fide erigamus conscientiam angustiatam his verbis. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: &, Hic sanguis meus, qui pro vobis & multis effundetur in remissionem peccatorum, Matthæi vigesimosexto capite. Si corpus pro me traditum est CHRISTI, & sanguis eius effusus, quis velit desperare in peccatis? Sic igitur confortat & consolatur nos, sed tūc erit efficax consolatio, si cordè perpenderò hæc verba suprà dicta, & in hunc finem CHRISTVS iussit facere in sui memoria, Lucę vigesimo secūdo capite, & primę Corinthiorum vndecimo capite. Debet autem pręcedere sumptionem sacramenti purgatio peccatorum, more medicorum, qui non dant medicinam quæ confortat, nisi primùm euacuàrint & purgàrint malos humores: & nisi hoc facerent, magis esset medicina nociua infirmo, quàm vtilis. Ex quo patet, quòd remissio peccatorum nō acquiritur per sumptionem sacramenti: antè enim peccator per absolutionem in confessione accipit illam, ideò ad alium effectum accipitur ad retentionem remissionis, & ad vnionem faciendam cum CHRISTO & Ecclesia: sicut enim cibus mortuum hominem non viuificat, nec illi prodest, sed viuo: sic hoc sacramentum præsupponit vitam, id est, fidem, in qua consecrat, vt viuat in æternum, Iohann. 6. Et sicut periculosum est indignè cōmunicare, ità ediuerso plurimùm cōsolationis adfert dignè communicanti: nam mandu-

manducat panem qui de cælo descendit, & qui dat vitam mundo, & accipit homo veram & spiritualem confortatiõem contra omne malum.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Pontificij eò tantùm docent & defendunt sacramentum altaris, quò Missam suãm sacramentalem & abusus tueantur, & lucra ex ijs facere queant: Deindè, quòd docent dignitatem accipiendi sacramentum consistere in purgatione pontificiæ pœnitentiæ, à sacerdotibus impositæ in confessione: error est, & scripturæ ac fidei aduersatur, quia Christũ honore suo priuat, & eius satisfactionem annihilat. Deindè quod põtificij putant, quòd non possit esse sacramentum corporis & sanguinis CHRISTI, nisi fuerit à sacerdote ordinato, aut in altari consecrato in veste sacerdotali &c. administratum, falsum est: nam si sacramentum ex illis nomen suum, virtutem & substantiam acquirit, tunc sacramentum quod Christus dedit, quodq; apostoli eius distribuerunt, aut aliàs apud infirmos aut in carceribus porrigitur, &c. non fuisset verum sacramentum, nam nullum illorum fuit, nec fecerunt vel Christus vel Apostoli.

Præterea, quòd sacramentum ex opere operato dicunt conferre gratiam Dei, salutem & remissionem, error est: nam virtus sacramenti consistit in verbo DEI, ordinatione & mandato, & gratiosa promissione, & fides accipit & appræhendit illam, non autem in operibus humanis vel meritis. hoc enim esset fidem & Dei promissionẽ pro nihilo reputare, si sacramentum ex opere operato sinè fide consolationem dat.

RESPONSIO.

Quòd Ecclesia verum vsum sacramenti negligat, & propria quædam excogitata, idque propter quæstum, retineat in loco eius, apertum est mẽdacium & calũnia hæretica. Præterea quòd dignitatem sumendi hoc sacramentum fundemus super nostram dignitatem, confessionem, cõtritionem, ieiunium, oratiõem & eleemosynam & opera nostra &c. mẽdacium est hæreticum. Nam ab initio docuit Ecclesia, vt communicaturi dicerent: Domine, non sum dignus &c. sed tantùm dic verbum, id est, fac tu me dignum, vt suscipiam corpus tuum sanctum & sanguinem, quia dixisti, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, & sanguis qui effunditur in remissionem peccatorum, Mat. 26. & 8. Non igitur fundamus dignitatem sumptionis super nostram dispositionem, sed Dei præceptum, qui dixit: Accipite & manducate, Matth. 26. & fides respicit ad redemptionem & remissionem peccatorum per mortem Christi acquisitam, & cupit illam, & appræhendit. fides solùm se peccatorem agnoscit, & cupit iuxta verba Christi gratiam & redemptionem ex misericordia, & non propter nostram dignitatem: si enim non deberemus communicare, nisi quandò digni sumus, nunquàm esset communicandum. Præparationes nostræ expediunt, id est, confessio, ieiunium, oratio, &c. Sed non sunt fundamentum acquirendæ gratiæ per sacramentum, sed Dei misericordia, quæ promittit per fidem hanc distribuere: ideò inquit Christus, Hoc facite in meam memoriam, id est, Comedite & bibite. Non tamen excludenda doctrina Apostoli, 1. Corin. 11. qui dicit, Probet seipsum homo, id est, an credat vel nõ credat, an doleat verè pro peccatis, & cessare velit, an etiam velit proximo exhibere charitatem, an relinquere vsuram, fornicationem, ebrietatem, &c. hæc si non adfuerint, tunc fides falsa est, & indigna sumptio sacramenti. Omnia hæc vt essent certiora, Ecclesia ante communionem exigit à communicaturis, non tamen sic, vt hîc consistat dignitas. Deus est qui nos indignos dignos efficit. non indigent sani medico, Matth. 9. Ex quo autem nos semper sumus imperfecti, & manemus tales vsque ad sepulcrum: oportet vt semper communio sacramenti sit tanquàm salutaris medicina, & in fide debet accipi. Deindè ad sacramentum verum consecrandum quædam sunt necessaria, & præcipua, quædam ad ornamentum & deuotionem sacramenti: substantialia sacramenti huius sunt verba Christi, Matt. 26. qui consecrãt panem in corpus, & vinum in sanguinem virtute Christi, in cuius persona hæc dicuntur: Deindè secundùm fidem Ecclesiæ sacerdos consecratus ordinariè & legitimè requiritur, ille est verus dispensator ministeriorum Dei, 1. Ioan. 4. Sinè illis nõ conficitur verum sacramentum, sed manet panis: & qui illum reputant pro corpore & sanguine Christi, idololatriam cõmittunt.

Rursus, sunt quædam ad ornatum & deuotionem instituta à SS. Patribus, quę nihil faciunt ad consecrationem sacramenti, sicut sunt altare, casula, templum, aureus calix, &c. hæc non habuit Christus & apostoli. Verùm postquàm fides Christiana

augmentata est, & ecclesia passim propagat, hæc accidentalia per patres, deuotionis, honoris & ornatûs causa, ordinata sunt à Spiritusancto, qui rector est Ecclesiæ: nam ille author est omnis pietatis & deuotionis & ordinis, hoc nostram adiuuat infirmitatem, hic petit pro nobis, id est, facit nos petere gemitibus inenarrabilibus, Rom. 8. hic orat Deum pro sanctis. At contemnentes pium & religiosum ordinem, aut ex schismate vel ex odio cleri & Papæ, reddituri sunt rationem in die nouissimo, quòd destruxerunt simplicium deuotionem: Atquod isti Sectarij docent, quòd ibi maneat panis & vinũ, quòd non adorandum, quòd nullius momenti sint, quæ ibi decoris causa fiunt, quòd etiam laicus conficere & consecrare possit sacramentum: non opus esse altari consecrato, nec veste sacerdotali, nec campanulis, &c. quam rogo pietatem aut deuotionem populi erga venerabile sacramentum excitabit? nec consecrationem habent, cùm potestas consecrandi sit collata Ecclesiæ: quo iure ergò illa rectè vti possent, cùm in Ecclesia non sint? ait Cyprianus.

Intentio fuit sanctorum patrum, vt ad memoriam passionis Christi corda simplicium in Missa adstantium mouerent per cæremoniales vestes sacerdotis, & alia quæ omnia suum habent finem, &c. Sed omnis deuotionis & pietatis destructores sunt hæretici, quia ablatus est ab illis Spiritussanctus.

Postremò nemo vnquàm docuit, sacramentum ex se sinè vsu dare salutem & cõsolationem: sed si hęc debent fieri, oportet credere, & in fide vti verbis Christi, Hoc est corpus meum &c. nulla enim res, quantumcũquè preciosa & sancta, sinè vsu proderit: quid aurum, quid lapides preciosi extra vsum prosunt, licèt in sua substantia bona sunt? sic nec Iudæis, nec gentibus proderit sacramentum vllum sinè vsu & applicatione fidei, licèt sint res per se preciosissimæ &cæt. hæreticum ergò mendacium est, quo grauãt Ecclesiam semper de opere operato.

CONTRA NEGANTES TRANSSVBSTANTIATIOnem. Cap. 45.

Ecclesia vniuersalis seu Catholica credit & tenet, quòd in prolatione verborum Christi à consecrato sacerdote, substantia panis & vini immutetur totaliter in corpus & sanguinem CHRISTI, vt solùm maneant accidentia, id est, externa forma: & ad hoc mouetur scriptura ac ratione. primò nullus Euangelistarum simpliciter vocat corpus CHRISTI panem: nam Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. dicunt, quia IESVS accepit panem in manus &c. Hoc omnes credimus. sed quod sequitur hic apud Euangelistas, pensandum est, scilicet: Benedixit, gratias egit, fregit, & dedit discipulis, inquiens: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum. Non dixit, Accipite, hic panis sit vobis pro corpore meo, aut sub eius specie est corpus meum. Sed simpliciter dicit, HOC (id est, quod in manu teneo) non est ampliùs panis, sed corpus meum: nam cùm Euangelista dicit, Et accipiens panem, tunc quidem erat adhuc panis: sed cùm daret discipulis, non panem, sed corpus dedit. Igitur post verba consecrationis super panem & vinum, panis cedit & vertitur in corpus CHRISTI, id est, transsubstantiatur penitùs, vt nihil de pane & vino maneat, nisi accidentia, id est, externa forma.

Secundò, ratione hac id credit Ecclesia, nè periculum sit idololatriæ committendæ. nam si panis & vinum maneret, & adoraretur, tunc creatura panis & vini adoraretur, & sic idulolatria committeretur, cùm adoratio soli deitati conueniat: ideò fides quæ adorat, non respicit in accidentia sacramenti, id est, externam formam, sed in deitatem & substantiam Corporis CHRISTI.

Exod. 4. cap. habetur, quòd virga Aaronis fuerit conuersa in colubrum, & vicissim redit in virgam: sed nunquàm fuit simul coluber & virga. sic aqua in vinum fuit versa, sed non simul aqua & vinum fuit, Iohan. 2. sed vinum meliùs, quàm priùs, appositum fuit: Ità hic non simul sunt panis & caro, vinum & sanguis. si enim caro est, vt ipsi Luterani concedunt, diuina caro est: sed diuina caro est incorruptibilis, panis autem est corruptibilis, & per secessũ vadit: oportet igitur, vt vel duas substantias simul accipiant, id est, diuinam ac elementarem, incorpoream & corpoream, sanguinem CHRISTI & vinum, atque sic quatuor species communicant: quod eñ nos videmus & tangimus in sacramento consecrato, accidentia sunt sacramenti, corruptibilis eñ oculus & manus nõ potest videre & tãgere incorruptibile, id est, Deitatem: multò minùs mus potest rodere

dere Sacramentum rem incorruptibilem, sed accidentia potest, id est, externã formam corruptibilem, non rem sacramentalem. Oportet autem ante oĩa fidem huc adferre, & firmiter cum Ecclesia credere, quòd sic est. non enim ex intellectu vllo humano hęc perscrutari psũt. Vndè piè canit ecclesia, Pręstet fides supplemẽtum sensuum defectui, &. Ad confirmandum cor syncerum sola fides sufficit.

Pręterea, si panis & vinum simul manerẽt cum sanguine & corpore Christi, tunc non esset aliter corpus Christi in Sacramento, quàm erat in ianua, Ioan. 20. vel è saxo sepulcri egrediens, aut vtero virginis: & si hoc staret, possem dicere, Hic murus, lapis, ianua & vterus virginis, est corpus CHRISTI. sed quid absurdius? Sic idem est dicere, Hic panis est corpus Christi, & Hoc vinum est sanguis Christi. non enim lapis sepulcri, qui corpus Christi in se clausum tenuit, vel vterus virginis transsubstantiatus fuit in corpus CHRISTI, licèt ex eo egressum sit CHRISTI corpus: at panis hic transsubstantiatur in corpus Domini, ità vt non sint simul panis & corpus. Sed peperit hæc falsa opinio Berengarij alteram Vuicleficam de signo & figura sacramenti. Quòd autem Paulus vocat panem, primæ Corinthiorum decimo, Panis quem frangimus &cæt. hoc fecit ea ratione nè Corinthij, qui in fide nondũm plenè fundati erant, abhorrerent manducare corpus CHRISTI & sanguinem eius bibere, sicut Caparnaitæ Iohannis sexto capite, qui dicebant, Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Quomodò ille potest nobis carnem suam dare ad edendum? ibi dicit CHRISTVS, Ego sum panis vitæ, & si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum. Sed nisi de pane transsubstantiato loqueretur, non dixisset, Nisi ederitis carnem filij hominis, non habebitis vitam, &cæt. & Caro mea verè est cibus &cæt. Sed neque Paulus dixit simul, Hic panis & corpus Domini quem frangimus, mox autem expressiùs dicit, primę Corinthiorum vndecimo, non dijudicans corpus Domini &c. Temperat igitur in prioribus verbis, & panem vocat, eò quòd ex pane consecratur corpus Domini, non quòd panis maneat: ideò pòst simpliciter dicit, Non dijudicans corpus Domini.

1. Co. 10.

Transsubstantiatur igitur verissimè panis in corpus Domini, vt vna sit substantia: alioquì duæ aut tres substantiæ erunt sub vno accidente. Primò enim manet substantia panis. Secundò est hic quoquè substantia corporis CHRISTI veraciter. Tertiò substaotia Deitatis: & sic multa inconuenientia consequerentur. igitur fides sit firma, est & manet vna substantia, id est, corpus Domini. panis autem & vini substantia vertitur in illud. ideò solummodò est ibi CHRISTI corpus & sanguis, & non simul panis & vinum: & vbi est caro & sanguis CHRISTI, ibi diuinitas quoquè est, iuxta regulam Damasceni, Verbum quod semel assumpsit &cæt. Hanc fidem confirmat Lateranense concilium, in quo fuerunt mille trecenti & quindecim Patres ob huius veritatis declarationem, & generali voto conclusum est, ibi non remanere substantiam panis & vini, sed diuina omnipotentia hæc transsubstantiari in corpus & sanguinem CHRISTI. Quid si hæretici negabunt hoc Concilium & fidem hanc Ecclesiæ? Idem ac perindè est, àc si Iudæi & Gentes etiam non credunt quod tota Ecclesia credit. Nunquid ideò Ecclesia falsa credit? Sic quoquè hęretici reputandi sunt tanquàm ethnici & Iudæi: nos habemus scripturam & rationem.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Pontificij tantùm in eum finem finxerunt transsubstãtiationem, quatenus possent circunferre & adorare Sacramentum: nam Dominus in cœna non solùm formam panis & vini, sed substantialem, verum, & naturalem panem & vinum in manũ accepit, & fregit, & dedit discipulis suis: Similiter posteà & Apostoli fecerunt. Et Christus innuit, panem illum, quem fregit, esse corpus suum, & vinum sanguinem &c. Sicut etiam Paulus nominat panem, 1. Corinth. 10. Deindè sapor panis & vini remanet, &c. non est ergò nisi acuta inuentio Pontificiorum. Deindè licèt Papa Hildebrãdus qui nominatur Gregorius septimus, sic in Concilio concluserit, tamen Papa non habet authoritatem faciendi articulos fidei, aut aliquid concludendi, quod est contra verbum Dei, vel quod controuersiam excitat in Ecclesia, sicut sunt etiam aliæ quæstiones, an mures aut tineæ in kibotio seu monstrantijs rodant solùm accidentia, & non subiectum, & si è calice quid in terram fundatur, an accidens vel sanguis effundatur, &c. & eiusmodi inutiles quæstiones alias.

alium atque alium, sed vnum eundemq; Deum & hominem Dei filium confitebr. Deniquè si hominem, id est, Christi carnem, sanguinem, animam separaueris à Deitate, vt faciunt hæretici, Photinus, Arrius, Samosatenus, qui Christum solum hominem profitentur, in hanc humanitatē nec ei credo, nec ei seruio, & multo minùs adoro, velut si quis coronam regis eo honore quo ipsum regem velit dignari: sic in Christo non solam aut nudam humanitatem, sed Deitati inseparabiliter vnitam naturam, vnum & verum Dei filium, & Deum verum & hominem verum, qui adorare contempserit, æternam mortis pœnam incurret. Idem Augustinus in Psal. 98. Scriptura dicit, Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: at in alio loco dicit scriptura, Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est: ergò terram debeo adorare, cur scriptura dicit Deut. 6. Dominum Deum tuum adorabis? ad Christum me conuerto, & ibi inuenio quomodò sinè impietate adoretur terra: suscepit CHRISTVS de terra terram, quia caro eius de terra est. nam de carne Mariæ carnem suscepit, & quia in ipsa carne hic ambulauit, manducandam quoque nobis dedit in cœna ad salutem. Nemo autem illam carnem manducat, nisi primùm adorauerit: ergò non terram ipsam intuemur, sed illum sanctum, id est, DEVM cuius scabellum est quod adoras, propter ipsum adoras, id est, Deitatem CHRISTI, ideò Propheta dicit, Adorate scabellum pedum eius, id est,
Psal. 98. CHRISTI humanitatem, quoniam sanctum est, id est, DEVS qui ad se accepit scabellum terram, id est, humanam naturam, ideò non solùm non peccamus adorando Sacramentum, sed peccamus non adorando. Huic sententiæ suffragantur omnium SS. Patrum testimonia: & quoniam hîc est in Sacramento non solùm corpus & sanguis & anima CHRISTI, sed etiam diuinitas: ideò propter eandem diuinitatem adoramus Sacramētum, portamus in processionibus, & conseruamus in Cibotijs seu monstrautijs, & eandem quam Deo debemus, reuerentiam illi facimus. Vndè augmentata est deuotio fidelium in memoriam amarissimæ passionis Christi, &c.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Cùm nullo modo in sacramento panis transmutetur in corpus Domini, nec substantia vini, igitur Pontificij adorantes panem, idololatriam committunt, idque quotiès circunferunt & includunt in loculo sacro. Non dixit DEVS, Adorate, monstrate, circunferte: sed, Accipite & comedite, Matthæi vigesimo sexto. Deindè cùm Christus dixerit hæc verba, Hoc est corpus meum, non aliter quàm illa ipsius verba, Ego sum vitis vera, Iohan. 15. Pastor, ostium, leo, lapis angularis, &c. id est, similitudinariè, nō quòd reuerà esset in substantia talis, vitis, ostium, lapis, &cæt. hoc esse non potest, vt realiter id existat, ideò & illud est figura & signum corporis & sanguinis Christi, nempè panis & vinum, non realiter ipsum corpus Christi? ergò qui hunc panem adorant, decipiuntur, & idololatriam committunt.

RESPOND.

Primò iudaizant hæretici, qui dicunt nos idololatras esse, si CHRISTVM adoramus: ità enim Iulianus apostata blasphemauit, cùm dixit, Christiani adorant baptizatum & mortuum Iudæum, &cæt. At nos non adoramus panem, sed verum corpus & sanguinem eius atque animam Christi cum adiuncta diuinitate, in quæ panis conuersus est, virtute verborum Christi & Dei virtute. Nam Christus dicit, Hoc est corpus meum: Panis ergò cōuersus in corpus & sanguinem CHRISTI, quem concomitatur ipsa diuinitas, hæc adoratur, non panis. Quia autem Luterani negant adorationem corporis CHRISTI, manifestè se produnt, quòd sicut Arriani non credant diuinitatē Christi, & solum corpus, sanguinem & animam eius, ibi esse imaginantur. cùm itaque Christiani Catholici nollent ab Arrianis sacramentum suscipere, quia negabant diuinitatem, multas persecutiones & tyrannidem ab Arrianis perpessi sunt, vt testatur Histor. Tripart. Porrò si quis verbis CHRISTI non credit, numerandus est inter ethnicos, Matth. 18. nam dicit, Hoc est corpus meum: non (inquit) figura, signum, vel similitudo, etsi enim alia sit parabolicè locutus, tamen hæc loquens, cùm extremæ suæ voluntatis testamentum conderet, non parabolicè, sed rei veritatem & seriò locutus est: cùm enim quis in extremo testamentum suum çondit, seriò loquitur, non similitudinariè. Reclament igitur ac derideant hæretici, quantum veliut: Ecclesia vniuersalis iam ab annis plùs mille, sic credidit vsque in hodiernum diem

diem in Sacramento esse realiter verum Christi corpus & sanguinem: & vbi corpus Christi verum est, ibi adesse Deitatem ex concomitantia: & vbi Deitas, ibi etiam adoratio, Deut. 6.

AN HOC SACRAMENTVM EXTRA SVMPTIONEM SIT Sacramentum. Cap. 47.

PRimò notandum, quòd fides Catholica ab initio credidit, q̃ post consecrationem quę fit per verba Christi à sacerdote sub specie panis sit verum corpus Christi, & sub specie vini verus Christi sanguis: & sic manet sub istis speciebus verum Christi corpus & sanguis donec consumitur. nam verbum Dei semel prolatum super creaturam à legitimo sacerdote consecrante, semper & perpetuò manet, & non perit: nisi cótingat, vt verbo Dei contraueniat, & aliud iubeatur: quòd enim verbum Dei nó fallit, nec perit, probatur, Gen. 1. dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux. & adhuc hodiè est lux. Sic dixit, Crescite & multiplicamini. Hoc factũ & fit adhuc. Sic Psal. 32. Verbo Dñi cæli firmati seu facti sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. & ibidèm: Quoniã ipse dixit, & facta sunt, &c. Sic omnes creaturæ conseruantur per verbum Dei. Sic Apostolus ait Hebr. 1. Omnia portans verbo virtutis suæ: sic sol & luna adhuc sunt in diem & lucem, sicut Deus dixerat semel. ideò Esaias 40. ait: Verbum Domini manet in æternum. Deindè, tunc verbum Domini cessare dicitur, quandò contraitur aut venitur verbo Dei, & aliud à Deo iubetur, sicut factum fuit tempore Iosuæ & Ezechiæ, Ios. 10. vbi sol non tenuit cursum suum occidentalem, sicut naturam ei dederat Deus, sed stetit, iubente id Deo. Sic Exod. 4. dicitur Mosi: Proijce baculum tuum in terram. & proiecit, & versus est in colubrũ, ità vt fugeret Moses, & virga illa mansisset coluber, si non alio verbo Deus contrauenisset priori verbo, & iussisset vt iterum fieret lignea virga &cæt. Sic ignis ex natura sua vrendi, quam ei Deus dedit, combussisset Danielem & tres pueros, nisi Deus verbo suo contrauenisset, & aliter ordinâsset: quicquid igitur verbo Dei semel est ordinatum & creatum, sic persistit, & non fallit, id quod patet in omnibus creaturis à Deo creatis. nam verba mea (inquit Christus) non transibunt, Luc. 21. Cùm igitur in altari sacerdos verba Dei in persona Christi ex iussu illius profert, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, Matth. 26. Cùm hæc verba dicuntur ex æquo super omnes particulas in altari præsentes, & super totum calicem & vinum vnico hoc verbo, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, &c. & id virtute diuina, quæ transmutat illas species in corpus & sanguinem Christi, ergò virtus illorum verborum manet tam diù in illis speciebus, quæ continent verum Christi corpus & sanguinem donec consumatur, aut verò per aliud verbum Dei contraueniens tollitur & cassatur: Sed quandò nullum tale verbum Dei dari possit, quod tollat vel contraueniat virtuti verborum priorum, quæ prolata sunt super panem & vinum, ideò manet semper efficax verbum Dei semel prolatum, id est, manet corpus Domini donec consumatur: nam aliud est verbum hominis, aliud verbum Dei. Verbum hominis trãsit & cessat postquàm prolatũ est, sed verbum Domini manet in æternum, id est, virtus eius & efficacia. Magìs igitur miror hæreticos, quòd tam gloriosè semper iactitant verbum Dei, & in manicis, immò in vexillis militaribus pingunt, Verbum Domini manet in æternum: & tamen eius virtuti tam parùm tribuunt, quòd dicunt nullius valoris esse ampliùs verba illa Dei prolata, nisi sumatur Sacramentum, & ideò effundunt retro altare reliquias calicis, aut comedunt particulas vel de nouo consecrant: quæ est opinio omninò carnalis, & nullo modo potest probari ex scriptura. Prætereà, ex quo verbum Dei non fallit, sed constat sibi vsque ad reuocationem per aliud verbum Dei, & nos credimus post consecrationem ibi esse verum Dei verbum, & durare & retinere sub istis speciebus verum Christi corpus & sanguinem, deindè credimus in sacramento corporis etiam esse diuinitaté, id est, totum Christum, corpus, sanguinem, animam, deitatem, &c. quæ cohærent in Christo inseparabiliter, & Christus non solùm homo, sed etiam Deus sit: ideò credimus etiam extra vsum, id est, manducationem & potationem sub istis speciebus esse verũ corpus Christi & sanguinem, & sub qualibet eorum totũ Christum: & hoc ex virtute verborum super panem & vinum prolatorum: ideò retinemus etiam extra vsum Sacramentum in Cibo-

Cibotijs, adoramus Deitatem, exhibemus reuerentiam in processionibus, scientes & credentes verbum Dei semel prolatũ semper durare, & vbiquè tam in vsu quàm extra vsum, esse pręsens corpus Christi & sanguinem, animã, deitatem, &c. hæc est fides Catholica, & hæc etiam habet testimoniũ veteris Ecclesię omniũ doctorũ & praxim Ecclesiæ, quòd sacramentũ sit transportatũ, monstratũ, & retẽtum in vasis: id quòd omnium templorũ in toto Christianismo ædificationes indicant: nulla est enim Ecclesia tam antiqua, in qua nõ videatur Sacer loculus seu repositoruim sacramentariũ. Et indè sequeretur, quòd omẽs nostri maiores & omniũ Ecclesiarũ fundatores & ædificatores, idololatriã cõmiserunt ab annis plùs mille, qui nudo pani eam, quæ Deitati debetur, reuerentiã exhibuerunt, & pro vero corpore Christi adorârũt: soli autẽ hęretici, Zuinglius, Luter, Caluinus, &c. rectè sapuerunt. quod quicuuq; affirmat, nę ille impudẽtissimus & blasphemus sit oportet, qui venerãdã Ecclesię antiquitatẽ & communẽ fidem tãti erroris ac sceleris labe adspergit. At instant latiùs hæretici, dicentes: Christus simpliciter dixit Matt. 26. Accipite & manducate & bibite: nõ dixit, includite, reseruate, circunferte.

RESPON. Etiã non dixit, Videtę hoc corpus meũ, & tamẽ nullus eorum clausis oculis accepit: an nõ & ipsi portant sacramentum per vnũ aut tria milliaria ad infirmos colonos? id quod etiam apud veteres in vsu fuit: sic quoquè apud Catholicos sacramentũ in deuota & solẽni processione cũ canticis in laudẽ & gloriã Dei, ad breue tempus circunfertur, sed tamẽ mox sequitur cõmunio eiusdẽ per Sacerdotem Missam celebrantẽ, & sic finem & vsum suum sortitur. Et licèt Christus nõ dixerit, Portate aut circũferte, vbì verò prohibuit nè fiat? Scimus enim hoc sacramentũ cõsistere in vsu & actu, sicut baptismũ & alia, tamen quia Deus in veteri testamento iussit reseruari Manna, quod figura fuit huius sacramenti, ad memoriam miraculi & liberationem filiorum Israel, quos tam potenter Deus ex Aegypto eduxerat, & liberârat à Pharaone Exod. 14. quarè non etiam viuum hunc panẽ, qui de cælo descendit, Ioan. 6. id est, venerabile corpus & sanguinẽ Christi, quod verũ est Manna, in sacrario reseruabimus aliquandiù, circunferemus, & ad memoriã tantorum beneficiorũ Dei, quæ fecit nobis per Christum, ostẽdemus pijs fidelibus? & quarè fit eleuatio Sacramẽti in altari iam à primitiua Ecclesia, immò etiam apud Confessionistas sectarios in vsu est, nisi vt monstretur & adoretur à populo? Prætereà doceãt aduersarij, quàm diù sit efficax verbũ Dei, quod Sacerdos in persona & authoritate ac iussu Christi profert super baptizandũ, scilicet: Baptizo te in nomine patris etc. si solùm efficacia sunt illa verba in vsu & actu eius sacramẽti, id est, dũ baptizatur catechumenus: ergò solùm erit Christianus in actu sacramẽti. Sin aũt sunt efficacia, & durant per totam vitã eius qui baptizatur, ità vt semel baptizatus semper sit & dicatur baptizatus Christianus, cur etiã verba super vinũ & panẽ prolata, sunt efficacia, quãdiù species sacramẽti durant, cùm verbũ Dñi semper maneat? Porrò habet hic mos Ecclesiæ Catholicę testimoniũ veteris Ecclesiæ, sicut testatur Hieron. in epist. ad Rusticũ monachũ, scribẽs de Exuperio episcopo ciuitatis Tolosæ, quod hic omĩa sua bona tradiderit pauperibus, & in hoc solùm diues, quia portabat secum corpus Domini in sporta viminea, & sanguinẽ in vitro. Item Eusebius lib. 6. Tripartit. historię cap. 14. dicit, quomodò Serapion in Alexandria ciuitate ægrotus lectulo decubuit, & cùm per triduũ mutus iacuisset, tandèm vocauit filiã suã, inquiẽs: Vsquequò me detinetis? rogo vt mittatis quis ad sacerdotẽ, qui cũ Eucharistia veniat, vt liberatus transeã: mittitur puer ad sacerdotẽ, sed cùm sacerdos ipse ęgrotaret, nec venire posset, dedit adolescẽti particulã de Eucharistia, & mãdauit adolescẽti, vt in potũ daret infirmo: & cùm venisset adolescens, inquit Serapion: Fili mi, quia sacerdos venire nõ potest, fac tu ergò quod tibi sacerdos mandauit, vt possim mori, & exire ex hoc mundo: & cùm hoc fecisset, statim fuit mortuus &c. Eccè hìc quoquè portatũ fuit Sacramentũ Eucharistię. S. Ambrosius in oratione lugubri de morte fratris sui scribit, quòd Satyrus frater suus Eucharistiã in collo portârit, & in orario habuit, & cùm naufragiũ pateret, euasit omẽ periculũ: cõmendat igitur Ambrosius, & nõ culpat hãc portationẽ Eucharistię: Nos igitur qui credimus ibì esse verũ corpus & sanguinẽ atq; diuinitatẽ, non frustum panis, nec diuidimus sanguinẽ à corpore Christi in hostia, nec corpus in calice, iuxta doctrinã Apostoli Rom. 6. Christus ampliùs nõ moritur, ergò impossibile est, sanguinem esse separatum, & viuere corpus sinè sanguine: ob id nullam patimur nec credimus diuisionẽ, ob id honoramus vbiquè sacramẽ-

tum

tum orationibus, processionibus, genuflexionibus, portamus & monstramus, quandò nullibi legitur inhibitú. Deindè tametsi verum est quòd sacraméta si in alium vsum fuerint vsurpata, quàm in quem erãt instituta, sicut verbum Dei nó est institutum, si extra intellectum trahitur, quem habet Ecclesia ab hæreticis, attamen quia Eucharistia non solùm instituta est ad manducandum & bibendum, sed etiam propter memoriam habendam passionis Christi, & hæc totiès renouatur & excitatur, quotiès sacramentú conspicitur, ideò non est contra institutionem Christi, processio & deportatio & reseruatio in cibotio. Nec est simile de Baptismo, qui extra vsum solum est eleméntum: aqua baptismi non est corpus aut sanguis Christi, &c. & hoc quidem verum, quòd sacramentum extra vsum non prodest, nec baptismus, nec eucharistia, sed quandò sumuntur: at ex hoc non sequitur, quòd extra vsum nó sit sacramentum eucharistiæ: nam esse & prodesse, differunt: quin hoc etiam, dum circunfertur, monstratur & adoratur, est in vsu spiritualiter.

AN CORPVS CHRISTI, DEBEAT OSTENDI, circunferri, & reseruari. Caput 48.

CAlumniantur sectarij Catholicos, quòd sacramentú eleuant, ostendunt, & circunferunt in processionibus, & reseruant in sacrario: id autem arguit, quales in fundamento sint, nempè maiori ex parte sacramentarij, qui solùm credunt hîc frustum esse panis, & non esse hîc verum corpus Christi realiter: sathanas enim eos sic fascinauit, vt non credant ipsi Christo, dicenti: Hoc est corpus meum.

Altera causa est, quòd ex inuidia Catholicorum & Papæ hoc faciunt, sicut fatetur hæresiarcha ipsorum in quodã scripto: Si Papa vellet statuere vtranque speciem communicandam esse, tunc ipse vellet præcipere vnam esse communicandam &c. Deindè aiunt Christum non dixisse in cœna, Hoc corpus meum circunferte, ostendite, reseruate: sed, manducate & bibite. Sed sicut dicit Apostolus Roman. 3. Nunquid incredulitas Iudæorum euacuat fidem nostram? Absit, sic nunquid quia sacramentarij non credunt esse in sacramento verum Christi corpus & sanguinẽ, animam ac Deitatem, ob id nos falsò hoc credimus? Absit. Est enim Deus verax, qui dixit, Hoc est corpus meum: omnis autem homo, quatenùs ex proprijs loquitur, mẽdax est, siue sit Zuinglianus, negans præsentiam esse corporis Christi: siue Lutera-nus, negans Deitatem, & dicens esse panẽ simul & corpus Domini. Nos cum Ecclesia dicimus, & cum S. Thoma Apostolo ad Christi corpus: Dominus meus & Deus meus. Nam idem corpus & sanguis, quem habuit Christus post resurrectionem, eademq; Deitas, quæ ipsius humanitati erat adiuncta, nec vnquàm recessit vel ab anima, vel à corpore Christi, etiam per triduum in sepulcro hoc idem corpus credimus esse in sacraméto cum vero sanguine, & anima & Deitate. Sunt autem eiusdem damnationis Sacramentarij & Lutera-ni: sunt enim ignominiosi in corpus omini, detrahentes verbis omnipotentis Dei, & fures, ac prophanatores. Quòd autem Christi corpus ostenditur populo in Missa & in monstrantia, hoc fit, vt excitetur memoria Christi passionis pro nobis factæ: & sic adstantes in Missa cùm vident eleuationem ac monstrationem corporis Domini, si qui non sunt dispositi ad communicandum, tamen videndo, adorando, & commemorando spiritualiter communicare dicuntur, sicut vsu venit, quandò aliqui sunt in loco summi periculi constituti, vndè, vt mortem euadant, nulla ope eripi possunt, tunc illis monstratur venerabile corpus Domini, vt ante obitum suum quasi communicent in fide & spiritu. Nam & idem corpus in cruce nudum pependit, Matth. 26. & Iohan. 6. ait, Qui videt filium, & credit in eum, habebit vitam æternam: & Simeon hoc corpus in vlnas accepit, & cantauit, Quia viderunt oculi mei salutare tuum &c. Prætereà probent aduersarij, quòd solùm ob memoriã passionis debeat manducari & bibi, & quòd non possimus aliter habere & facere commemorationem passionis Christi: an non, dum videtur Sacramentum, etiam potest fieri memoria passionis, sicut etiam per ligneum crucifixum fit memoria eius? Probent, inquam, an hæc commemoratio solùm ligata sit ad comestionem & potationem: an non in priuata meditatione hoc possunt, qui sunt incarcerati aut sub Turca, aut ita infirmi, vt non queant communicare realiter, an non spiritualiter communicant? cùm etiam Augustinus dicit, nos per fidem posse manducarẽ, & memoriam

riū passionis eius habere, cùm inqt, crede, & manducâsti. Et cùm Christus lineret se gestari in vlnis Simeonis, ibì fuit verū corpus, sanguis, anima, Deitas Christi: quarè nō etiam ecclesia in festo corporis & sanguinis Christi laudet ac prędicet hoc opus dilectionis, quòd Christus sese nobis dedit, & dat cum corpore, anima & Deitate? aut singulis certè diebus, quandò nihil sacratius ac præstātius in ecclesia habemus, quàm hoc opus passiōis Christi pro nobis factæ, ideò nō possumus sufficienter Deo agere laudes & reuerentiam facere, quàm si publicè cum omī deuotione & solennitate portamus & monstramus venerabile sacramentū Domini. sed aiunt, Deus non sinit se circunferri: quid verò? an nō Christus Deus & homo portatus fuit in nauicula, Matt. 8? An non Deus portatus in vlnis Simeonis? cur ergò non possit & hodiè in mystico sacramento Deitas portari? At instant rursus, hęc non essent necessaria vt circunferatur, reseruetur, portetur, &c. si in domibus statìm consecrarent & darent infirmis &c. Ecclesia nostra scit hunc ritū frequentari à Vualdensibus: sed communis ordo Ecclesiæ tenet, quòd cōsecrationes, precatiōes & administratiōes debeāt fieri in tēplo sacro coram populo publicè. Sic Dauid ait, Adorabo in templo sancto eius. & Iohan. 2. Christus ait, Domus mea dom⁹ orationis &c. licèt in necessitatis casu dispensari aliter queat. Hoc autē Ecclesia statuit non sinè causa, nempè propter sectas & hæreticos, qui aliena forma & ritu vtuntur in dispensandis sacramentis, & quilibet suo modo cœnam Domini celebrat, nec sunt ordinariè vocati aut consecrati. debemus igitur attēdere à falsis prophetis. Habent quoquè non vnā & æqualem fidem circa sacramenta hæretici, sed alius aliter atq; aliter credit & docet. Ideò conuenientius est, vt consecratio & administratio sacramētorum publicè in Ecclesia fiat, propter maiorem honorem & deuotionem habendam circa sacramēta, &c.

QVID SIT COMMVNICARE CORPVS ET SANGVINEM Christi. Cap. 49.

PRimò sciendum quòd cōmunicare est aliud nihil, nisi amissam communionem cum Christo & Christianorum societate de nouo accipere, & in eam intrare, sicut infirmus accipit de nouo amissam sanitatē per medium medicinę. Nam licèt semel in Baptismo incorporamur Christo, & membrum illius efficimur, Rom. 6. quotquot baptizati estis, Christum induistis: quoniam tamen Sathanas nō cessat impugnare nos, quotidiè circumiens & quærens quem deuoret, 1. Pet. 1. Omnes enim laqueos disponit, vt nos iterùm per peccata fœda & mortalia priuet communione illa Christi, quam in Baptismo acceperamus. Ideò fit, quoniam fragiles sumus, vt sæpè in grauia peccata incidamus: atq; sic amittimus communionem Christi & Ecclesię, & mundus, caro & sathanas ad hoc plurimùm iuuant. Rom. 8. Si secūdùm carnem vixeritis, moriemini &c. Illa verò communio est duplicium bonorum, nempè Christi & Ecclesiæ, id est, omnium fideliū mēbrorum corporis Christi per totū mundū: diuitię seu bona Christi, sunt satisfactio, redēptio, meritum sanguinis, iustitia, preciū, iustificatio, intercessio & aduocatio ipsius pro nobis, &c. hæc omīa habet Christus: cùm ergò in baptismo datur homini Christus, & homo illū induit, Rom. 13. sic etiam omnia donantur in Christo & cum Christo. Ro. 8. qui dedit filium, quomodò nō omnia cū filio? & hìc fit gratuita cōmutatio, ità vt Christi bona efficiātur mea per fidē, & mea peccata Christi, & fit spirituale coniugiū, vbì sunt omnia communia. Oseæ 13. Sponsabo te mihi per fidem. Quandiù ergò perseuerauero in fide & obediētia diuinorū præceptorū, nè committam manifesta peccata contra legē Dei Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, &c. tamdiù est efficax Christi passio in me, sed postquàm pecco, statìm amitto efficaciā & virtutē saluberrimæ passionis Christi & spiritūsanctum, fidē & salutē. 1. Ioh. 3. qui peccat, ex diabolo est, id est, partem habet cum sathana, & manet in obstinatione & damnatione perpetua. qui igitur non peccat, filius Dei est, & cum illo partem habebit, hoc est, communicabit & participabit omīa bona fratris sui Christi. Nam Rom. 8. hæredes Dei, cohęredes autem Christi sumus. Altera verò est communio bonorū & sanctorū Ecclesię per orbem terrarum, nempè orationū, sicut docuit nos Christ⁹ orare in plurali, Matth. 6. in qua oratione omnes petitiones fiunt quotidiè pro tota Ecclesia, Dimitte nobis, Nè nos inducas, Sed libera nos &c. & ità est communicatio omnium orationū, bonorum, diuitiarum & sanctarū rerum per totum orbem, quibus ego non minùs quàm Cæsar consolor

& fruor ad retentionē iustificationis: ideò petit Dauid Psal. 118. Particeps sum ego omniū timentium te. Hæc est illa in symbolo communio sanctorum, sicut in vno pane multa grana, & multæ vuæ in vno vino conueniunt, & alter alteri suam cōmunicat farinam & vinum, & fit vna communio & permutatio spiritualiū rerū. Quandiù ergò sinè peccato mortali erimus, tam diù efficax est in nobis thesaurus Ecclesię, id est, orationum, supplicationū & intercessionū omnium ac operum bonorū, sacramentorū, remissionis peccatorū, oblationū pro viuis & defunctis, quæ fiunt per totū mundum. Vniuersali enim modo fiunt, totam Ecclesiam cōplectendo: ità alter pro altero orat, membrū pro membro, donec perueniamus ad futurā gloriā oēs. Sed q̄ primùm peccauerimus cōtra fidem, conscientiā & legē Dei, tunc amittimus illam salutarē communionē Ecclesiæ, id est, participationē oīm bonorum Ecclesiæ ac Christifideliū. Hęretici verò, & impœnitētes, & criminosi, segregati & exclusi sunt ab hac cōmunione: amissa aūt vna cōmunione, id est, Christi, amittitur & altera, id est, Ecclesię: & sic extra Ecclesiam non est sal⁹, hoc est intelligendū, extra cōmunionē Christi & Ecclesię nullā esse salutē, quia talis est excōmunicat⁹, id est, extra cōmunionē posit⁹ per se ipsum: id quod est grauissimū periculum animæ, quia talis nunq̄ saluabitur. Dicitur ergò cōmunio Christi & Ecclesiæ, id est, capitis & membrorū: nā sicut caput influit in omnia mēbra corporis, & suam sanitatē, prudentiam communicat omnibus mēbris, & eisdē seruit, & in illis viuit, & per illa operatur, & vicissim membrū aliud iuuat, aliud cōmunicat, & seruit: nō enim dicit oculus manui, nō indigeo tuî, &c. 1. Cor. 2. ità est etiā spiritualis cōmunio Christi & Ecclesiæ, id est, mēbrorū Ecclesię: nō per illam communionē alter alteri seruit, quàm diù sunt in corpore, nō abscisi per hæresim, nec per impœnitentiam aridi & putrefacti: est enī vtriusq; tam Christi seu capitis quàm mēbrorū efficax communio adinuicèm, & vicissìm membrorū inuicèm ad membra. Ad hoc ergò attēdere oportet, quòd Christus habet adhuc aliud corpus, nēpe mysticū, id est, cōgregatio omnium fideliū, Ecclesia vniuersalis & Catholica, & huius ipse est caput, Col. 1. Eph. 1. Dedit ipsum caput Ecclesię, 1. Cor. 12. Nos ergò omēs, qui credimus & piè viuimus, sumus mēbra spiritualia corporis Christi mystici, & cohęremus & adunimur in ipso sicut mēbra cum capite, & sicut omnia quæ habet caput, eadē illa habet etiā manus, oculus, pes, &c. & è diuersò quicquid pes, manus, oculus habet, hoc etiam caput habet, &c. Sicut vitis cōmunicat oīa sua palmitibus, Ioh. 15. ità Christus caput cōmunicat oīa sua membris suis, & mēbra membris cooperantur & seruiunt inuicèm, & communicāt. quoniam igitur sunt variæ tentationes per omnem vitā, nam septiès in die cadit iustus, & resurgit. Nè igitur homo desperet Pro. 24. in peccatis suis, promisit Deus veniā propter filiū suum Christum, Marc. 1. Pœnitemini, & credite Euangelio, &c. & vt simus certiores de remissiōe illa, instituit sacramentum hoc corporis & sanguinis sui, & consolatur & præcipit, vt accipiamus, comedamus, & bibamus, Matth. 26. & sicut cibus naturalis recipitur in conseruationē corporis & vitæ nostræ, ità spiritualiter per comestionem Sacramēti illius conseruamur in communione bonorū ac beneficiorū Christi: & sicut homo fame & inedia confectus, reficitur & confortatur cibo & potu naturali, sic peccator qui per crimina seipsum excōmunicauit à cōmunione bonorū Christi & Ecclesiæ, eisdē iterùm restituit & reficitur. Et hæc est fundamētalis ratio, cur communicamus, nempè vt rursus accipiamus & intremus in communionem quam amiseramus, bonorū Christi, & precationum, intercessionum, ac bonorum operū totius Ecclesiæ. Et sic sacramentū Eucharistiæ dicitur sacramentum consolationis, quòd donat peccatori cōsolationem, quòd iterùm sit receptus in membrum corporis & bonorum Christi & Ecclesiæ, & certificatur, quòd iterùm factus est membrum Ecclesiæ. Et hoc etiā certò credere debes, & non dubitare: qui enim dubitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circunfertur, Iacob. 1. Non ergò existimet homo ille q̄ aliquid accipiat à Deo, q̄diu dubitat, &c. ideò post cōmunionem debes esse certus, quòd iterùm sis receptus in gratiam & cōmunionē Christi & Ecclesiæ. Deindè dicitur Sacramentum confortationis, eò quòd animam & conscientiam ob peccata angustiatam, nè desperet, confortat ac recreat: nam dum quis communicat, considerat primò, cur Christus corpus suum tradiderit in mortem, & sanguinem fuderit, Matthæi 26. nempè propter nostram salutem, quia propter peccatores CHRISTVS venit in mundum

cruci-

crucifigi: quisquis igitur est in numero peccatorum, pœniteat: cesset à peccato, accedat, comedat ac bibat, vt certior fiat quòd propter se quoquè peccatorem illa communio sibi salutaris fit: & cùm ità secum habeat Christum & omnia bona, tunc homo consortatur & animatur contra sathanam: ob id consultum esset, sæpè communicare. Ambros. Quotidiè pecco, quotidiè cõmunico. Sic Apostolus dicit 1. Cor. 10. hoc esse sacramentum vnionis: Panis quem frangimus, nonnè communicatio est corporis Christi? & calix benedictionis, cui benedicimus, nonnè cõmunicatio sanguinis Christi est? quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus, om̃es qui de vno pane & de vno calice participamus. Coniungimur igitur & adunimur hoc Sacramento quasi membra vnius corporis: ab illa autem coniunctione & vnione exclusi sunt omnes Sectarij & Iudæi & impœnitentes: & quicunque extra vnionem Ecclesiæ præsentem finiunt vitam, illi sinè dubio æternaliter damnabuntur, vt Augustinus ait de Fide ad Petrum, & Paulus Galat. 5. Sectæ regnum Dei non possidebunt. Porrò satìs non est, sic te accepisse communionem cum Christo & Ecclesia, sed opùs est vt à te quoquè proximus tuus accipiat communioné beneficiorum tuorum, nè ipsum per iram, odium, inuidiam separes à tua communione charitatis: hoc enim sacramentum non potest pati discordiam. Noua igitur vita exigitur post factam communionem, & diligens obedientia præceptorũ Dei, per quæ retinetur appræhensa communio cum Christo, &c.

DE PVGNA CIRCA SPECIES HVIVS SACRAMENTI. Caput 50.

SEctariorũ communis est obiectio, Christus præcepit Matt. 26. Bibite ex illo om̃es. Om̃es dicit Christus, hoc eius præceptũ non potest nec debet tolli aut cõuelli per vllũ Conciliũ, si quidé ipse Dominus præcepit. Cõtra hũc nec tota Ecclesia potest dispẽsare, nec angelus de cælo: respiciendũ est igitur ad verba Christi expressa potiùs quàm ad Concilia humana. RESPONDEO. Quòd hoc verbũ, omnes, Christus nõ dixerit ad vniuersos homines, sed tantùm ad discũbentes secũ Apostolos: quod eadẽ authoritate Euangelica secundùm Marcũ 14. & biberunt ex eo omnes, manifestè probatur. quis enim ità insaniat, vt affirmet omnes homines ex illo calice (quem sanè magnum esse oportuit) bibisse? Vel igitur Euãgelista Marcus falsè dicit, quòd ex eo vniuersi homines biberint, vel tantùm de Apostolis dixit: & si hoc, omnes, de apostolis tãtùm Marcus dicit, etiã illud, om̃es, quod Matthæus dixit, Bibite ex hoc calice omnes, tantùm de Apostolis dictum reuerà est. Deindè dicitur in eodem capite, Omnes vos offendiculum patiemini in hac nocte: & in eodẽ capite habetur: At illi omnes, relicto eo, fugerunt. Si ergò hoc verbum omnes, debet intelligi de cunctis hominibus, vt bibant ex calice illo: ergò & hoc quod dicit, Vos om̃es scandalizabimini, debet intelligi de om̃ibus hominibus: quod falsum est: ad solos igitur præsentes apostolos dicitur, Bibite ex eo om̃es. Præterea Paulus 1. Co. 11. describens institutioné sacramenti, quod reuelatum illi erat à Domino, dicit: Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, id est, dixi de sacramento, quòd Iesus in nocte in qua tradebatur, accepit pané &c. similiter & calicem &c. Sed non repetit illa verba, Bibite ex illo omnes: sed solùm, Hoc facite in meã commemorationem: si enim res esset de substantia huius sacramẽti, vt vniuersi homines ex calice biberent, sinè dubio Christus Paulo hoc etiam reuelâsset, & Paulus non omisisset in sua epistola, Bibite omnes. nec enim, quãtùm ad totã substantiam huius sacramẽti attinet, Paulus vel minùs vel plùs tradidit, quàm accepit à Christo.

Præterea tàm Apostoli quàm SS. Patres semper tenuerũt & senserunt, quòd vis sacramẽti huius non sit ligata ad elementares species, sed quòd fide appræhendatur verius illa vis, si ex certa causa aliquid de speciebus diminuitur, aut ratiõe externarum rerum. Sic Apostoli præter institutũ Christi, baptizârunt tantùm in nomine Christi, Actor. 2. cùm tamen Christus aliã formam illis præscripserat, nempè, in nomine Patris & filij & spiritussancti: hic enim Apostoli tantùm vim sacramenti respiciebant, nõ laborantes circa institutum: hãc quoquè rem tangit S. Cyprianus lib. 4. epist. 7. de Clinicis, qui tantùm adspergebãtur aqua baptismali, vbi tãtùm paucę guttæ sufficiebant, eô quòd fides in Christũ, appręhẽdit vim baptismi. Sic in Actis cap. 2. vbi Apostoli erant perseuerãtes in oratione & fractione panis, nulla fit mẽtio calicis, nec Ioannes in toto suo Euãgelio facit

cit potationis mentioné, sed de cómunione quæ fit per fidé, id est, quòd credo hoc corpus pro me traditú, & sanguinem effusum pro peccatis meis, nó ligans hanc fidé aut vim sacramenti ad externas species, id est, panem & calicem: nam & Luterus fassus est, non peccare qui vnam accipiunt speciem, eô quòd Christus nullam præceperit, sed solùm mãducare eius carné, & bibere eius sanguiné in suá memoriã, in lib. de captiuit. babyl. Non ergò ligata est virtus sacraméti ad externas species & elemẽta, nempè remissio peccatorú & salus, sed fides habet fundamentú, in quod respicit & quiescit, id est, verba Christi: Hoc est corpus quod pro vobis est traditum, & hic est sanguis pro vobis effusus, Matth. 26. ideò si aliquid defuerit de externis speciebus & elementis Sacramentorú, nihilominùs fides pro fundamento habens verba Christi, accipit plenè & perfectè vim sacraméti, iuxta regulã Augustini: Crede, & mãducâsti. Sic latro nec baptismú nec eucharistiã accepit, & tamen saluatus est, sed hęc non ideò dicunt, vt contẽnantur species & elementa sacramentorú, & quòd sola fide appræhendi oporteat vim, sed propterea, vt sciamus vim sacramenti nó esse alligatã speciebus illis, quoniã si necessitas aut rationabilis causa aut defectus fuerit in rebus illis visibilibus & speciebus, attamé plenã virtutem sacramenti posse appræhendi. Num stat etiã hic præceptú Christi, accipite & comedite, Mat. 26. id est, sub istis speciebus, quandò non coget necessitas? Sic sentiendú est de omnibus alijs Sacramentis, ideò sic ligare salutem ad vtranq; speciem, quasi quis non posset aliter seruari, falsum est. Deindè error est, dicere, quòd remissio peccatorú, salus æterna, côtingat propter sumptioné sacramenti & potationé è calice. si hoc est fundamentum salutis & remissionis nostrę, tunc nó sum certus de salute, si sum in aliquo loco, vbi non potest mihi vllo modo dari sacramentum: nec certus ero de salute & remissióe, si nó ea dispositione aut deuotione & purgatione accepero, sicut debui ac decuit: semper enim conscientia adhuc accusat. Non igitur sumptio sacraméti facit, vt certus sim de salute & remissióe, sed fides, qua credimus Christú pro nobis traditú, & sanguinem illius pro nobis fusum: hæc fides nos certificat, & ꝓpter hunc Christú, id est, victimá crucis, promissa est nobis remissio & salus, & hęc promissio est gratuita, id est, nó propter dignitaté aut opus meú fit, sed gratis propter Christú, & hoc ideò, vt ꝓmissio sit firma, Roma. 4. Si ergò remissio peccatorú & salus penderet à nostra sumptione sacraméti, nó esset firma, eô quòd semper aliqd ex parte nostra deest, quod adesse deberet: fides igit ac ꝓmissio Christi me certificat de remissione & salute, nó ipsa sumptio & potatio sacraméti, sicut plerique errãt. Causa igitur, quòd sic vrgetur à sectarijs altera species, nó est deuotio & zelus animi ipsorú in amore Christi, sed magìs licentia carnalis & inobedientia côtra catholicã Ecclesiã, cui se subijcere nolunt: sed more hæreticorum noua ac contraria catholicis proferút: sed manet ipsos vindicta iudicis Christi, quòd ità corpus suú mysticum, id est, Ecclesiã, per sceleratam suam rebellioné ac sectionem dissipauerút ac perturbârunt, quú Christus nihil magìs voluerit esse in ecclesia sua, q̃ vnitaté, pacem, côcordiã & dilectioné fraterná.

Prętereà noui isti hæretistę diuidút & separant fidem suã à verbo Dei, & faciunt sectam, dicétes: Nihil sunt verba sacerdotis, si ego credo, túc ibì est sacramentú: si nó credo, nó est ibì: ergò virtus verború Christi est nulla, cùm tamé verbo Dei firmati sunt cæli, Psal. 32. & omnia portantur verbo virtutis Dei, Hebr. 1. Item alij diuidunt ac segregant sanguinem à corpore Christi, & quamlibet partem seorsum locant, dicétes: Christus solùm dixit, Hoc est corpus meú: nó dixit, Hic est sanguis & caro. Et solùm dixit, Hic est sanguis meus: nó simul caro & sanguis: atque sic se produnt nouos Nestorianos hæreticos & cęt. Olìm Arriani diuidebant corpus & sanguinem Christi à Deitate: illos hodiè sequútur Luterani, negantes adorationem sacramenti, quod dicút panem manere, nec ostédi aut circúferri patiútur. Porrò Christus specialiter pręcepit Apostolis, id est, sacerdotibus vtranq; specié ratione consecrationis, & quia cómisit & ꝓcepit apostolis hoc facere: dixit enĩ ad ipsos specialiter, & non ad omẽs hoĩes bina vice, Hoc facite in meam cómemoratioué, sicut me vidistis facere: nam si ad omẽs hoĩes pertinere debet, vt bibãt è calice: ergò etiam dicendú est, Hoc omẽs facite in meã cómemoratioué: quod falsum est. ad solos enĩ apostolos, id est, sacerdotes pertinet, Hoc facite, id est, cóseсrate & sumite, scilicet eodé modo, sicut ego vobis feci. quòd igitur sacerdos vtrãque speciem sumit, hoc ex commissione & pręcepto Christi facit: quod enim dicitur, Bibite ex eo omnes, Matth. 26. Et biberút

ex eo

ex eo omnes, Mar. 14. ad apostolos de apostolis tantùm dictum est, aut Marcus errauit: quod dicere, anathema fit. quòd aût Christus communicauerit sub vna specie discipulos in Emaus, habet Ecclesia testimoniũ veterum doctorum. nam eadẽ verba locutus est, quæ etiã in mensa, benedixit, fregit, &c. nihil ibi legitur de vini cõsecratione: si enim naturalis tantùm dabatur illis panis, quare eũ Christus benedixit in mensa, id est, consecrauit ac fregit ac porrexit illis? an non ipsi quoque potuissent accipere & frãgere? Testatur quoque hoc S. Augustinus lib. 3. de consensu Euãgelist. vbi dicit, oculos eorum à Sathana detentos fuisse vsque ad Sacramentũ panis, vt vnitate corporis ei⁹ participata, remoueri intelligatur impedimẽtum sathanæ, vt Christus posset agnosci. Chrysost. Homili. 17. sup. Matth. Aliud est quod sumentem sanctificat, & aliud, quod licèt sit sanctum, non tamen sanctificat. sic panis in mensa & omnis creatura sanctificatur verbo & oratione, 1. Tim. 4. & fit sancta, sed non sanctificat sumentem: sed panis iam versus in corpus dominicũ, quod de manibus sacerdotum accipitur, hoc sanctificat per fidem sumentem: ideò Dominus nõ solùm benedixit in via panem, sed etiam dedit de manu sua Cleophæ & socio eius, id est, corpus & sanguinem suũ. Et Paulus cùm nauigaret, Actor. 27. non solùm panem benedixit, sed etiam porrexit illis: quod igitur de manu sacerdotis accipitur, sanctificat accipientem. Præterea Theophylactus idem sentiens, dicit: Non est sine mysterio, quòd sumentibus sacrum panem aperiuntur oculi: magnam enim & ineffabilem vim habet caro dominica, sup. Luc. c. 24. Patet igitur quòd extra cœnam dominicam nemo fuit cõmunicat⁹ vel à Christo, vel ab Apostolis vtraque specie, sed tantùm vna. Si autem omninò salus nostra pẽderet à speciebus vtrisque, tũc Christus clarè præcepisset, vt omnibus & semper etiã daretur calix, sicut vniuersale dedit præceptum, vt omnes baptizarentur &c. Quòd verò aliquãdò & quibusdam in locis vtraque species Laicis sit porrecta, factum est vel ex necessitate aliqua, vel ex deuotione populi, idq; ratione hęresum tunc regnantium in Ecclesia Manichęorum, Nestorianorum, Arrianorum &c. Postremò quod dicitur Iohan. 6. Qui mãducat carnem meam, & bibit meũ sanguinẽ, &c. hęc ad apostolos & Capernaitas dicta sunt, & pertinent ad manducationẽ spiritualem per fidem, qua credo corpus Christi pro me traditum, & sanguinem fusum, & hęc communio necessaria est ad salutẽ, sinè qua nemo saluabitur. At de reali communione, vbi corporaliter Christi corpus & sanguis exhibetur, de qua Euãgelistæ tradunt, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Cor. 11. Christus autem nusquàm legitur præceptum dedisse, quomodò cęteris hominib⁹ laicis debeat exhiberi hoc sacramentũ, immò penitùs nihil dixit. Iussit autem vt baptizarent, prædicarent, absoluerent omnes homines, sed de administratione seu dispensatione nihil dixit in institutione sacramenti, sed omnia illa solùm Apostolis dixit, qui discumbebant secum in mensa, illis dicitur: Edite & bibite ex hoc omnes: nulla fit mentio, quomodò laicis seu cæteris hominibus distribuant hoc sacramentum. Apostoli igitur & eorum successores, ex reuelatione spiritus sancti posteà ordinãrũt, vt etiam laicis porrigeretur hoc sacramentum, id est, vt non solùm spiritualiter per fidem in memoriam passionis Christi & effusionis sanguinis, sed etiam realiter communicarent corpus & sanguinem Christi. Iam verò si quæras, in quibus speciebus laici debeant cõmunicare, interroga Ecclesiã, & ipsa definiet, an sub vna vel sub vtraq;. nec porrò est quòd Catholici laici in conscientia anguntur: non enim pendet salus ab vtriusq; speciei cõmuniõe, nec pręcepta est à Christo omnibus hominibus sub salutis necessitate, sed solùm cõmunio, quæ nunc est, quæq; à Deo spiritusancto reuelatur, non pẽdet vis à speciebus: quòd verò Sacerdos accipit vtrãq; speciem, hoc Christi præcepto facit: nam sacerdoti nõ solùm accipere sic sacramentũ, sed etiam consecrare & dispensare, à Christo pręceptũ est, nõ itidèm laicis. Sacerdotes enim in celebratione & consecratione specierum distinctim mortem Christi, in qua à corpore sanguis fuit separatus, repręsentant & memoriam agunt. At recipiẽs solùm, & non consecrãs, is non repræsentat opus mortis Christi & passionis & separationis sanguinis à corpore: sed solùm accipit & comedit, & bibit in memoriã eiusdem passionis, scilicet quòd hoc corpus traditũ, & hic sanguis sit fusus in remissionẽ peccatorũ, hic simul corpus, sanguis, anima, diuinitas sumitur, &c.

DE NATVRALI AC MYSTICO CHRISTI CORPORE.

Cap. 51.

NOtandũ est primò, quòd Christus habet duo corpora. Vnũ, naturale, alterũ mysticum. Primũ corpus genuit B. virgo Maria, Luc. 2. verũ s. Deum & hominẽ. Et illud assumpsit Christus filius Dei, propter nostram salutẽ, & incarnatus est de spiritu sancto. Et in illo corpore semel passus est, mortuus est, sepultus est, resurrexit tertia die, ascendit in cælũ, & sedet ad dexteram patris, sicut etiã ipsemet dicit de illo Matt. 26. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est sanguis meus &c.

Tradidit ergò hoc in mortẽ pro nostra omnium salute. Rom. 4. Mortuus est pro peccatis nostris. In illo fuit obediẽs patri vsq; ad mortem, mortẽ autem crucis. Illo

Phil. 2. etiã meruit nobis æternã salutem, quia dedit in victimã pro omnibus nobis, Esa. 53. Heb. 9. Semel intrauit in sancta, & reperit æternã redemptionẽ. Ideò huic operi omis & tota nostra salus ascribitur, ità ꝙ nemo poterat secundò mereri remissionẽ & salutẽ. Non enim sic fuerat imperfectũ hoc opus propitiatoriũ, vt peccator proprijs indigeat meritis & operibus, & illa adiungat Christi merito, ad merẽdam salutem. Sic enim nobis imponunt hæretici. Absit. Opera eñi nostra nõ huc pertinent. Passio & meritũ Christi manent sola per se in sua dignitate & virtute, nec indiget nostris meritis & operibus. Neq; nos aliquid fecimus aut facere possum' ad hoc opus Christi vnicũ propitiatorium. Solus ipse Christus vita, corpore & sanguine suo expediuit semel & sufficienter. Esa. 63. Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. 1. Iohã. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis totius mundi. Rom. 3. Quem cõstituit propitiatorem &c.

In hoc corpore ampliùs non moritur Christus. Ro. 6. neq; patitur, sed iam clarificato illo resurrexit à mortuis, est in cęlo, & sedet ad dexterã patris, Marc. 16. Et illo redibit ad iudicium, sicut etiam ascendit in cælum, Acto. 1. redditurus vnicuiq; secundum opera sua, Matth. 16. Illo quoquè nos cõsolatur in fide, quod idẽ pro nobis tradidit, nè desperemus in peccatis. Et sese nobis exhibet ad mãducandũ et bibendũ, in memoriã passionis suæ, quã pro peccatis nostris passus est Luc. 22. Et quis sit in cælo, attõ diuina sua potẽtia, ex amicabili ꝓmissione, vult nobiscũ esse vsq; ad consummationem seculi, Matth. 28. virtute

Mat. 28. verborum, postquàm sacerdos illa in persona sua dixerit in consecratione sacramenti, scilicet, Hoc est corpus meum.

Secundò aliud corpus habet Christus, quod dicitur spirituale. Et hoc est æcclesia Catholica, siue cõgregatio omniũ fideliũ, in toto mũdo dispersa, q vnquã crediderũt, credunt in ꝑsenti, & credituri sunt in futuro. Aut q sunt vel in cęlo, aut adhuc sunt per terrã, omẽs illi faciunt vnũ corpus mysticum vel congregationẽ. Et istius corporis caput est Christus, sicut de illo testatur scriptura, Col. 1. Ephe. 1. & 1. Cor. 12. Dedit ipsum pater caput æcclesię, nosq; sum' mẽbra illi'. Ipse est vitis, & nos palmites, Io. 15.

Vt ergò omnia quę habet palmes, ex vite est & habet: sic & nos omnia quę habemus & speramus, à Christo sunt & veniũt. Quãdiù enim caput viuit, & corpus viuit: quia caput influit vitã in omnia membra. Ideò sicut caput Ecclesiæ Christus, est immortalis: ità & corpus illius habet vitã ęternam, propter caput Christum, qui viuit in æternũ. Sic de illo corpore ad Ephe. 4. dicit Apostolus: Vnũ corp', vnus spirit' &c.

Hoc corpus mysticum, id est, cõgregatio fidelium, Deo & Christo curæ maiori fuit, quàm suũ naturale corpus. Nam ꝑpter corpus hoc mysticum, Christus natus, passus, crucifix' & mortuus est: ipsumq; maioris æstimauit, quàm suũ naturale corp'. Ideò eñi, vt hoc corpus eius mysticũ viueret in æternum, & saluum esset, tradidit in mortem naturale, sicut dicit Apostolus Rom. 8. Proprio filio suo nõ pepercit Deus, sed pro nobis omnibus dedit illũ. Eph. 5. Tradidit semetipsum pro nobis. Esa. 53. Ipse peccata nostra portauit.

Tertiò, Hoc caput Christus continet nos simul, sicut membra per caput in naturali corpore continentur. Atque ità fit hic quædam gratiosa cõmutatio, vt quicquid corpus habet, eo fruatur & membra: & ediuersò ibi sunt omĩa communia, quẽadmodùm sunt sponso & sponsæ diuitiæ ex vtraq; parte communes. Sic Christi iustitia, mors, victoria cõtra peccatum & sathanam, sunt mea per fidem. Et peccatum meum, atque iniustitiam, victoriamque peccati & sathanæ contra me, à me accipit & vincit. Ideò inquit Ioh. 16. Confidite, quoniã ego vici mũdum. Ità totus thesaurus & meritũ passionis Christi, nostra fiunt per fidem. Nam si dat filium Deus, quomodò nõ omnia cum filio? Rom. 8.

Ex illo nũc intelligit, quomodò Christianus est diues, sanctus, iull' in Christo, licèt in carne peccator. Et quãdiù sic fuerimus incorporati Christo, quod primitùs

sic

in baptismo, Roma.6. quóque baptizati estis &c. tunc Christus est in nobis efficax cum omnibus suis diuitijs. At cùm peccauerimus contra conscientiam & manifestā legem Dei, & manserimus sine pœnitētia, tunc eijcimus nosipsos ex ecclesia seu cōmunione Christi, eiusq; mystici corporis, & efficimur putrida membra, sicut vlcus in corpore, aut manus arida. Et tunc non est efficax CHRISTI passio in nobis, nec eius merita nostra funt: sed sumus excommunicati, & non viua membra Ecclesiæ, id est, corporis CHRISTI. Ideò nō participamus Christi capitis bona, nec corporis eius, id est, ecclesię. Et in eum finem
1. Iohā.3. dixit Iohannes: Qui peccat, ex diabolo est: id est, cum diabolo participat in peccatis, contra legem Dei, Gala.5. Manifesta sunt opera carnis, fornicatio &c. Nam peccatū est à sathana: ergò qui peccat, participat in malitia cum sathana, & tandem sequitur damnatio. Ideò iubet Apostolus habere fidem & conscientiam bonam, 1. ad Tim.1.

Insupèr ex quo difficilimū est, propter tentationes sathanæ, carnis & mundi, retinere appræhensam in baptismo iustificationem & participationem bonorum Christi & Ecclesiæ, quin sæpiùs post baptismū perdimus iterùm promeritam & donatam salutem, & communionem & meritum Christi. Attamen pius Deus paternè promisit, si redierimus per pœnitētiam & veram cordis contritionē, vt iterùm vult nos recipere in priorē communionē, remittere peccata, & efficacē esse in nobis. Ob id enim iubet accipere & bibere corpus & sanguinē suū Mat.26. quo iterùm intramus in amissam communionem. communionem, dico, quę fuit perdita per peccatum. Et sic vnimur iterùm Christo, sicut grana in vna farina, & racemi in vnu vino. 1. Corin.10. Vnus panis multi sumus &c.

Quartò, in hoc corpore Christi mystico, Christus adhuc super terrā est, etsi caput sit in cælo. Adhuc omnia facit, quæ in naturali suo corpore fecit. Adhuc prædicat per ministros & sanctos doctores Ecclesię facit miracula per sanctos, & circa illorū sepulcra. Adhuc lauat pedes, sanat infirmos, orat, ieiunat, dat eleemosynā, patitur, flagellatur, crucifigitur, persequitur vsq; ad mortē, non in persona, sed in mēbris, i. corpore mystico, cuius caput est. Matt.25. Quod vni ex minimis meis fecistis, &c. Nā & caput sentit dolores mēbri. Ideò per prophetā dicit Zachariā: Qui tangit vos, tāgit pupillā oculi mei. Summa, quicquid factū fuerit corpori Christi mystico & mēbris suis, hoc sibi reputat Christus factum.

Et in eū finē passio Christi nondùm est completa. Agnus enim ab initio occisus est. Apo.13. & hodiè & in futuro occidetur vsque ad nouissimum diem, i. veritas Christi in Christum aut futurū, aut iam exhibitū, ab initio est persecutus, & multos pios cōfessores, prophetas & apostolos interfecit, & hodiè persequitur fideles. Sic dicit apostolus Col.1. Nunc gaudeo in passionibus, quas perfero propter ministeriū verbi, quo officio vtor in vobis. Nā sic adimpleo passiōes Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia, i. portionē passiōis Christi, quæ spectat ad corpus Christi mysticū, ego adimpleo vt meam portionem. Sicut etiam quisq; adimplet suam portionem, quotiès aliquid pro veritate & Christo conferre putatur.

Hæc ergò passio Christi solùm erit cōpleta in die nouissimo. Naturalis durauit tribus diebus, in quibus Christus passus est, & breui fuit consummata. sed hęc durabit vsq; ad diē nouissimū, vbi tunc totum corpus Christi mysticum cōplebitur, & in cęlū ad caput exaltabitur. Et tūc totus Christus erit in cælo æternaliter cum corpore. Et ante illam eleuationē corporis mystici Christus iudicium suum in terris seruabit. Et ibi reddet vnicuiq; secūdùm quod gessit, Mat.16. Ibi persecutio fidei & veritatis habebit suum iudiciū. Et quanuis hęc passio Christi corporis mystici non meretur gloriā æternā, nam hoc solùm debetur naturali corpori Christi pro nobis occiso attamen erunt diuersa pręmia, secūdùm gradus laborū, passionū, & tribulationū, sicut docet Apostolus 1. Cor.15. Differt stella à stella in claritate & magnitudine. Ioh.14. In domo patris mei mā̄siones multę sunt.

Sic Christus nobiscū hodiè orat ad patrem, i. caput cum mēbris, operatur bona, dat eleemosynam, exhibet charitatē proximis, castigat corpus, est verax, humilis, pudicus, castus &c. Summa, omnia bona operatur nobiscū. Ideò placent patri omīa opera ecclesię, quia filius & caput nobiscū orat & operatur. Secundò, quia Christus non indiget merito, totum nobis donat: quæ omnia licèt propter carnis nostrę fragilitatē non merentur salutem, habent tamen propter Christū, qui nobiscū cooperatur, magna & ingētia pręmia. Meritū enim salutis exigit, quòd ex omī parte sit perfectum. Et quoniam tale nostrū nō est, ideò transfertur in solum Christi meritum.

quasi ipsemet dixisset. Ideò qui hoc sacramentum contemnit, Christum ipsum cõtemnit, iuxta eius verbum: Qui vos spernit, me spernit, &c. & insupèr gratiam suã, quam nobis Christus per hanc vnctióem sacram porrigit.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Docere quòd extrema vnctio sit sacramentum, quod valeat ad remissioné peccatorum impetrandam, & quod sit à Christo ordinatũ, & habeat vim veri sacramenti, falsum est: nam nõ habet à Deo promissionem & verbum, quod tamen principale & maximum in veris sacramentis. Deindè Christus non mandauit Apostolis vnctionem, sed solùm prædicationem: & circa hanc prædicationem dedit potestatem faciendi miracula, Marci vlti. Super ægros manus imponent, serpentes tollent, &c. sic vnctio inter illorum miracula computatur, quã liberè apostoli tanquàm rem non præceptam circa infirmos exercuerũt: sed ideò vnctio illa non est sacramentum à Christo ordinatum, sed computanda est inter cæremonias & traditiones, quæ non est sicut articulus fidei, imponenda Ecclesiæ, nec conscientia grauanda, tãquàm esset res ad salutẽ animæ prorsus necessaria, sicut sunt vera sacramenta Ecclesiæ.

Postremò illum vngendi ritum potiùs excogitârunt Pontificij, & est idololatria, quatenùs tribuunt oleo remissionem peccatorum: at vbi manet tum sanguis Christi? Deindè inuocãt homines sanctos, dum vngunt infirmum, contra Dei præceptum, qui dicit, Inuocabis me, & ego exaudiam te. &cæt.

RESPON.

Proprium est hæreticorũ, quòd volunt semper ea, quæ Ecclesia approbat, improbare, & eam corrigere, & tanquàm errantem emendare: sed quia authoritas doctrinæ est apud ecclesiam, & nõ apud illos qui extra eam sunt, eam audire tenemur ex præcepto Christi, Matt. 18. Primò, remissio peccatorũ solùm tribuitur sanguini Christi, vt causæ efficienti, quæ nobis per fidem distribuitur, etiam per sacramenta vt media, è quibus fides CHRISTI ordinatione illam haurit tanquàm ex vasis, 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nulli igitur elemento vel materiæ alicuius sacramenti, neq; oleo vel chrismati vnctionis tribuitur remissio peccatorum: nam hoc quisq; nouit, quòd nullum externum oleum gratiã Dei, remissioné peccatorum vel spiritumsanctum conferat: sed quãdò aqua baptismi vel vnctio exhibetur: tunc quædã verba & orationes ibi fiunt, in quibus Deus inuocatur & obsecratur, vt velit remittere peccata infirmo, vel baptizato, vel ordinando, & Spiritũ suum sanctũ dare, vt hi placeant ei, & acceptati sint, faciantq; semper quæ ipsos decet in suo statu atq; sic non oleum, sed oratio ad Deũ, impetrat petitionis effectum, id est, remissionem peccatorum propter sanguiné Christi: solùm sacramenta signa sunt, per quæ Deus, Deus inquam, operatur remissioné, gratiam, spiritumsanctum, non ipsa materia sacramenti, id est, oleum &c. Nec idem sunt hæc duo, necessarium esse ad salutem, & vtile esse ad salutem & remissioné. Necessarium hoc est, sinè quo non potest acquiri salus & remissio: & sic vnum est necessarium, id est, fides verbi in Iesum Christum, Luc. 10. Qui non credit, iam condemnatus est, Ioan. 3. at sacramenta sunt vtilia & seruiẽtia, quia circa illorum distributionem fiunt preces ad Deum, quibus exoratur, vt per hæc velit distribuere promeritum Christi meritũ: attamé si per impossibile quis non possit habere baptismum, aut eucharistiam, vel vnctioné, &c. & tamẽ credat in Iesum Christũ, & speret per eius meritũ remissionem, quis illum dãnaret, quandò Deus non alligauit potentiam & misericordiam suã sacramentis? Sic vnctio vtilis est, quia ibi fiũt preces ad Deum pro remissione omnium peccatorum, quæ facta sunt per membra corporis sui &c.

Prætereà magnam habet promissionem vnctio, sicut Iacobus ibidem ait cap. 5. Nam quandò distribuitur oleum, non illud per se alleuiat infirmum, sed oratio fidei quæ fit circa vnctionem, qua DEVS inuocatur, vt velit remittere offensam & peccata, propter quæ incurrit infirmitatem ægrotus in corpore: Deindè etiam in fide confortare, vt si placuerit ipsius diuinæ voluntati, hunc exire è mundo, vt in fide CHRISTI filij sui constans maneat: postremò, vt alleuientur dolores infirmitatis, vt sic in spiritu & corpore erigatur infirmus. Ità Ecclesia principaliter orationi ascribit, quæ impetrat hanc gratiam, non tamen abijcit oleum, sed potiùs tanquàm medium, per quod Deus internam vnctionem confert, retinet: oleum enim lenificans, significat gratiam misericordiæ DEI & lenitatem, quam DEVS vult exhibere pœnitenti & credenti. Porrò negari non potest, quoniam non sinè causa Apostoli vnxerunt oleo infirmos ex præcepto

Christi,

Christi, Mar.6. quia sic placuit Deo, & ob aliquem certum effectum sunt vncti. Quis adeò leues fuisse apostolos existimet, vt aliquid sinè iussu Christi, qui eos ablegauerat, fecerint, quandò etiam Paulus dicit se non ausum loqui verbum, quod non effecit in eo Christus, Rom.15? & quis dicat eos vnxisse sinè effectu aliquo, quandò dicit textus, Et sanabantur, id est in corpore & anima: habet enim Deus varia media, quibus dispensat multiformem suam gratiam: ideò contemptores DEI & Ecclesiæ non euadent temeritatis suæ pœnam: Quin Luterus ipse pro magna Dei gratia reputauit, cui darentur hęc ante mortem, nempè Eucharistia & vnctio. Sancti autem sicut nec alibi, ità nec in hoc sacramento inuocantur propriè, sed potiùs interpellantur, vt nobiscum velint Deum pro salute infirmi, eò quòd sit membrũ corporis Christi mysticum, orare & intercedere. Hæc autem interpellatio sanctorum hoc loco ideò fit, vt oratio fidei sit eo efficacior & potentior, si nobiscum orant ipsi. est enim impossibile, multorum preces non exaudiri, vt idem Apostolus ait. alio enim modo Deus inuocatur in oratiõe, vt velit illud dare & efficere quod petimus: at sancti interpellãtur nostro alloquio, vt nobiscum orent, quo acquirere valeamus id quod petimus: ipsi autem hoc dare & efficere per se non possunt. nam non illis omnipotẽtiam, sed Deo tribuimus &c.

QVOD ORDO SACERDOTALIS SIT SACRAMENTUM. Cap. 53.

Primò, ex quo ministerium Ecclesiæ valdè magnum est officiũ, maiori vtiquè & ampliori gratia indiget. nam licèt omnes Christiani sint spirituales sacerdotes, quatenùs Deo spirituales hostias offerunt, & nomen eius in omi loco inuocare possunt: attamẽ non omnes sunt ex æquo ministri Ecclesiæ, sed quidam ex populo Dei, idque ab initio veteris Ecclesiæ vsque nunc segregati sunt ad apostolatum seu ministerium Ecclesiæ, qui eius officia administrarent. Deus antẽ hos ità segregauit, vt non vnusquisq; omia posset, & nè ex tali promiscua facultate & potestate nasceretur perturbatio vel confusio, siquidem ipse non dissensionis aut confusionis est Deus, sed pacis, 1 Cor.14. atq; ob id hoc sacramentum institutum est cum signo externo, nempe impositione manuum presbyterij, & cum alijs ritibus ad hoc sacramentum antiquitùs institutis, vt illi qui ad persungẽda officia ecclesiæ ordinantur, gratiam Dei accipiant, quo ad ea dispensanda reddantur idonei ac digni in sua persona: et huc pertinet illud dictum Apostoli 1.Tim.4. Noli contemnere gratiam quæ data est tibi per prophetiam, id est, orationem cum impositione manuum presbyterij. Deindè hoc sacramentum ordinis stat fundatum in illis verbis Christi, Sicut me misit viuẽs pater, ità & ego mitto vos, Ioann.20. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c. Matt.18. & Mar.16. Ite in mũdum vniuersum, & prædicate euangelium &c. & Matth.28. Ite, & docete omnes gentes, & baptizate eos &c. Item Lucę 22. Hoc facite in meam commemorationem &cęt. Ob id cui catholici episcopi, in hac antiqua ac perpetua successione apostolorum legitimè constituti, manus imposuerint & ordinârint ad ministerium Ecclesiæ, illi confertur vera potestas & facultas fungẽdi & administrandi ministeria & officia Ecclesiæ Christi.

Porrò potestas illa est duplex seu gemina, nẽpè potestas ministerij & iurisdictionis: ad priorem pertinet officium prædicationis verbi diuini, & dispensatio mysteriorum seu sacramentorum, & cõstitutio ecclesiastica ad ædificationem, non ad destructionem, 2.Cor.13. ad posteriorem verò pertinet potestas excommunicationis, & absolutio pœnitentium, & resolutio excommunicationis. Sunt quoquè diuersi gradus ordinis sacri, nempè septem, quos ecclesia agnoscit: Sacerdos, subdiaconus, Diaconus, acolythus, Lector, exorcista & ianitor: quæ officia sicut sunt distincta, ità etiam tãquàm necessaria & salutaria in Ecclesia debent exerceri & dispensari, sic, vt de ecclesia Christiana malè mereatur, quicunque hæc officia contemnit aut reijcit. Hæc liber Imperij.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Quòd ordinatio Episcoporum sit sacramẽtum à Christo ordinatum & præceptũ, & quòd per illud conferatur gratia & spiritussanctus, & fieri magis idoneos & dignos ad dispensanda Ecclesiæ officia eos, qui ordinati ab episcopis sunt, falsum est: nam experientia docet, quales fiot passim & vbiquè ordinati à pontificijs sacerdotes, quàm planè inscij, illiterati, pleni vitijs & scandalo: quod non esset, si ordinatio illa vel consecratio ex opere operato tan-

tam

tam gratiam DEI conferret, & videmus quòd pleriq; nō ordinati, sint doctiores in scriptura & probiores, quàm ordinati. Deinde Christus quidem officium prædicationis & ministerium ecclesiæ fundauit, sed nullam formam, vel modum aut consecrationem instituit, nec ipse vsus est aliqua ordinationis forma cùm eligeret suos apostolos, nec promisit in vlla externa forma aut signo gratiam daturum, sed solùm officium doctrinæ præcepit, & ecclesiæ suæ promisit se clementer ipsam ecclesiam cōseruaturum, & in ea verbum suum vsque ad finem mundi, Psal. 118. in ęternum Domine permanet verbū tuum. At hæc promissio facta est ministerio vel officio, & nō impositiōe manuū episcoporū. Sic dicit Matth. 16. & super hanc petram, id est, super hanc confessionem fidei, quam prędicationis officium tractat, ædificabo Ecclesiam meam &c. Si ergò ex ordinatione episcoporum veniret gratia Dei & dispositio, tunc Ioan. baptis. apostoli & prophetæ non fuissent idonei & digni, quia non sunt ordinati, sed solùm electi, & cum donis Spiritussancti repleti, & ad officiū sunt ablegati.

Prætereà dictum apostoli 1. Tim. 4. vbi dicit de gratia, quæ sibi data est per prophetiam, nō rectè ab Interimistis intelligitur, scilicet quòd hoc donū prophetiæ donetur per impositionem manuum aut ordinationem episcopalem: nam prophetia est singulare opus & donum, non hominis, sed spiritussancti, 1. Corinth. 12. est enim prophetia donum interpretandi scripturas, & hoc donum solùm datur à Spiritusancto. sed vt ea quis rectè & legitimè vtatur, donatur per impositionem manuum non vniuscuiusque, sed presbyterij, id est, illorum qui in illo loco sunt, vt episcopi, plebani, & qui curam animarum habēt: nam etiamsi quis habeat donum prophetiæ, non tamen debet exercere sinè ordinaria electione per manuum impositionem atque orationem, sicut ad Heb. 6. dicit: Nemo sibi assumat honorem &cęt. Impositio enim manuū solùm ostendit, quòd ille ordinariè fungitur dono prophetiæ, non autem confert.

Quòd etiam sint septem gradus ordinum, & quòd eorum officia sint necessaria in ecclesia, & q tantùm per episcopos conferri & ordinari debeant, mera est traditio humana: non enim Christus vel apostoli sic ordinârunt, & possunt sinè vllo grauamine conscientiæ negligi, & cum vno ministro Ecclesiæ necessario satis est.

Porrò licet potestas illa sacerdotalis diuidatur in potestatem prædicationis verbi Dei, & in potestatem iurisdictionis per excommunicationem & absolutiōem, tamen coniungi ambæ debent, quia & Apostolus vtraque vsus est 1. Cor. 5. in excommunicatione & absolutione cum euangelizatione: ideò quòd episcopi & illorū officiales solùm volunt esse Domini Banni, & non etiam euangelizatores, & dicūt hęc separata esse & diuersa officia, falsum est. Nam officium clauium datum est ecclesię & ministris eius in genere, non soli Petro, sed omnibus etiam apostolis & eorum successoribus &cæ. Sicut etiam hoc testantur veteres Theologi. Augustin. tractatu 124. super Ioann. cap. 11. idem tractat. 50. cap. 12. Theophylactus in Matthæum cap. 26. & ipsa scriptura hoc docet Matth. 16. & Ioann. 20. Tametsi inter ministros ecclesiæ sit ordo aliquis & diuersi gradus, tamen in ministerio & authoritate atque efficacia pares sunt, & ligat ac soluit peccata vnus minister, sicut alius in suo ministerio &cæt. RESPOND.

Primò, hęc semper & identidèm nobis ab hæreticis falsò ac mendaciter obijciūtur, quòd nos confidamus in externis illis signis, impositionis manuum, vnctionis, olei, herbarum, salis, aquæ, &cæ. quasi hæc nobis ex opere operato conferant gratiam DEI, & mereantur remissionem, dona spiritûs sancti &c. quandò tamen istis externis nihil tribuimus, sed dicimus orationes & preces ad DEVM, quæ circa illa sacramenta & res externas fiunt, impetrare à DEO gratiam quam cupimus per CHRISTVM, & illa per hæc visibilia media exhibetur: non dirigitur intentio ad creaturam, oleum, chrisma vel opus hominis, sed fides in DEVM per orationem eleuatur, & à DEO, non à creatura, expectat gratiam: sicut nec ab aqua elementari expectamus in baptismo remissionem peccatorum, sed ab ipso Deo, quem precibus inuocamus in baptismo. Et sic est de alijs sacramentis ac rebus sacramentalibus: & hæc fidei regula excusat Ecclesiam ab omni impietate erga DEVM, & liberat à calumnijs hæreticorum conscientiam.

Porrò quòd vsiori dono gratiæ perfundantur illi, qui Christiano gregi præficiūtur & ordinantur, patet ex scriptura veteris ac noui Testaméti, Num. 11. quādò Deus coadiutores regiminis Mosi substitueretvo-

re volebat, dixit Deus Mosi: Cógrega mihi septuaginta viros de senioribus &c. & descendam, vt loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis, vt sustentent tecum onus regiminis populi, & non tu solus graueris &c. In nouo autem Testaméto nemo nescit, quòd Christus elegit duodecim Apostolos, homines illiteratos ac simplices, quos tamen cùm eos gregi suo applicâsset, maximis donis ac gratijs ornauit: dedit enim ipsis Spiritumsanctum, & potestatem aduersùs dæmones, & consecrandi corpus suum, quam potestatem nec angelis dedit, item remittendi & retinendi peccata, prędicandi euangelium &c. vndè dicit eis, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis &c.

Quotiès ergò ordinantur aliqui ad officium in ecclesia exercendum, totiès fusiori gratia perfunduntur: sic dicit etiã apostolus 2. Corin. 3. qui nos dignos fecit ministros spiritûs, & non literæ. Postremò, Christum speciali studio, & forma vsum in vocatióe ministrorum, testantur literæ sacræ. Nam Lucas ait cap. 6. Christum, posteaquàm totam noctem orâsset ad patrem, cùm dies esset ortus, vocâsse suos discipulos, & ex ipsis elegisse duodecim, quos apostolos nominauit: ex quo appáret, quanta præparatióe & studio Christus hos apostolos delegerit, cùm totam noctẽ in orando perseuerârit: sic quoquè orant & preces fundunt episcopi in ordinatione presbyterorum, vt Deus dignetur ordinandis dare gratiam, ad sacra ministeria, quibus initiãtur, rectè & salubriter administranda: credendum est igitur, quòd illis duodecim ampliorem gratiam Deus concesserit. Iohann. 15. Ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructũ afferatis. quasi diceret, Nisi vos elegissem, misissem, gratiã ampliorem dedissem, nullum afferretis fructum: at cùm ego elegerim vos, fructus vester manebit. Sed an non continét hæc in se promissionem, quandò idem sermo ad ministros ordinariè electos & ordinatos ab episcopis dirigitur? & adhuc Christus est efficax cum illis, sicut cum apostolis, quandò idem est ministerij officium, docendi euangelium, & administrandi sacramenta, Luc. 21. Ego dabo vobis os & sapientiam. & Iohan. 14. Ego rogabo patrem, & dabit vobis alium paracletum, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non cognoscit: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit &c. hæ & consimiles promissiones sacerdotij, adhuc hodiè efficaces sunt: vndè magnum est sacramentũ ordo sacerdotalis, & Paulus dicit Ephe. 4. hoc officium ministerij duraturum, donec perueniamus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, &c. nondùm enim est consummatum ædificium ecclesiæ, igitur solùm in die nouissimo complebitur: palàm est ergò, prædictos ecclesiæ pastores perpetuari, & Deum in illis efficaciter operaturum esse, sicut in apostolis &c. Qui ergò Deus conseruat sacerdotium seu ministerium Ecclesiæ vsq; ad finem mundi, hic idẽ promissiones suas ad hoc pertinentes continuabit. Ioannes Roffensis episcopus & martyr pro catholica religione, in libello de sacerdotij defensione contra Luterum, certa axiomata & veritates atq; conclusiones assignauit, omnibus catholicis perpetua memoria tenendas, quorum primũ erat, Christus ipse dum in terris magna præparatione & studio orando patrem, pastores quosdam cóstituit, qui curam animarum suarum agerent, pascerent, regerent, docerent verbo, sacramentis, vita exemplari. id probat Lucas 6. Mar. 3. Matth. 10. Iohan. 15. I.

Secundùm axioma, Quos Christus in hunc modum pastores Christiano gregi præfecit, hos præ cæteris dono gratiæ fusiori perfudit, sicut mébra nobiliora in corpore, vt oculos donis nobilioribus, quàm manus & pedes ornauit. Vndè Numer. 11. coadiutores Mosi in regimine perfunduntur de spiritu Mosis. Sic Apostoli indocti potestate contra Sathanam Matt. 10. quem expellunt. Sic sapientia illis affluit, vt non opùs esset præmeditari quæ loqui vellent, Luc. 21. &c. II.

Tertium axioma, nemo legitimè pastoratûs exercet officium, nisi vocatus, & per Ecclesiæ præsides ritè & ordinariè fuerit ordinatus atq; missus, Hebr. 5. Nemo sibi vsurpat honorem &c. Deus enĩ non impertit dona sua nisi vocatis, sicut patet in Euangelio de seruis decem, Luc. 19. Ob id Paulus gloriatur se apostolũ vocatum, Rom. 1. sic Acto. 13. scribitur, quomodò prophetæ quidam & doctores Antiochiæ, sacrificantes Domino simul & ieiunantes, missi sunt à spiritusancto, vt Barnabam & Paulum segregarent, &c. ibi notatur vocatio legitima Pauli & Barnabæ: ergò quotquot ità per Ecclesiæ pastores ad pastoratûs officia legitimè fuerint instituti, non est dubium quin à Spiritusancto pariter vocati sint, sicut hic spiritussanctus elegit Paulum & Barnabam. III.

Quar-

IIII. Quartum axioma, in ordinationibus ordinati speciale donum à Spiritusancto accipiunt exercendi officium,& hoc quidem signo sensibili, id est, impositione manuũ, aut chrismate, quo certiores reddimur de efficacia & præstita gratia. sic inquit Apostolus 1.Timoth.4. Nè neglexeris donum quod in te est, quod datum est tibi per prophetiàm. Super hunc locum Lyra ait, antequàm Timotheus ordinaretur episcopus, reuelatum fuit Paulo, bonum futurum Ecclesiæ ex eius ordinatione cum impositione manuum, id est, illo signo sensibili datum est illi inuisibiliter donum vel potestas, deindè authoritate sacerdotij. ipsorum enim est vocare, ordinare & consecrare, qui sunt in ministerio presbyterij, non secularis potestas hîc se ingerere debet,& quotiès id facit, tunc non est ordinaria & vera vocatio, sed talis, de qua idem ait Apostolus, coaceruabunt sibi magistros pruriẽtes auribus, à veritate auditum auertentes &c. 1.Timoth.4.

V. Postremò potest addi & hoc axioma, quòd quotiès verum presbyterium est abiectum, atq; prophanum propria temeritate subrogatum per seculares, totiès Ecclesia magnam ruinam perpessa est : tandèm verò istam temeritatem à DEO grauissimè fuisse punitam, id quod exempla docent scripturæ de Hieroboam, Dathan, Abiron &c. & Actor.19. de filijs Sceuæ & alijs.

At instant, nusquàm legitur CHRISTVS vnxisse Apostolos in sacerdotes, vel eos consecrâsse. RESPON.

Christus Deus est, & intùs vnxit spiritusancto, quos & verbo oris sui confirmauit & consecrauit,& potestatem dedit, id quod & nos oramus ad Deum in ordinatione, vt similiter nobis faciat,& quatenùs simus certiores, quia hoc fecit, certificamur etiam signo externo, id est, impositione manuum.

Insupèr, si accidat abusus in ordinatione aut etiam in presbyterio de officio Ordinis & Excommunicationis, nemo commendat. Attamen ordinis causa, vt sit ordo in ecclesia, statutum est, vt maiores etiàm iurisdictionem exerceant. Nõ vt proptereà liberi esse velint ab officio prædicandi. Atq; vtinàm hodiè omnes Episcopi, Officiales, Doctoresque prædicarent, id est, euangelium Dei vulgo annunciare vel scirent, vel non erubescerent. proculdubiò non esset hereticis tanta occasio tumultuandi in Ecclesia.

Postremò gradus ordinum à principio Ecclesiæ fuisse apud Ecclesiam & religionem testantur Ignatius, Dionysius, Eusebius lib.6.cap.34. Historia tripartita libr. 2.cap.1.item Concilium Antiochenum,& Laodicense,&cæt.licèt in meliori vsu, atquè nunc sunt &c.

Nam legitur de septem gradibus Ecclesiæ, quibus seruiebatur Ecclesiæ, quòd primò erãt fossarij, id est, vespillones probi Tobiæ imitatores, qui Christianos inter gentes, id est, Christianos qui inter gentes morabãtur, quibus Christiani abominabiles & contemptibiles erant, sepeliebant. Secundò erant ostiarij, id est, ianuarum Ecclesiæ custodes, qui solùm fideles Ecclesiam ingredi admittebant, & prohibebant tumultuantes gentes & Iudæos. Tertiò erant lectores, id est, cantores chorales, qui in Ecclesia legebant aut cantabant. Quartò erant hypodiaconi, quintò Diaconi, sextò sacerdotes, septimò episcopi. Et illi omnes seruiebant Ecclesiæ,& probabantur, antequàm ad sacerdotium vel episcopatum promouerentur. Sed vsus istorum graduum aliquantùm iam antiquatus est in Ecclesia. Attamen inferiores tres sub ordine Acolytatûs comprehẽduntur, id est, fossores, ostiarij, lectores. Alij distinctim conferuntur ab Episcopo, Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotium, Episcopatus,&c.

Esto autem, Hæretici & non vocati, sint cæteris vocatis ministris Ecclesiæ doctiores, loquaciores,&c. quia tamen carẽt ordinaria potestate, cauẽdi sunt. Non est regnum Dei in sermone, sed in virtute, 1.Corinth.4. Et ibidèm cap.1. Infirma mundi elegit Deus &cæt. Quòd si ritè ordinati fiant aut sint negligentiores, eius negligentiæ pœna haud nos, sed illos ipsos spectat ac manet.

DE SACRAMENTO MATRIMONII. Cap. 54.

PRimò omnium DEVS in paradiso instituit matrimonium, vt per id vir ac mulier in vnam inseparabilem vitæ societatem iungerentur & colligarentur, iuxta verbum Domini Matth.19. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem,& adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: id est, duo homines, vnam tamen carnem habentes. Sic mulier solùm in morte

viri est libera, Roma.7. similiter & vir in morte vxoris.

Secundò, quanuis matrimonium in tali & tam angusta & inseparabili societate viri & mulieris fuit institutum, tamen sub lege patrum duobus modis à sua prima institutione degenerauit.

Primùm, quòd vir vnus plures aut plurimas haberet vxores: & iam sic habēs, occasione data, per libellum repudij dimittere posset: quorum primum indultu Dei permissum erat, seruiebatque mysterio futuri temporis, ità vt hinc ad amussim indicaretur, quòd quemadmodùm vir multas vxores haberet, sic sibi CHRISTVS Ecclesiam vnam congregaturus esset, tam ex multitudine gētium, quàm ex synagoga: Et quòd Ecclesia CHRISTO saluatori suo ministratura erat filiorum, qui ex ipsa generandi erant, multitudine, sicuti viro multarum vxorum fertilitas seruiebat. At libellū repudij Moses populo permiserat propter duritiam cordis illorum, Deu.24. Matt.19. Nam faciliùs æstimabat, si quandò vir iratus mulierem dimitteret, quàm si occideret. atq; ità viam illi nouam ineundi nuptias patefecit.

Sed quoniam venit plenitudo gratiæ, Galat.4. & Christus omnia in cælo & terra innouauit, restituit & matrimonium in pristinum statum, vbi ait Matth.19. Qui creauit hominem ab initio, masculum & fœminam creauit eos. Et dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Ideò quod DEVS coniunxit, homo non separet. Moses dedit libellum repudij propter duritiam cordis vestri. Sed ab initio non fuit sic: Propterea quicunque reliquerit vxorem suam, nisi propter fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Quod exponit Apostolus 1. Corinth. 7. dum dicit: Illis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Ideò nunc duæ illæ deordinationes matrimonij rescissæ aut reiectæ sunt, nihilque ampliùs valet, primò quòd quis plures vxores habeat, cùm 1. Corinth.7. dicatur, Adhæreat vxori suæ. non dicit, vxoribus. Secundò, quòd quis iuxta libitum suum vxorem suam à se fuget aut dimittat. Nam matrimonium est insolubile, durante vtriusque vita, cùm sola mors ipsum separet, Rom.7. CHRISTVS solam vnam relinquendæ vxoris causam, fornicationē scilicet, permittit, Matth.5. & 19. propter timorem habendum ab vtraque parte & punitionem Dei, quòd ordo suus ab eo institutus sic violatur. Ideò Ephes.5.1. Corint.6. Gala.5. dicitur: Fornicatores & adulteri regnum DEI non possidebunt.

Duæ præterea conditiones Christiani matrimonij exprimuntur claris eloquijs scripturæ. Prior, Genes.2. quòd matrimonium sit tantummodò coniunctio duorum, hoc est, vnius viri cum muliere vna copulatio. quia DEVS dicit, Erunt duo in carne vna. Ideò neutri coniugum permissum est, in contemptum aut damnū sui aut suæ coniugis, tertiæ alicui aut tertio sui corporis potestatem facere, sicut hoc etiam prohibet Apostolus 1. Corin.7. quandò dicit: Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir. E diuersò vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier: id est, neuter potest alij corpus suum exhibere extra matrimonium.

Altera cōditio est, quòd vinculum matrimonij semel inter duos pariter initum, non possit vlla alia dissociatione, nisi tantùm alterius morte disiungi, Roma.7. Nam quod CHRISTVS ait Matth.5. & 19. mulierem ob fornicationem dimitti posse, id sic intelligi debet, quòd dimissio hæc solùm respiciat cohabitationem, lectique & mensæ communionem, non ipsum matrimonij vinculum: nam id sola morte rumpitur. adeò, vt qui talem dimissam duxerit, aut cum ea fornicetur, perindè adulter sit, àc si cum aliqua alia non dimissa adulterium committat.

Secundò, postquàm CHRISTVS matrimonium sua gratia restituit ac emendauit, aliquantoque strictiùs colligauit, sic vt quemadmodùm CHRISTVS ipse vnus tantùm sponsus est suæ vnius sponsæ, idque indissolubili obligatione: ità vnus vir vnius fœminæ tantùm maritus sit, idque perpetua aut ad mortem vsque durabili coniunctione, quemadmodùm & CHRISTVS cum vnica sua Ecclesia & sponsa perpetuò deuinctus est, ipsaque inuicèm ei. Idcircò matrimonium non est solùm copulatio viri & mulieris, verùm etiam sacramentum, propter gratiam Christi, quæ in eo nunquàm deficit.

Sic etiam debet vir diligere vxorem suam, sicut CHRISTVS ecclesiam suam, &

am, & inseparabilem illam societatem seruare, vt ea vna contentus sit, nec separet se ab ea, nisi consentiente, exceptis causis in scriptura expressis.

Præterea cùm DEVS sua gratia matrimonium sustentet, sibique placere si nat, si homines se ei dedant, magnum status matrimonialis signum est, vt sperare possint aut habeant, cohabitationem suam & per se bonam esse, & DEO benè placentem. Ideoque & CHRISTVS nuptijs interfuit, easque primo suo miraculo ornauit, aqua in vinum mutata, Iohann. 2. quod non fecisset, si status ille peccaminosus esset. Cæterùm licèt status ille præcipuè incipi seu iniri debeat propter filios procreandos, tamē qui matrimonium fornicationis vitandæ gratia subit, non peccat. Nam Paulus primæ Corinthiorum septimo capite dicit: Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat.

Est autem tertiò hæc virtus istius sacramenti, quam omnes coniugati scire obligantur, quòd non humana, sed diuina potestate ac mandato conueniunt aut conuenerunt: deindè quòd condormitio illa matrimonialis non reputetur eis pro peccato, sicuti fit extra matrimonium, Ephes. 5. Tertiò, quòd & Christianus vir ethnicam mulierem, si cum eo manere velit, sanctificet, generetque sanctos, hoc est, DEO dicatos filios. Quartò, quòd accipiat eam gratiam, qua perpetuam fidem suæ coniugi seruare possit, nam duo sunt in carne vna. Quintò, quòd fidelis mulier in matrimonio saluetur per filiorum generationem, 1. Timoth. 2. si permanserit in fide & dilectione, & in sanctificatione cum sobrietate. Propterea matrimonium est status celebris aut sanctus & torus immaculatus, Hebr. 13.

Et quoniam hanc virtutem matrimonij Hæretici Manichæi, Taciani & Encratitæ non nouerunt, ideò matrimonium culpàrunt: sed eorum proteruiam Apostolus contrà arguit, 1. Timo. 4. tanquàm eiusmodi contemptus matrimonij & doctrina huc à sathana veniat.

Quartò vinculum matrimonij habet eiusmodi ligandi vim, vt nullum aliud humanæ societatis vinculum, magis ac strictiùs obliget. Eapropter etiam paterna potestas societati matrimoniali ritè ac meritò locum dat: quod etiam Adam in paradiso animaduertit. nam facta muliere, quam DEVS ex costa Adæ fecerat, Genes. 2. Adam ipse dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propterea & virago nominabitur, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Ideò non potest vinculum matrimoniale paterna potestate solui. Ob id audiendi non sunt, qui nostris temporibus volunt & docent, quòd promissum & addictum matrimonium rescindi queat aut debeat, si parentum consensus eò non accesserit. Per hanc autem rem nihil detrahetur obedientiæ illi, quam filij parentibus debent, Exod. 20. Honora parentes. Neque parentibus licitum erit, vt in impediendo aut separando matrimonio liberorum suorum, sua potestate abutantur.

Illud verò honestati & probitati conuenire existimatur, nè filij absque consilio & consensu parentum nuptias contrahant: ideoque quòd ad hanc rem attinet, à pastore aut prædicatore diligenter monendi & instruendi erunt. Vtrùm verò parentibus hac in re liceat, inobedientiam liberorum retentione hæreditatis, aut saltem diminutione dotis aut paraphernalium, aut alijs modis castigare: potest ordinarius magistratus hac in re modum & ordinem dare. Hæc liber Cæsaris, Interim.

HAERETICA OBIECTIO.

Quòd matrimonium sit sacramentum, id est, visibile signum, sub quo DEVS inuisibilem gratiam donet ac operetur, falsum est, ex opere operato. Nam matrimonium non pertinet ad spirituale regnum Domini CHRISTI, sed est huius mundi status, in publicum reipub. cōmodum ac sustētationem eius ac disciplinam, vnicuique vtiliter à DEO creatus & ordinatus.

Secundò, quòd per separationem illam à Domino CHRISTO propter adulterium concessam, tantùm cohabitatio, lectique & mensæ communio eleuata sit, ac non vinculum matrimonij solutum & euacuatum, sic vt parti innocenti post separationem non liceat nouas contrahere nuptias, sed oportere innuptum aut innuptam manere, est iniquum. Et quòd hic aut hæc, qui aut quæ cum innocente nuptias nouas contrahit, adul-

terium committat, nihilque possideat, falsum est: nam hic peius aliquid & nequius timendum est: eius præcauendi gratia potest innocens denuò nuptias contrahere. Nam CHRISTVS Matthæi quinto capite, & Apostolus primæ Corinthiorum septimo capite, non loquuntur de innocente, sed nocente: ille aut illa debet post separationem absque nuptijs nouis manere, itaque suam pœnam & culpam ferre.

Tertiò, quod Paulus 1. Timoth. 4. prædicit de spiritibus, qui prohibebunt cibos & nuptias, non solùm est intelligendum de Tacianis & alijs hæreticis, sed etiam omnibus qui prohibent matrimonium, vt Papa, episcopi, monachi qui sibi prohibent coniugium, & intereà viuunt in omni fornicatione, Sodomia & cęteris pessimis operibus &c.

Quartò, quòd parentum potestas cedere debeat coniugatis, admittimus: quia tunc filij non sunt sub obedientia & pane parentum. Nam hic stant verba Adæ, quòd homo relinquet patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, Genesis secundo capite. Quòd autem ex hoc sequi debeat, vt ex iniusta copulatione & desponsatione parentibus sua potestas & obedientia subtrahenda, & eiusmodi copulatio pro stabili & inseparabili coniugio tenenda & censenda sit, non habet locum, nec defendi potest scripturis. Nam per id eleuaretur obedientia & potestas parentum, improuidisque ac leuibus filijs ad multa nequitiosa cœpta libertas ac locus daretur.

RESPONSSO.

Ad primum dicitur, quòd magna sit differentia inter naturale & Christianum coniugium. Naturale enim coniugium est mundanum negocium & naturalis consociatio maris ac fœminæ, vbi tantummodò sexus, diuitiæ, voluptas, speciositas curatur: vbi solùm educatio prolis in causa est. Et sic est matrimonium inter gentes, Turcas, Iudæos, id est, sola confœderatio maris & fœminæ. Et sic non est sacramentum.

At Christianum matrimonium dicitur, quod propter fidem in CHRISTVM, ex DEI præcepto contrahitur inter fideles, in quo primaria intentio est obedire DEI, præcepto, multiplicatio fidei & Ecclesiæ CHRISTI per educationem & generationem prolis: postremò euacuatio fornicationis, primæ Corinthiorum septimo capite. Sic enim matrimonium est multo laudabilius & salubrius naturali. Et sic est sacramentum, id est, sacræ rei signum. Significat enim primò vnionem verbi cum natura humana, quia vnus CHRISTVS, DEVS & homo est, in duabus naturis subsistens. Sic assumpsit CHRISTVS naturam humanam, vt sponsus sponsam. Est quoquè mysterium CHRISTI atque Ecclesiæ, Ephes. 5. quam Ecclesiam CHRISTVS ornat, purgat, eaque omnia cum illo communia habet, sicut fit in matrimonio. Est quoquè matrimonium mysterium perpetuæ mansionis apud DEVM in æterna vita, sicut hic durat coniugium, donec mors liberet, Romanorum septimo capite. Quòd verò habeat promissionem gratiæ Christianum matrimonium, quam non habet naturale matrimonium, liquet ex Apostolo 1. ad Timoth. 2. Saluabitur mulier per generationem filiorum, si in fide genuerit, & filij in fide permanserint erga DEVM, in dilectione erga proximum, in sanctificatione erga seipsum, id est, si non fornicatur etiam cum alio extra matrimonium. Nam naturalis generatio non saluat. Alioqui mulieres gentium & Iudæorum etiam saluarentur. Sed hæc parturitio non habet promissionem eiusmodi gratiæ. Solùm ergò naturale matrimonium nullam habet promissionem, sicut habet Christianum. Quòd Christiana mulier ideò parturit, vt DEO, & non solùm mundo, generet filios, hæc fides ad DEVM & intentio, impetrat promissionem.

Malè ergò merentur hæretici de matrimonio, quòd illud priuant promissione gratiæ, quòd æquant naturali gentium & Iudæorum matrimonio, & quòd iuxta eos non sit differentia inter Christianum & naturale matrimonium. Christianum ergò matrimonium est honorabile coniugium & cubile impollutum in omnibus, Hebr. 13. Est ergò res sancta matrimonium, non seculare: quia persona fidelis sanctificat infidelem, primæ Corinthiorum septimo capite. Multò ergò veriùs tenet Ecclesia de matrimonio, quàm hæretici.

Ad secundum dicitur: Si pars innocens iterùm potest nubere, propter maius periculum euitandum: cur non etiam alteri parti, postquàm pœnituerit, propter idem periculum incontinentiæ euitandum

dum, licet nubere? Quod si hoc datur, quid erit tandèm coniugium? quis non ex facili causa quæret occasionem, vt separetur coniugium, vt alteri nubat? Ideò in terrorem, quatenùs honestas coniugij seruetur, & non fiat adulteratio, ob id Ecclesia vtriq; parti decernit, manere sinè coniugio, aut reconciliari. Nam vinculum matrimonij sola morte dissoluitur. Ideò cæteris in terrorem, aut reconcilientur, aut maneant sinè coniugio: quòd si fornicantur, adest potestas quæ gladium defert, Rom.13.

Ad tertium dicitur, mendaciũ esse quòd Papa siue Ecclesia prohibeat matrimonium, quandò hoc maximè prædicat, & inter Sacramenta tanquàm rem iustam & sacram cõputat & defendit. Nulli prohibetur matrimonium à Papa, nec ab Episcopo aut Cæsare &c. sed solùm quis sibijpsi per votum oris sui sibi prohibet coniugium. Vota enim emissa seruarẽ, est iuris diuini, Psal.75. & Eccés 5. Soluant ergò vota sua, quantùm velint, fidefragi. Apud Deum, cui vota fecerunt, non erunt excusati.

Ad quartum dicitur, quòd potestas parentum in filios magna est, & ligat in omĩbus filios obedire parẽtibus. Exo.20. donec alterum Dei verbum clarè eleuet illam obedientiam, sicut est votum Matrimonij, de quo dixit Adam Gene.2. Propterè relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ &c. Nemo tamẽ approbat contemptum parentum &c.

At instant hæretici: Papistę efferunt virginitatem præ coniugio, & volunt illa mereri remissionem & salutem. quod est cõtumelia maxima Christo.

RESPONSIO.

Sola Christi passio nos iustificat per fidem. At virginitas habet sua pręmia magna apud Deum, & res sancta est. Ideò cõsulitur ab Apostolo 1.Corint.7. & ab ipso Christo Matth.19.

QVID SIT MISSA APVD CATHOLICOS, ET QVID apud Sectarios. Cap. 55.

PRimò insitum est naturæ humani generis, vt Deum suum colat, timeat, & ei seruiat. Vndè etiam pagani & barbari homines coluerunt idola, tanquàm Deos suos varijs cæremonijs, licèt abominatio fuerit coram Deo: inter ipsorum autem cæremonias semper pręcipuus & maximus cultus diuinus fuit sacrificium, quod illis ex opere operato placaret deos, & propitios redderet, si eos offendissent. Immolârunt autem non solùm agnos, hœdos, vitulos, & alia animalia, sed etiã viuos homines, idq; diaboli instinctu Psalm.105. Immolauerũt filios & filias suas dæmonijs, &cæt. Sed Deus per verbum suum & per os prophetarum hanc gentilium falsam opinionem execratus est, increpans eos, quòd abominationem facerent coram ipso. sunt enim Dij gẽtium dæmonia, Psal.113. licèt ille impijssimus error non potuerit radicitùs extirpari à prophetis & sanctis viris, sed horũ plurimi occisi sunt. Ex quo igitur homines non solùm gentiles, sed etiã fideles veteris Testamenti, ab initio mundi sic fuerunt assueti offerre sacrificia, vt patet in sacrificio Abelis & Caini, Genes.4. vt verò homines scirent & cognoscerent verum Deum, & quomodò ille colendus, ac ei sacrificandum esset, ordinauit DEVS per Mosen in lege varia sacrificia animalium, vaccarum, vitulorum, agnorum, hircorum, turturũ, &c. sicut passìm legimus Leuitic.1.2.3.4.&c. offerri debere, non vt illis sacrificijs Deum placare & remissionẽ peccatorum ac salutem impetrare possent. nam impossibile est, sanguine taurorum deleri peccata, vt Paulus ad Hebre.10. sed vt solùm essent figuræ vnici illius sacrificij, quod fieri debebat per filium DEI, cuius sanguis effusus solùm toti mundo deberet impetrare & mereri apud Deum gratiam, remissionem peccatorum & salutem, & sic agnus ille ab initio occisus est Apocalyp.13. sic dicit Ioan. Baptista apud Ioann.cap.1. Eccè agnus Dei, eccè qui tollit peccata mundi. & Apostolus ait 2.Cor.5. Deus verè in Christo sibi reconciliauit mundum. mundum dicit, quod nomen non vnam ætatem vel seculum mundi, sed omnia præterita, præsentia & futura secula designat, & compræhendit in se omne tempus ab initio mundi, ità vt quotquot vnquàm saluati sunt à multis annorum millibus, & in futurum saluabuntur, per vnicum illum CHRISTVM & victimam crucis suæ, Esai.53. saluatos esse credere oporteat.

Prætereà voluit etiam Deus, vt per hæc extrema legis sacrificia memoria futuri illius sacrificij, id est, CHRISTI, in quo Deus omnibus promisit salutem, vt sic homines eo magìs desiderarent Christi ad-

uentum, & in fide futuri Messiæ magis accenderentur: ideò circa has oblationes habebant varias preces, laudes & gratiarum actiones pro varijs acceptis à DEO beneficijs &cæt. Indè factum est, quòd Iudæi magis in fide fuerint illuminati quàm gentes, & sciebant illas oblationes animalium illis apud DEVM non mereri remissionem & salutem, sed sic exercebant fidem promissionis Messiæ. Sciebant enim ex scriptura Psalm. 49. Vbi dicit DEVS: Si esuriero, non dicam tibi: nam orbis terrarum & omnis plenitudo eius mea est. an saturabor bouibus? attamen hæc sacrificia & oblationes merebantur temporalia beneficia, sicut sonant promissiones legis Exod. 20. Leuitic. 26. Deuter. 18.

Cæterùm quandò iam venit plenitudo temporis, Galat. 4. quo DEVS statuit satisfacere suæ promissioni, misit filium suum Messiam promissum in mundum, vt esset verus agnus oblationis, qui offerri deberet pro peccatis totius mundi, Iohann. 1. & ideò posuit DEVS super illum omnium iniquitates, Esa. 53. vt sic impleret figuras omnes & oblationes animalium, vtque virtute victimæ crucis suæ & sanguinis tolleret eoram DEO omnia peccata mundi. nam in illo statuit sibi Deus reconciliari omnia, & quæ in cælis, & quæ in terris sunt, Coloss. 1. Ideò nunc venit verum illud sacrificium, super quo fides præcedentium in veteri testamento quieuit, & nunc fides nostra atque salus totaliter quiescit & fundatur in ipso. Ex quo sequitur, quòd solùm est vnum propitiatorium sacrificium in toto mundo, cuius virtus sola delet peccata hominum, & impetrat ac meretur apud DEVM, gratiam & salutem. hoc sacrificium reconciliauit iterùm homines, qui à DEO reciderant per peccata, Roma 5. Per mortem eius reconciliati sumus Nullum ergò aliud opus in toto mundo sic est propitiatorium, quod mereatur salutem, cælum & remissionem, præter hoc vnicum sacrificium.

Insupèr hoc solum CHRISTI opus meritorium ac propitiatorium est, ab omni parte perfectum & absolutum, & virtute sua æternum: perfectum, & ideò ad meritum eius accedere nihil potest: nec potest euacuari, quia est æternû: nihil ergò huic operi addi potest vel supererogari vllo humano opere, vt simul cum illo mereatur remissionem & salutem: nam solùm sufficit CHRISTI opus, quod in se perfectum est, nullo alio indigens merito humano ad delenda peccata. Nec etiam vllum opus, vlla iustitia aut meritum humanum, per se aut ex sua dignitate possunt impetrare remissionem, gratiam & salutem: sed omnia hæc fieri oportet in virtute & merito vnici huius sacrificij, 1. Iohann. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris & totius mundi. Fides nostra benè quidem potest applicare sibi & appropriare promeritam saluté per CHRISTVM ac fructum & meritum ipsius appræhendere, sed tamen non meretur iustificationem: opera autem dilectionis benè retinent iustificationem, & acquirunt alia præmia iuxta promissiones legis, Exod. 20. quia per mala opera amittitur iterùm iustificatio Roma. 8. Ephes. 4. Galat. 5. 1. Corinth. 6. Sed opera nostra propriè non merentur salutem, sed vnà cum fide acquirunt ex misericordia propter Christum, & eam retinent.

Insupèr quia meritum CHRISTI est æternum, ideò non potest euacuari: nam sapientiæ & misericordiæ eius non est numerus Psalm. 146. ideò non cessat misereri Deus pœnitentibus propter Christum vsque ad diem nouissimû. Virtus enim passionis CHRISTI semper durauit ab initio, & nunc & semper vsq; ad nouissimum diem, sicut dicit Apostolus Hebr 9. Vnica oblatione cósummauit nostram salutem, & suo ingressu ad sancta sanctorum æternam reperit salutem &c. Non ergò meritum CHRISTI diminui potest, sed manet hoc Christi sacrificium semper in sua virtute, sicut fuit ab initio & nunc & semper ad diem nouissimum. Huius verò memoria quotidiè habetur in Missæ sacrificio iuxta CHRISTI præceptum Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Sic habetur differentia sacrificiorum paganorum, Iudæorum & Christianorum, de quo aliàs latiùs.

QVOMODO CHRISTVS SEIPSVM ALIO MODO PATRI OBtulit, & quomodò nos ipsum alio modo eidem offerimus in Missa. Cap. 56.

Notandû est primò, quòd Christus semel seipsum patri obtulit in victimam Esa. 53. mortali & cruento modo in cruce, & ho

sic ampliùs non potest offerri. Roman. 6. Christus semel mortuus est, ampliùs non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur. & nisi Christus seipsum sponte patri obtulisset, nam nullus mortalium potuisset sic offerri, Galat. 1. qui dedit semetipsum pro nobis, vt liberaret nos ex hoc seculo nequam. Ephes. 5. Qui obtulit semetipsum hostiam in odorem suauissimum DEO. ideò cruento & mortali modo nemo potest CHRISTVM offerre patri, sed solus Christus seipsum obtulit patri pro peccatis nostris, Rom. 4. & tali modo nunquàm in æternum ampliùs offeretur patri. Sed hoc sacrificium crucis nihil pertinet ad Missam: nec enim CHRISTVS à nobis in Missa offertur cruento modo: ideò crucis sacrificium, quo CHRISTVS seipsum obtulit, manet tantùm in sua dignitate & virtute, & meruit solùm om̃ibus hominibus qui pœnitent & credunt, salutem & remissionem peccatorum. In illo solo sacrificio consistit omne solatium & salus nostra, quoniam ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Iohan. 2. & in nullo alio opere vel fundamento: hæc oblatio sola est causa efficiens nostræ salutis, & illam solam credimus: non habemus mandatum, vt iterùm eo modo offeramus CHRISTVM, sicut etiam est impossibile, quia ampliùs non moritur. Alio itaque modo nos offerimus CHRISTVM Patri, nempè incruento & immortali modo sub speciebus panis & vini, in officio Missæ: Et sic iussit CHRISTVS seipsum offerri ab Apostolis, Lucæ 22. 1. Corinth. 11. Hoc facite in meam commemorationem &c. non autem hoc in eum finem est præceptum à CHRISTO, quasi illo modo offerendo CHRISTVM, vellemus mereri remissionem & salutem, aut quasi hoc altaris sacrificium par sit sacrificio crucis: nam CHRISTVS quandò seipsum obtulit Patri sub speciebus Panis & vini, vt impleret scripturam, Psal. 109. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, qui fuit figura CHRISTI, & obtulit DEO panem & vinum, Genes. 14. non merebatur nobis remissionem & salutem: ideò nec Missæ sacrificium meretur remissionem & salutem: hoc solum transfertur in sacrificium crucis cruentum & mortale. Ideò alio modo & alia intentione fit hoc nostrum sacrificium: Primò, vt in eo celebremus memoriam sacrificij crucis: deindè, vt oremus quòd salus & vita æterna promerita per crucis sacrificium, nobis accommodetur, applicetur & propria nostra fiat, vt eius fiamus participes, fruamur & communicemus. Tale est sacrificium Missæ, nec aliud in se comprehendit, nisi hæc duo principalia, nempè commemorationem sacrificij crucis, & petitionem, vt eius meritum & effectus nobis applicetur, & communicetur promerita salus. Et quanuìs in hoc sacrificio Missæ est idem corpus & sanguis CHRISTI, quod pependit in ligno crucis, licèt immortali & incruento modo, tamen saltem commemoratio fit eius sacrificij crucis: & petimus, vt propter illud ipsum nobis communicetur salus per CHRISTVM promerita in cruce: & ideò inquit Augustinus epistol. quòd oratio quæ fit in Missa, est efficacissima propter præsentiam corporis & sanguinis CHRISTI, quibus ipse hoc meruit & impetrauit à Patre, quod postulamus. Est ergò Missa non actus crucis, sed commemoratiuum & supplicatiuum opus, vbi recordamur mortis ac beneficij CHRISTI, & petimus propter hoc ipsum vt Deus nobis virtutem eius & omnia alia quæcunque nobis necessaria sunt, tam p̃ viuis quàm pro defunctis concedere ac distribuere velit.

Patet igitur ex hoc mendaciũ, quo grauatur ecclesia, quasi statuerit nouum & aliud sacrificium ad merendum remissionem & salutem, abijciens interim sacrificium crucis, quandò solum hoc sacrificium est memoria, actus crucis & petitio, vt virtus istius actûs crucis nobis applicetur: nec docemus quòd Missa, inquantùm est cæremonia & opus quod à nobis fit, sit sacrificium: non enim Missa est corpus & sanguis Christi, non est ipsum sacrificium crucis: ideò Missa non dicitur sacrificium à propria dignitate & virtute, vt sunt res & cæremoniæ humanæ, aut ex opere operato, sed est solùm opus & ceremonia, in qua per fidem petimus promeritam salutem per Christum, vtq; Deus velit respicere opus crucis, quod fecit filius suus, & est ipsum verum sacrificium, ac donare nobis & exhibere gratiam & misericordiam. Ità virtus impetrandi non tribuitur nostro operi, quod non est causa efficiens distributionis beneficij, sed operi ipsius CHRISTI. Sic Ecclesia patri cælesti sistit CHRISTVM, & omnes orationes & postulationes

per Chriſtum ad ipſum dirigit, & petit ex-
audiri propter ipſum filium, id eſt, victi-
mam eius, id quod & ipſe Chriſtus iuſſit,
Iohan.16. Si quid petieritis patrem in no-
mine meo, dabit vobis: ſic offerimus &
ſiſtimus Chriſtum ex ſuo ipſius manda-
Ioh. 14. to. dixit enim, Nemo venit ad patrem ni-
ſi per me. & Roma.5. Per hunc habemus
acceſſum ad patrẽ. Chriſtus ſemel ſeipſum
Patri obtulit cruento modo, & non man-
dauit nobis, vt ſimili modo eum adhuc
ſemel offerremus: ſed potiùs hoc modo,
vt noſmet fundaremus ſuper opus eius &
ſacrificium in cruce conſummatũ, & pro-
pter illud peteremus miſericordiam & be-
neficium pro viuis & defunctis. Hoc non
eſt irrogare Chriſto ignominiam, ſed po-
tiùs cedit in honorẽ & laudem ipſius atq;
beneplacitum, eò quòd tanti faciamus, &
in ſummæ æſtimationis loco ac precio ha-
beamus ſacrificiũ ipſius in cruce, quodq;
illud iugiter tractamus, quotiès volumus,
& petimus om̃ia neceſſaria nobis propter
illud precioſum ſacrificum clementer lar-
giri: propter hãc maximè cauſam inſtitu-
tum eſt Sacrificium Miſſæ, & quoniã De-
us pater propter hoc ipſum ſacrificiũ ho-
norando filium nihil nobis denegat, ideò
ſathan hoſtis ſalutis noſtræ adeò nunc in-
feſtat & conculcat Miſſam. Hęc eſt ſimpli-
ciſſima fides Eccleſiæ Catholicæ de Miſſa:
eſt enim viua memoria paſſionis Chriſti,
& ſecum adfert pœnitentibus & credenti-
bus ſpecialem gratiam Dei: fiunt enim cir-
ca hanc orationes, poſtulationes, gratiarũ
1.Tim.2. actiones, & alitur deuotio in cordibus ho-
minum erga paſſionem Chriſti.

Porrò tam ſcripturæ quàm SS. Patrum
documento conſtat, duplex eſſe Chriſtia-
norum ſacrificium, idq; in ſubſtantia vnũ
& idem, ſed in modo ſacrificandi diuer-
ſum, nempè vnũ in cruce & effuſione ſan-
guinis, Eſa.53. Oblatus eſt propter ſcelera
noſtra, &c. Iohan.1. Eccè agnus Dei &c.
Alterum verò ſacrificiũ in cœna ſub ſpe-
ciebus panis & vini, in q̃bus Chriſtus ſicut
verus ſacerdos ſecundùm ordinem Mel-
chiſedech corpus & ſanguinem ſuum ob-
tulit patri, & ità inſtituit æternum ſacri-
ficium noui Teſtamenti, id quod Apoſto-
lis ſuis & eorum ſucceſſoribus, vt facerent
in ſui commemorationem vſque ad con-
ſummationem mundi, mandauit, non vt
eo mererentur remiſſionem peccatorum,
aut quaſi de nouo vellent mereri redem-
ptionẽ & cœlum, ſed vt eam nobis in cru-
ce impetratam per fidem noſtrã & deuo-
tionem applicemus, participemus, & pro-
priam nobis faciamus: ità enĩ facimus iu-
xta mandatum eius, quo iuſſit, vt hoc fa-
ceremus in ſui commemorationem, vtque
nos per memoriam & meritum paſſionis
ſuæ patrem in cęlis oremus atque inuoce-
mus, vt nobis propitius eſſe velit, peccata
remittere, corpus & animam conſeruare,
& omnia neceſſaria nobis benignè largiri
dignetur. Quandoquidem autem ibi vi-
uus eſt Chriſtus filius Dei & immortalis
in hoc ſacrificio Miſſæ, ideò non eſt mor-
tuum ſacrificium, aut ſola memoria, ſed
etiam verus Chriſti ſanguis & corpus, atq;
ob id dicitur verum ſacrificium eſſe Miſ-
ſa. Deindè ex quo in officio Miſſæ habẽ-
tur ac fiunt mixtìm laudes Dei, orationes
populi, gratiarum actiones, hymni & le-
ctiones è ſacra ſcriptura, & circa hæc fit
conſecratio & benedictio corporis & ſan-
guinis Chriſti, licèt ſumma & ſubſtantia
Miſſę conſiſtat in verbis Chriſti, Matt.26.
Hoc eſt corpus meum, &c. ideò Miſſa re-
ctè dicitur eſſe ſacrificium laudis, ſacrifici-
um gratiarum actionis, & ſacrificium ora-
tionis. Et in hoc imitatur Eccleſia exem-
plum Chriſti, qui in ſacrificio ſuo multas
preces ad patrem habuit, Iohan.17. pro cõ-
ſeruatione Eccleſiæ, quam in terra erat
relicturus, &c. Tali modo & intẽtione SS.
Patres Miſſam pro ſacrificio habuerunt,
tàm Gręci quàm Latini doctores, Chryſo-
ſtomus, Irenæus, Athanaſius, Auguſtinus,
Cyprianus, Arnobius &c. & om̃es loquũ-
tur de hoc ſacrificio cœnæ Dominicæ,
quod longè diſtinguunt in modo & for-
ma ſacrificandi à ſacrificio crucis, &c. Prę-
tereà hoc etiã traditur ab illis, quod ſem-
per in celebratione huius ſacrificij hoſtia
fuerit magnis ac deuotis precibus laude &
gratiarum actione benedicta atq; conſe-
crata. Chryſoſt. ſup. Matth. homil.83. ſic
in libro de officio ſacerdotum lib.30. Ba-
ſilius autem Magnus de Spiritu ſancto cap.
27. Theophylactus in Marcum 14. & Gre-
gor. epiſt.63. Ambroſ. lib.4. de ſacramen-
tis cap.5. qui etiam canonẽ, quo adhuc vti-
tur Eccleſia, ferè ad verbum in libris ſuis
paſſìm cõmemorat. Item Auguſtin' epiſt.
59. ad Paulinũ dicit, quòd Eccleſia in Miſ-
ſa totaliter ſeruat admonitionem Apoſto-
li, 1. Tim.2. vbì vult vt fiãt obſecrationes,
poſtulationes & gratiarum actiones, pro
om̃ibus hominibus, deindè pro magiſtra-
tu, vt quietè, ſanctè ac piè viuere poſſimus
in omni pietate & caſtitate. Eccleſia ergò
implet multas obſecrationes antè & prius,
quàm

quàm incipiat id quod super mensam Dñi est, benedicere. Orat itē, quandò benedicitur & sacrificatur hostia. Facit etiam postulationes, qñ populo benedicit, eumque misericordiæ & potestati diuinę cōmēdat.

Et quandò hæc omnia facta sunt, & sacramentum sumptum, tunc vniuersa gratiarum actione concluduntur. Vide Augustinum, & reperies modum huius sacrificij altaris, sicut iam in Ecclesia est, clarè &c.

HAERETICORVM BLASPHAMIAE, QVIBVS MISsam vocant idolum. Cap. 57.

OBIECTIONES HAERETIC.

Pontificij docent omninò rem paganicā, quia dicunt quòd Deus per naturam docuerit gentes cultum & sacrificia sua: & naturę ipsarum insęuisse, & quòd sacrificium illarū fuerit instrumētum propitiationis, quodq; Deo inseruiērint etiam finè fide & Christo, ac per sacrificia sua felicitatem impetrâsse, &c. an non hoc est Christum pedibus conculcare? & per hoc volunt inferre, quòd Missa nouum sacrificium apud Christifideles sit instrumentum recōciliationis & propitiationis, per quod misericordiam Dei, Christi ac sanctorum omnium merita, remissionē peccatorum, salutem & omnia bona tam pro viuis, quàm pro mortuis impetrare valeamus, sicut pagani per sua sacrificia fecerūt: atque sic Missam tanquàm Deum sibi statuunt, qui eis quæcunque postulârint, largiatur. An non hæc est idololatria, quòd inuentionem humanam ponant in loco diuinæ promissionis, & fidei, & adeò ipsius Christi? dum tribuunt Missæ quod soli sanguini Christi debetur, & Missam habent pro suo Christo? RESPON.

Primò notādum, quòd non est vna res inferere, & vti eo quod naturæ insitum est: id est, quædam notitia seu lumē quoddam, quo per sese agnoscit & iudicat aliqua esse vera, nempè quòd oporteat vt sit Deus aliquis in rerum natura, conditor omnium rerum, & gubernator creaturarum: item Deum esse iustum, æternum, bonum: prætereà natura ex sese potest agnoscere quædam esse iustissima, vt non occidere, furari, adulterari, sed diligere proximum, & ei facere quod tibi fieri velis: ità docet Apostolus Rom. 2. cùm gentes nō haberent legem, naturaliter fecerūt ea quæ legis sunt, id est, cùm decalogus ipsis non esset datus, Deus impressit hanc legem naturæ ipsorum tanquàm lumen quoddam oculis inditum. Ex illa naturali insitione promanauit, quòd homines iudicârunt iustum esse honorare Deum, & quòd illi debeatur cultus aliquis externi sacrificij: nemo enim rectè cogitauit, quenquam per externum sacrificium honorādum aut colendum esse, quàm illum quem pro certo Deum esse arbitratus est, vt ait Augustinus de Ciuitat. lib. 10. cap. 6.

Deindè ex quo natura humana post peccatum originis plurimum est obscurata, quòd imbecillem ac deprauatam notitiā habemus de Deo, indè factum ęst, vt minùs rectè quàm deberēt, vsi sint homines insitione illa naturali cognitionis Dei, sed obscurata est planè cognitio illa per peccatum, ideò repetijt Deus decalogū, quo renouauit naturalē illam notitiam de Deo, & per verbum suum Deus mundo dedit clariorem notitiam sui: ideò enim misit Prophetas, Mosen & Apostolos, qui quod rectum ac verum esset de Deo, docerent, & verum Dei cultum, & semper prædixerūt de venturo Christo, promisso à Deo, propter quem toti mundo salus impetraretur. Ex quo nunc pagani errârunt, & non verè cognouerunt Deū, nec rectè vsi sunt sacrificijs, nec sciuerunt verum & Deo acceptabilem cultum vel formam & modū, hoc enim homo ex sua natura scire nō potuit: ideò nec per mediū cultûs aut sacrificiorum suorū potuerūt Deum sibi propitiū reddere, aut remissionē peccatorū impetrare, sed monstratus illis fuit futurus Christus, cuius sanguis & sacrificium hæc omnia esset effectürū, Esa. 53. Ideò de nostra redemptione & remissione peccatorū hęc est libera & ingenua confessio Catholicæ Ecclesię, quā coram Deo, angelis eius, & toto mūdo confiteť, quod CHRISTVS IESVS filius Dei, per sacrificiū sacrosancti corporis & sanguinis sui in ligno crucis, & per innocentem mortem suam solus vniuerso mundo totaliter & perfectè ac sufficienter eam redemptionem ac remissionem meruerit, acquisiērit, ac satisfecerit. Et non solùm homines qui in terris sunt, sed etiam quæcunq; in cælis sunt, per preciosum suum sanguinem instaurauit, & ad vitam & æternam salutem perduxit, ac cum patre reconciliauit, &c. sicut

ut nos docet scriptura, 2. Cor. 5. Deus verè in Christo mundum sibi reconciliauit, & Coloss. 1. Placuit Deo, vt in illo, id est, Christo vniuersa plenitudo inhabitaret, & per eum reconciliaret cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem siue quæ in terra sunt, siue quæ in cælis, & 1. Iohan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi, &c. Et quoniam hoc confitetur & credit Ecclesia, quòd Christus solus est propitiatio pro peccatis mundi, & Pagani etiam sunt in mundo, quomodò dicimur à sectarijs docere quasi propria ipsorum sacrificia eos corã Deo reconciliârint, & meruerint remissionem & æternam felicitatem? nos confitemur paganos sinè fide in cognitione sua erga Deum erràsse, & hostias ipsorum nihil effecisse coram Deo, quia solùm vnicum & verum est opus propitiatorium, 1. Tim. 2. Vnus est mediator, &c. Ideò sacrificia paganorum non fuerũt medium vel instrumentum, quo potuissent mereri remissionem & felicitatem ęternam. Deindè, quòd blasphemant Missam esse magnum idolũ, quod sedeat loco Christi, hæreticum est cõuicium. Clarè enim & semper dicimus, quòd cęremonia Missæ non est ipse actus crucis, non ipsa passio Christi, nõ ipsa crucis victima: atque igitur non potest dare nec causa efficiens esse remissionis & salutis, sed ipsum corpus Christi traditum ac passum, & sanguis eius effusus, Matth. 26. & virtus victimę crucis eius, &c. quæ omia piè ac deuotè in honorẽ Dei in Missa tractantur. Non est Missa ipsa virtus aut nucleus salutis, sed sub illa tractatur verum Christi sacrificium, quod in cœna ipsemet fecit, deindè memoria sacrificij crucis. Sed nunquid testa potest esse nucleus, quem ipsa continet? an instrumentum est ipsum opus? an hedera vel circulus suspensus est vinum ipsum? Nequaquàm, sed designat vinum hedera, & testa continet suum contentum, id est, virtutem nuclei: ità cæremonia huius sacrificij est continens & designans cruenti & semel facti sacrificij crucis Christi ac virtutis victimæ eius: hæc ipsa virtus passionis est efficax ad dandam remissionem & salutem æternam credenti & pœnitenti, non ipsa cæremonia Missæ: nec opus operatum per se est efficax, sed DEVS & ipsa passio per cæremoniam & fidem, tanquàm instrumenta & media, est efficax & virtuosa.

OBIECTIO HAERETICORVM DE NOVO SACRIFICIO & nouo Sacerdotio. Cap. 58.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

NEMO nostrûm negat, quòd Deus vetus Testamentum & sacrificium abrogârit, atq; nouum sacerdotium instaurârit loco eius: sed nouus ille sacerdos & nouum sacrificium est ipsemet & solus Christus, qui seipsum vt summus Pontifex obtulit in cruce, Hebr. 9. & sacrificium ipsemet factus est, quod omnia præcedentia sacrificia ab initio mundi figurârunt. Solus ergò Christus est ille nouus sacerdos, & nouum sacrificium. In illo autem sacerdotio Christi omnes Christiani sunt sacerdotes & templum Dei, sicut 1. Pet. 2. dicitur: Vos estis genus electum, regale sacerdotium ad offerendum spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christũ, &c. Et quanuis omnes Christiani sint sacerdotes, & in Christo consecrati, tamen oportet esse externum sacerdotium & visibile ad conseruationem pacis & boni ordinis, & ad ea administranda quę ad sacerdotium pertinẽt. 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, tãquàm dispensatores mysteriorum Dei &c. & tale officium nominat Apostolus presbyterium, 1. Tim. 4. Sed tales presbyteri non habent potestatem alia aut noua sacrificia, sacramenta & aliũ cultum Dei instituendi & exercendi, quàm quæ Christus ipse instituit: at Christo nũquàm in mentem venit, quòd vellet nouum sacerdotium cum nouo sacrificio in cœna sua introducere his verbis, Hoc facite in meam commemorationem, &c. Nõ igitur Christus instituit aut fundauit priuatum illud sacerdotium, aut Missæ sacrificium, sed ipsi potiùs ex auaritia excogitârunt, & vendũt Missas: debet autem fieri solùm memoria sacrificij crucis, & communio iuxta verba Christi, Matth. 26. Accipite & comedite, &c. Non dixit, Sacrificate vel offerte hoc in sacerdotio vestro, &cæt.

RESPON.

Primò, hæretici hoc efficere conantur, vt sacerdotium tantùm sit externũ quoddam mandatum, sicut fit in pagis aut villis, vbi ex mandato principis aliquis constituitur Scultetus vel subulcus: sed quòd ibi sit internum & externum sacerdotiũ, nemo vnquàm inficiabitur, nam etiã apud

Iudæos

Iudæos fuerunt duo diuersa sacerdotia, & in veteri testamento populus Dei vocabatur sacerdotale regnum, Exod. 19. & illi habebant Spirituales suas hostias: sed iuxta hoc erat adhuc aliud sacerdotium externum, ad quod tantùm illi, qui erant de tribu Leui & semine Aaronis, accersebãtur, & vnctione olei, sacerdotalibus vestimentis, alijsque cæremonijs initiabantur, Exod. 30. & 40. & hi singulare habebant officium in sacris persungendis, quod cęteri Iudæi sibi vendicare non audebant. Deindè, ex quo nunc vetus illud sacerdotium & sacrificium veteris Testamenti abrogatum est, tamen Christus nouum sacerdotium & sacrificium rursus instituit, idque tale, quod non esset ex æquo omnibus commune, nec tantùm externũ quoddam mandatum, sed etiã sacramẽtum, vbi in ordinatione vel consecratione per impositionem manuum & authoritatẽ presbyterij, 1. Timot. 4. interna quædam virtus ac gratia Dei & potestas ad ministerium sacrum administrandum certis personis cõfertur, quæ gratia & potestas apud cæteros homines licèt Christianos nõ est, nempè qui per eiusmodi ordinationem sacerdotalem ad ministerium presbyterij non sunt vocati: ità enim & in Baptismo datur specialis gratia contra originale & alia peccata, quam non habent nõ baptizati. Hanc autẽ potestatem vocat Apostolus donum, 1. Timoth. 4. Nè negligas donum &c. 2. Tim. 1. excites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum. Est igitur singularis gratia & singularis potestas in externo & legitimo sacerdotio. Sunt ergò veri & ordinati sacerdotes non solùm mandati executores, sed etiam præditi singulari & speciali gratia seu dono Dei ac potestate ad exequendũ ministerium sacerdotale: at sectarij & laici non ordinati ab ordinario presbyterio, non habent hoc donum, sed solùm externam commissionem sicut apparitores: nam vestitus etiam ipsorum varij coloris ipsos talib⁹ nõ meliores esse indicat. Quoniam ergò nunc est verum & externum sacerdotium, sicut ab initio & semper tenuit Ecclesia Catholica, necessè est, vt sit etiã externum sacrificium. nam sacerdotium constat in oratione & sacrificio inter Deum & homines, Heb. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, &cæt. Est igitur per scripturam significatum commune & externum sacrificium totius Christianitatis, de quo primùm testatur Propheta Malachiæ 1. cap. quòd Deus præter sacrificia Iudaica aliud sibi sacrificiũ elegerit, quod in posterum omni in loco offerri debeat. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiã de manu vestra, &c. In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda &c. Hæc autẽ oblatio munda est sola vnica in mundo: omnia enim alia sacrificia siue interna siue externa, immunda sunt, qa ex polluta carne fiunt: interna, vt oratio, preces, ieiunium, laudes diuinæ, gratiarũ actiones &cæt. Externa sacrificia quoquè immunda sunt irrationabiliũ animalium, quæ non tanta cordis puritate offerebantur, sicut debebant. Deindè ad hoc quòd munda esse debeat, dicitur etiam ibidèm, quòd in omni loco hęc oblatio offerri debeat, cuius simile dari nõ potest nisi Christi sacrificium. Igitur hæc munda & vniuersalis ac perpetua oblatio, nulla esse vel dari potest in toto mundo, nisi sacrum & verum corpus & sanguis Christi, quod sub speciebus panis & vini modo incruento & impassibili Deo offertur: primò ad commemorationem sacrificij Crucis, deindè ad postulandum & obsecrandum, vt virtus & efficacia eius victimæ crucis nobis salutaris, propria & vsui sit. In hanc sententiam & de hoc sacrificio antiquissimi patres hunc locum Malachiæ cap. prædicto intellexerunt, nempè ante mille quingentos annos. Irenæus lib. 4. cap. 32. & Augustinus contra aduersarium legis lib. 1. cap. 20. & Hieronymus ac Iohãnes Damascenus, cæteriq; authentici doctores & martyres, quotquot ab illo tempore vsque in hunc diem vixerunt: illi omnes vno ore & sensu hoc sacrificiũ approbârunt, & docuerunt quòd in Ecclesia sit externũ & speciale sacerdotium & sacrificium.

Secũdò ait scriptura in Daniele 8. & 11. capit. fore quòd iuge sacrificium ab Antichristo & eius adhæsoribus deleatur ac pessundetur. Si autẽ pessundabitur, oportet vt sit aliquod iuge sacrificium: sed hoc non est oratio, deuotio, honor & laus Dei, gratiarũactio &c. nam nunquàm poterit Antichristus hæc delere ità penitùs ex cordibus hominum, quin maneant hæc in animis Christianorum: Ergò oportet illud iuge sacrificium de illo corporis & sanguinis Christi sacrificio intelligi, quod per Antichristum & suos adhæsores (intellige hæreticos) conculcabitur. Sed Deus nouit qui sunt eius,

&

& hoc conseruabit, ait Daniel. 11. capitul. Et Christus dicit Petro, Luc. 22. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. & Matth. 16. Portæ inferorum non præualebunt aduersùs Ecclesiam. Ergò non potest antichristus hoc iuge & internum sacrificium abolere, nec ei præualere potest: ideò laudes diuinæ in cordibus, fides, gratiarum actiones, orationes nunquàm delebuntur è cordibus fidelium: possunt quidem hostes antichristiani nobis inhibere externum sacrificium & cultum diuinum, idque ad tempus, sed inuocationem in corde nunquàm poterunt delere. Ideò iuge sacrificium hoc non est interna illa inuocatio, oratio, laus diuina, fides, &c. Sed est sacrum illud sacrificium in Missa: hoc cessabit tempore Antichristi: Et quãuis iam in aliquibus locis inter Christianos ab hæreticis seductos cessat & abolitum est, non tamen per totum mundum cessabit aut abolebitur in omnibus locis Missæ sacrificium, nisi cùm venerit Antichristus, & regnum mundi occupauerit.

Respondeant ergò hæretici, si altaris sacrificium non est hoc iuge sacrificium, qualenam in Christianitate aliud sacrificium, quod cessabit iuxta scripturã, quod sit externum & visibile, quodque Deo in omni loco offeratur donec antichristus veniat, & hoc conculcabit ac delebit. Nam certum est, prophetas non frustrà locutos esse de iugi sacrificio. Et si hæretici aliud sacrificium dare non possunt, sicut non sanè possunt, captiuẽt ergò intellectum suũm in obsequium Ecclesię Christi, & cum illa credant sacrificium altaris esse hoc iuge sacrificium, quod Christus primò ipsemet in cœna, deindè in ecclesia sua per totum mũdum ad memoriam passionis suæ offerendum instituit, sicut Ecclesia ab annis mille quingẽtis fecit & obseruauit. Hunc igitur thesaurum quem Christus ecclesiæ suę donauit, in quo omnem consolationem & deuotionem reperit, & quotidiè in omni necessitate sese reconciliauit cum Deo, & suppliciter petit propitiationem propter Christi filij sui corpus & sanguinem pro nobis effusum, petitq́; remissionem peccatorum: hunc inquã thesaurum diabolus per instrumenta sua hæreticos nobis eripere, & eius consolatione nos fraudare conatur. Quarè autem nõ liceret omni die vti illa salutari reconciliatione promerita nobis per sanguinem Christi? aut ipsum corpus Christi & sanguinem patri cælesti offerre, & super illud meritum supplicare & petere remissioné peccatorum, & alia quæ nobis ad temporalem & æternam salutem sunt necessaria? Dignum est, ex quo Christus est propitiatio nostra, vt ipsum pro tali habeamus, & eo vtamur quotiescunquè nobis opùs est. Ideò præcursores Antichristi nõ poterunt per totum orbem sacrificium hoc altaris delere: promisit enim Christus se Ecclesiæ suæ affuturum vsq; ad consummationem seculi. Est igitur externum sacerdotium exuberantiore gratiæ dono ac speciali potestate à Deo ornatum, quàm commune aut spirituale sacerdotiũ: estq́; externum & visibile sacrificium altaris, quod quotidiè in Missa non cruento modo, sicut in cruce, sed incruẽto modo offertur, non quòd illud sit æquale sacrificio crucis, & mereatur remissionem & salutem sicut sacrificiũ crucis, sed est solùm memoria sacrificij crucis, & petitio quæ circa illud fit, vt virtus & efficacia ac meritum victimæ crucis nobis distribuatur & applicetur.

OBIECTIO SECTARIORVM DE VERBIS CHRISTI, Hoc facite in meam commemorationem. Cap. 59.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Pontificij execrandè abutuntur illis verbis Domini, Hoc facite in meam commemorationem: nam faciunt indè sacrificiũ, quasi Christus dixisset, Facite, id est, offerte me sub speciebus panis & vini: & sic volũt sacrificium illud à communione corporis & sanguinis separare, & tantùm offerũt & sacrificant in Missis angularibus, & non communicant populum secundùm institutum Christi, Accipite, comedite, & bibite. Nam Christus locutus est hæc verba, Hoc facite, de tota actione & opere, quod ipse fecit, nempè accepit panem, & gratias egit, fregit, & dedit discipulis, & dixit: Accipite & cõmedite. item, Accepit calicem, & dixit: Bibite ex hoc omnes. Hoc facite in meam commemorationem: ipse iubet primò mãducare & bibere: & posteà dicit, Hoc facite in meam commemorationem. Non dixit, Separate communionem corporis & sanguinis Christi, & consistat per se sola, & seruet eam Ecclesia, vt noui ipsius sacerdotes cum suis successoribus

tibus in nouo sacrificio panem & vinum offerant patri cælesti ad memoriã, & non distribuant: ideò nõ possunt separari, hoc facite, & hoc comedite: & si hoc fit, vt solet in Missa, tunc cõtra institutum & verbum Christi agitur: & ideò ibi nec sacerdotium, nec consecratio, nec sacrificium vllum præcipitur, sicut somniant Pontificij. Nam quibus dictum est, Accipite, comedite & bibite: his quoquè dictum est, Hoc facite in meam commemorationem, propterea hæc duo non volunt esse separata.

RESPOND.

Primò, ex quo necesse est, quòd panis in corpus & vinũ in sanguinẽ, sit consecratũ & trãssubstãtiatũ & immutatũ, antequàm accipitur, quomodò comedere & bibere præcedit facere, quandò per illius Facite, mandatũ & potestatẽ, consecratur panis in corpus, & vinũ in sanguinem. Necessè est ergò, Hoc facite, id est, consecrate panẽ in corpus &c. præcedere mãducationem seu communionem, & nõ omnibus æquè dictum est, Hoc facite, id est, consecrate: sicut omnibus dictum est ex æquo, comedite & bibite. Ob id rectè docetur in Ecclesia, quòd Apostolis & illorum successoribus collata est potestas primò cõsecrandi panem in corpus &c. ibi sunt ordinati ipsi Apostoli à Christo Pontifice in sacerdotes, nempè quandò dixit, hoc facite: deindè quandò dicit, in meã commemorationẽ. vtrunq; Christus complexus est, id est, id quod fecit in cœna, quandò se patri sub speciebus panis & vini obtulit, implens figurã & sacerdotiũ Melchisedech, Psal. 109. Tu es sacerdos, &c. deindè id quòd dicit, in meam commemorationem, id est, actus & sacrificij crucis, Luc. 22. Vtrunq; ergò fit in memoriã Christi, & quòd se bis obtulit, id est, in cœna & in cruce: cùm ergò prima oblatio, qua Christus in cœna se patri obtulit, non fuit pœnalis, ideò illã nos repræsentare & eam vsurpare iussit, nõ alteram pœnalem crucis. Ob id sacerdos in Missa vtriusq; habet memoriam: vnam facit in re, id est, oblatione corporis & sanguinis sub speciebus panis & vini: alteram commemorando in mente, id est, actum ipsum crucis. Ob id Missa est sacrificiũ, & memoria sacrificij: Sacrificiũ, eò quòd ibi offertur (sicut Christus ipse obtulit) patri sub speciebus panis & vini corpus & sanguis eius: memoria autẽ est pœnalis sacrificij crucis ac cruenti. Deindè nõ negamus quòd cõmunio pertineat ad totã actionẽ Christi: ideò omnes sacerdotes celebrãtes etiã cõmunicant, & si qui alij sunt adstantes, qui cupiunt quoquè cõmunicari, illis minimè negatur: & optandũ esset, vt nunquàm fieret Missa sinè communicantibus. Quia aũt numerus cõmunicantiũ non est Christo præscriptus, satisfit Christi institutioni, etiamsi solùm vnus sit, id est, celebrans qui cõmunicat, quandò & hæretici sæpè solùm vnum infirmum cõmunicant, vel ipsi alios cõmunicando non cõmunicãt etiam. Missa igitur habet totam actionem Christi iuxta eius institutionẽ. nam ibi iuxta præceptũ illius fit memoria vtriusq; sacrificij, & cõmunio saltem sacerdotis, si plures haberi non possunt. Mendaciũ verò est hæreticorũ, quo dicunt, quòd sic tractetur ac diuidaẽ actio & opus Christi, quòd sacerdotes solùm offerãt, & non cõmunicent vel alios, vel seipsos cõtra institutũ Christi. Nam nulli sacerdoti licet celebrare sinè communione: ob id in Missa tota actio fit, id est, Hoc facite: deindè, Comedite & bibite: tertiò, in memoriam vtriusq; sacrificij tàm cruẽti quàm incruenti. At instant hæretici, asserentes, non posse doceri, quòd Christus in cœna sub speciebus panis & vini seipsum obtulerit patri, dicẽte Apostolo Heb. 10. quòd vnica oblatione, id est, in cruce &c. Ergò hęc cõmemoratio non potest trahi ad duo sacrificia Christi, id est, quòd Missa sit memoria vtriusq; sacrificij.

RESPON.

Scriptura duo de Christo testatur: primò, quòd debeat esse sacerdos, & fungi suo sacerdotio, sicut Dauid Psal. 109. inquit primò, Tu es sacerdos: secundò, in æternũ: tertiò, secũdùm ordinem Melchisedech. Christus igitur verus sacerdos & summus Pontifex noui & veteris Testamenti, deindè in æternum, non ad tempus aliquod, sicut Aaronicum sacerdotiũ, nec ad offerendum eo modo sicut Aaron animalia irrationalia, sed secundùm ordinem Melchisedech, id est, eo modo sicut Melchisedech fecit: quid autem fecit? obtulit Deo panem & vinũ, erat enim sacerdos Dei altissimi, Gene. 14. Hoc sacerdotali & Melchisedechico officio perfunctus est in cœna Christus, vbi panem & vinũ, non simpliciter panem & vinum obtulit. qualis enim hæc fuisset oblatio, patri offerre fragmentum panis & calicem vini? Sed seipsum sub speciebus illis panis & vini, sicut ipse dicit, Hoc est corpus meũ, postquàm benedixisset &c. ibi seante mortem patri obtulit, vt hanc scripturã impleret, quòd esset sacerdos & oblaturus

ſicut Melchiſedech fecit, quã aliàs nũquàm legitur cópleuiſſe, & hoc idem iuſſit facere apoſtolos, & illorũ ſucceſſores, dicens: Hoc facite in meam cõmemorationem, id eſt, cóſecrate, offerte & diſtribuite, &c. ibi itaq; ſacerdotió nouum & ſacrificium nouum, quod in Eccleſia vſq; in finem mundi durabit, inſtituit ſummus Pótifex Chriſt° & ſacerdos. nec poteſt dici, qoòd Chriſtus tũc compleuit ſacerdotiũ & oblationem ſuam, quandò pepẽdit in cruce. nam in hac non obtulit patri panem & vinum, aut ſeipſum ſub illis ſpeciebus, ſed ſanguinem & corpus ſuum viſibiliter, ſicut dicit Apoſtolus Hebr. 9. Proprio ſangoine ſuo ſemel introiuit in ſanƈta ſanƈtorũ, ibi patitur & viƈtima fit pro peccatis totius mũdi, Eſa. 53. & Ioan. 1. Eccè agnus Dei. Rom. 4. moritur pro peccatis noſtris, & offert pro peccatis noſtris vitam & ſanguinem. In cœna autem non ſe pro redemptione mundi obtulit ſub ſpeciebus panis & vini, nec illa oblatione tranſtulit peccata noſtra, aut ſatisfecit pro eis, nec fuit propitiatio & reconciliatio totius mundi, nec meruit nobis vitam æternam: ſed ideò faƈta eſt illa oblatio in cœna, vt impleret ſcripturam, Tu es ſacerdos in ęternũ &c. deindè, vt inſtitueret incruentum & immortale ſacrificium, quo memoriã ſemper haberemus ſacrificij crucis, nè illius beneficij vnq obliuiſceremur, Luc. 22. Hoc facite in meã commemorationé. Poſtremò, vt per ſacrificium noſtrę preces & petitiones offerantur Deo patri, & ſiſtamus ipſi Chriſtum filium ſuum in omni neceſſitate noſtra, vt propter ipſum nos participes faciat virtutis, efficaciæ & meriti paſſionis ſeu ſacrificij crucis ſuæ, vtque propter hoc ipſum nos liberet ab omni malo: ob id eũ conſtituit eum propitiatorem in ſanguine ſuo. Rom. 3. Deus miſit filium ſuum, 1. Iohan. 4. Propitiatorem pro peccatis. Ex qoo ergò cõſtitutus eſt, ppitiator & thronus gratiæ propter effuſum ſanguinem ſuum, ideò per fidem appræhendimus & omnem gratiam in nomine eius.

Patet igitur quòd hoc ſacrificiũ ſeu oblatio cœnæ non derogat in vllo ſacrificio crucis, immò propter memoriã eius perpetuò ſeruandam in cordibus fideliũ inſtitutum eſt: nec eſt aliud ſingulare, nouũ, aut diſtinƈtum ſacrificium in ſubſtantia, ſed vnũ & idem. Nam idem corpus & ſanguis Chriſti in vtroq; ſacrificio, ſed ſolum alio modo offertur in cœna, & alio modo oblatus eſt ſemel in cruce, & ſic ampliùs nó offertur, quia ampliùs nó morif, Rom. 6. Hæc eſt doƈtrina & fides Eccleſiæ ante mille trecentos annos: ità teſtatur S. martyr Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. vt in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem benediƈtio circa Abraham poſſet ritè celebrari, pręcedit antè imago ſacrificij in pane & vino conſtituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtũ vino obtulit, & qui eſt plenitudo, ille veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit, &c. Sic quoquè teſtatur Hiero. ad Euagrium, Auguſtin° de doƈtrina Chriſtiana lib. 4. cap. 21. Ambroſius de ſacra. Arnobius in Pſal. 109. vbi dicit de Chriſto, per myſteriũ panis & vini faƈtus eſt ſacerdos ſecundùm ordiné Melchiſedech, qui ſolus inter omnes ſacerdotes obtulit pané & vinum, quandò Abrahã cum viƈtoria redijt è bello, Gen. 14. Sic quoquè Damaſcen°, Theophylaƈtus, & alij orthodoxi & claſſici doƈtores: cùm igitur habeam° firmiſſima teſtimonia veterũ Patrum & perpetuum ac vniuerſalem vſum huius ſacrificij Miſſæ, quid curemus hæreticorũ vaniloquia, mẽdacia & blaſphemias? Ordinauit igiť Chriſtus per hęc verba, Hoc facite in meam cõmemorationé, ſacerdotium euangelicum, quod offerret ipſum vſq; ad nouiſſimum diem patri ſub ſpeciebus panis & vini, & hoc ad memoriam vtriuſq; ſacrificij, & vt noſtras precationes per ipſum & meritum eius ad patrem dirigamus, &c.

OBIECTIO HAERETICA DE RAPINA CORPORIS ET SANguinis in Eccleſia. Cap. 60.

Pontificiiã antè rapuerũt vſum alicis, id eſt, ſanguinem Chriſti Eccleſiæ, quam ſanguine ſuo liberauit Chriſtus: & iam quoquè laborant vt rapiant etiam corpus & totam communionem, ità vt ſolùm Miſſarij ſacerdotes totó ſibi vendicent corpus, comedentes corpus & bibentes ſanguiné ſoli, vt ſic Miſſas ſuas vendant, & theſauros congregent, & laicis nihil relinquant: nam dicũt, quòd Chriſtus tãtùm diſcipulis ſuis dixerit qui erant in cœna, Accipite, comedite, bibite, hoc facite, &c. non laicis, & verba illa, Bibite ex eo omnes, referunt ad ſolos Apoſtolos, & ſic totũ tribuunt apoſtolis, manducationé & bibitioné, & quòd illis hoc totum negocii ſolis ſit cõmiſſum, & eorũ ſucceſſoribus, quales ſe eſſe dicũt; & ſolos poſſe traƈtare, offerre & cómunica

re hoc

re hoc sacramentũ,& non laicos, eò quòd nulla mentio de cæteris Christianis in cœna facta sit,&c. Sed falsum hoc est, quia Apostoli in cœna repræsentãt totam Ecclesiã: ideò quod instituitur & dicitur ibi, non illis solùm instituitur aut dicitur, sed toti Ecclesiæ, Accipite, comedite, bibite, hoc facite,&c. hęc sibi inuicèm cohærent. Vndè sequatur necesse est, quòd communio & eucharisticum opus vna res sit, id est, cõmunicare & facere, & quòd hoc verbum, facite, nihil aliud designet, nisi sacramentum hoc distribuite & communicate: ideò sacerdotium est solum externum ministerium seu officium, quod dispensat sacramentum,& ex præcepto Christi cõsecrat, si modò sacerdos sit à cõmunione populi vocatus: & non est specialis authoritas vel potestas, sicut de suis sacerdotibus somniant.

RESPON.

Vtrunq; fictũ & commentũ est ab hæreticis, neque enim sanguinem, neq; corpus rapimus laicis, quandò sub vna specie vtranq; id est, corpus & sanguinẽ, illis distribuimus: nõ enim corpus Christi diuidi aut separari potest à sanguine: Quin ipsi potiùs fures & raptores sunt: nam rapiunt de sacro corpore Christi Deitatem, & denegant ei adorationẽ: Immò diuidunt & furantur sanguinẽ à corpore Christi: non enim credũt, quòd simul & semel sunt in vna hostia corpus & sanguis: immò priuãt verbum Dei sua efficacia & virtute, quia dicũt nihil esse verba consecrationis per sacerdotem prolata, sed si ipsi credunt, inquiunt, illorũ fides cõsecrat & facit sacramentũ, vt si credant quòd hîc est corpus & sanguis Christi, tunc est: sin minùs credũt, tunc non est. Deindè quòd Christus hæc verba, Accipite, comedite, & bibite,& facite, solùm dixerit ad Apostolos, testantur euangelistæ Matt. 26. Luc. 22. Mar. 14. legatur enĩ sinè priuata cõtradictione textus ipse, & iudicet quisq; secundùm conscientiam suã, an mentionẽ aliquã Christus fecerit laicorũ, & quomodò, aut qualiter ipsis sit porrigendũ sacramentum, an sit expressum mandatũ Apostolis factũ, vt communicẽt cęteros Christianos vel sub vtraque, vel sub vna specie: quia si verbo Dei nihil est addendũ vel adimendũ, ostendãt vel vnũ verbũ quod locutus sit Christus, quòd extra cœnã sic vel sic debeãt cõmunicare laicos. Prætereà doceãt, quarè Apostoli nõ statim hoc vsi sint sacramẽto infra tẽpus resurrectionis & pẽtecostes, vbi spiritussanctus illis dat⁹ est, Act. 2. Sed solùm post aduentũ spiritussancti vsi sunt, & túc erant perseuerãtes in oratione, & fractione panis: cur non vsi sunt hoc sacramento Apostoli in illa cõgregatione ante aduentum spiritussancti, quam Lucas cõmemorat Acto. 1. vbi etiam fuit mater Christi, si hæc verba, Accipite, comedite, bibite, facite, ad omnes homines dicta sunt, cur nõ vsi sunt hoc præcepto tot diebus interiectis, & cùm maximè seruiret tyrannis? Et quis Apostolorum, qui fuerunt in cœna cum Christo, (fuerũt autem cum eo duodecim, teste Luca) post se scriptũ reliquit de sacramento illo & illius forma & vsu, quomodò vel laicus vel sacerdos esset cõmunicandus? Paulus enim non fuit cũ cæteris in cœna: doceant hoc hæretici. Prætereà si repræsentãrunt Apostoli in cœna totam Ecclesiam ant Christi communionem, ergò & in alijs repræsentãrunt, & in hoc Ecclesiam vniuersam, quòd illis dicit, Vos omes scandalũ patiemini in me in ista nocte, & mox ibidèm, & relicto eo, omnes fugerunt: omnes, inquit, ergò oportet sic totam Ecclesiam scandalizari & negare Christum. at cùm hoc non ità sit, quia plerique sanctorum sanguine suo testati sunt Christum, & non fugerunt: ideò elici non potest, quòd illa verba dicta Apostolis, Hoc facite, comedite, sint dicta omnibus, Id est, toti ecclesiæ: deindè, si multùm certant, quòd Apostoli hîc reprę̃sentãrũt totã ecclesiã: cur non quoquè cõcedunt etiam Concilia generalia legitimè congregata, repræsentare Ecclesiam? Ecclesia autẽ habet verum sensum & intellectum verborũ Christi, & potestatẽ ordinandi circa sacramenta, si quæ Christus non ordinauit, vt circa baptismũ: quòd etiam infantes qui nondùm credere possunt, baptizari debeant: circa cœnam dominicam, quòd non vesperè, sed manè communicandũ sit, &c. an promiscuè laicis & sacerdotibus vtraq; species porrigẽda sit, &c. Ex nudis verbis Christi in cœna doceri nõ potest, quòd etiam laicis aut cæteris Christianis porrigẽda sit Eucharistia, non dicam, an sub vtraq;, vel sub vna: sed spiritussanctus post ascensionẽ Christi reuelauit hoc Apostolis, quòd etiam laicis & omnibus fidelibus dandum esset sacramentum, idq; Apostoli iam sub vna, iam sub vtraque specie fecerunt, quia certum mandatum super hoc negocio nõ habuerunt. Sic etiam Paulus dicit, se à domino, id est, spiritusancto accepisse quod tradidit eis, Id est, Corinthijs, 1. Corin. 11. Nam ipse non fuit cum Apostolis in cœna.

quia aũt Christus cõmunicauit apostolos in cœna sub vtraq;, & extra cœnã discipulos sub vna eũtes in Emaus, ergò vtraq; cõmunio licita est sinè periculo, prout Ecclesia statuit ad vitandũ schisma. At q sic vrgent vtranq; speciẽ, doceant an maior remissio peccatorum, & maior gratia & salus contingat cõmunicantibus sub vtraq;, vel sub vna: si dicunt, quòd sub vtraq;, respõdeo quòd neq; consecratio, neq; vtriusq; vel vnius speciei cõmunicatio meretur remissionẽ & salutẽ. At inquiũt: Christus sic instituit: ait enim, bibite ex eo oẽs. ô bone, discipulis ibidèm pręsentibus hoc dixit Christus. aliàs enim Marcus euangelista mentitus esset, qui ait bibisse ex eo omnes, si Christi fideles biberunt ex eo oẽs, certè magnus calix fuit, & plures cũ Christo accubuerũt in mẽsa, q̃ duodecim Apostoli, quod falsum est. Institutio ergò illa prima Christi, ad Apostolos pertinebat & eorum successores, quibus hoc sacrificiũ commisit. Quòd verò ad verba Pauli attinet, 1. Cor. 11. de sacramẽto hoc, sciendũ est quòd ipse non instituit sacramentum, sed tantùm cõmemorat modũ & formam, quomodò Christus corã apostolis in cœna instituit, & quid locutus fuerit, & quid fecerit. sic enim ait, Ego accepi à Domino, scilicet reuelãte spiritu sancto, quia nõ fui cũ ipsis apostolis in cœna, quòd in illa nocte in qua Christus tradebatur, accepit Iesus panem, & gratias agens, fregit & dixit, Accipite, &c. Similiter & calicem, postq̃ cœnauit, dicens: Hic calix nouũ testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescunq; biberitis, in meam commemorationẽ &c. Sic Christum celebrâsse cœnam, & hoc per ordinem gessisse, & sic communicâsse Apostolos in cœna, dicit & recenset sibi reuelatum esse: & deindè monet eos de cauendo abusu, & quatenùs seipsum homo probet antequàm communicet, quod Christum monuisse non legimus. Porrò non idem sunt, facere & communicare: aliàs enim omnis laicus posset accipere in manum panem, cõsecrare & communicare: at sacerdotium Apostolicum solum habet potestatem sacramentum consecrandi, & offerendi in ministerio iuxta mandatum Christi summi sacerdotis, sed in hoc laborant hæretici, vt hunc honorem derogent sacerdotibus, vtque idem sit laicus & sacerdos, idem consecrare & manducare, sed doceãt hoc suos Pickardos, Ecclesia id nunquàm suscipiet.

OBIECTIO, QVOD HOC FACITE, ET COMMVNICARE, vna res sit.
Cap. 61.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Pontificij diuidũt illa duo, facere & cõmunicare, itã quòd per hęc verba, Hoc facite, Luc. 22. volut probare suũ sacerdotium & suã oblationem Missalem, & singularẽ dignitatem, singulare opus sacrificij instituẽtes, id quod Christus nunquàm ità sensit: sed potiùs hoc verbũ, facite, pertinet ad cõmunionẽ vel ad dispensationẽ corporis & sanguinis Christi: facite, id est, manducate & bibite, sicut nunc fecistis: ergò hoc facere debemus, id est, sacramentũ accipere: sunt enĩ vna res, facere & cõmunicare, facite & cõmunicate in meam commemorationẽ: non hîc Christus cõstituit Missales sacerdotes vel sacrificulos: non iussit vt se offerrent nouo & speciali sacrificio, extra illud propitiatoriũ opus Esa. 53. & Philip. 2. ideò quisquis habet à populo potestatem & functionem sinè omni inunctione, chrismate ac consecrationẽ episcopali, ille debet accipere panem, & super eo dicere verba Christi, & communicare populum: & hoc significat facere & cõmunicare, quia tota actio compræhenditur in illis verbis. Qui ergò diuidunt communionem à facere, illi cõtra Christũ agunt. RESPON.

Primò neminẽ arbitror tàm obstinatæ esse mẽtis, qn cupiat & velit priùs panẽ in corpus Dñi, & vinũ in sanguinem esse consecratũ antequàm sumat: ideò oportet cõsecrationem necessariò præcedere cõmunionẽ: quod si verum est, (sicut negari nõ potest) quomodò vna res sunt, consecrare & communicare sacramentũ? Præterea Ecclesia hoc verbum, facite, intelligit primò pro consecrare, pro potestate consecrandi panẽ in corpus, & vinũ in sanguinẽ, quam dedit Christ⁹ apostolis & eorũ successoribus: & hęc potestas est singulare donũ, nõ cõmune omnibus baptizatis: nã Timotheus erat baptizatus, attñ Paulus ipsi imposuit manũ, 1. Tim. 4. & authoritate presbyterij accepit speciale donum, quo accepit potestatem fungendi officio & sacra faciendi: ideò hoc verbum Christi ad Apostolos, Hoc facite: accipitur pro authoritate & pręcepto cõsecrandi corpus Dominicũ. Deindè intelligit etiã Ecclesia hoc verbũ pro offerre in mysterio, non pœnaliter

Christum

Christum sub speciebus panis & vini, sicut ipse Christus in cœna fecit: iuxta ordinem, id est, modum & formam Melchisedech, & hoc facere præcepit Apostolis & illorũ successoribus in memoriã passionis eius. Postremò non negamus quòd populo licentia datur, vt accipiat iam consecratum panem: sed quòd consecrare, & communicare sacramentum, idem sit, falsum est: nec verum est, quòd laicus non consecratus, nec speciali dono præditus, consecrare & dispensare possit: hæc enim hæretica Pickardorum est licentia. Vide latiùs in capitulo de sacramẽto ordinis. Facere ergò, quo ad cõmunionẽ, solùm intelligitur pro facultate cõmunicandi. quis enim auderet cõmunicare, nisi Christus iussisset & dixisset, Facite hoc in meam cõmemorationẽ, &c? Distincta ergò sunt opera, consecrare & cõmunicare: sacerdos vtriusq; habet potestatem, consecrandi & communicandi. Laicus solùm communicandi habet potestatem, & non consecrãdi: Christus iubet laicos cõmunicare corpus & sanguinẽ suũ, sed non iubet consecrare & offerre: ideò cõmunio non pertinet ad consecrationẽ, sed sequitur cõsecrationem: nec Christus coniunxit, cõsecrare & communicare, sed facta antè consecratione corporis & sanguinis Christi, tunc primùm incipit tota actio, Accipite, comedite, &c. ideò consecrare & offerre, non pertinent ad communionem. Christus priùs cõsecrauit panem in corpus, & vinum in sanguinem suum, & posteà dedit illis: ergò opus consecrationis præcedit opus cõmunionis, sic eodem ordine iubet primùm consecrare, & dicit, Hoc facite: deindè, vt communicent ipsi & alij: propterea de communione nõ certamus, sed de potestate consecrandi. nam illa potestas seu ordo sacerdotalis oportet vt præcedat: non ergò vna res est, sacramentum benedicere & communicare: ex quo sequitur differẽtia inter sacerdotem & laicum: Sacerdotem oportet priùs ordinari, & potestatem accipere per impositionem manuum consecrandi, antequàm communicet ipse, vel alios communicet: laicus nulla indiget consecratione, sed solùm accipit consecratum sacramentum. Quòd autem dicunt, hanc potestatem cõsecrandi esse penès omnes, quodq; omnes baptizati sint sacerdotes sinè vnctione vel ordinatione episcopali, si modò ab aliquo populo vocati fuerint, id Ecclesia nõ concedit, neque credit illam sacramenti consecrationem, quam laicus facit, esse efficacem: qui autẽ credit laicos posse consecrare hostiam, cùm careat dono sacerdotij, ille contra fidem Ecclesiæ agit, & se ipsum decipit, nec multùm differt à sacramentarijs, qui solum signum somniant.

OBIECTIO DE VERBO SACRIFICARE. Cap.62.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Pontificij non rectè intelligunt verbum hoc sacrificare. nam illud tantùm ad Missæ sacrificium torquent, vbi sub speciebus panis & vini volunt Christum adhuc semel offerre Patri, & aliud quoddam & nouum sacrificium instituere præter illud sacrificium in cruce factum, & dicunt, quòd per vtrunque sacrificium Deus reconcilietur tàm defunctis quàm viuis, & ità celebrant nouũ suum & à se inuentum sacrificium, æquantes illud sacrificio crucis, quod falsum est. Quòd autem sancti Patres etiam vsi fuerint eo vocabulo, sacrificare, id tamen alia ratione & fine factum est, quàm Pontificij faciunt. Nam illi non particulariter vel tantùm de vini & panis sacrificio locuti sunt, sed vniuersali modo comprehendentes quæ Christus celebrauit & instituit, id est, Comedite, bibite, facite in meam commemorationem: hæc simul vocârunt, laudis, gratiarum actionis, & commemorationis sacrificiũ: ideò offerre nihil aliud significat, quàm cœnam dominicam celebrare, & corpus ac sanguinẽ Christi dispensare, sicut Christus fecit: ideò sacrificium non est ità intelligendum aut trahendum, sicut à Pontificijs fit.

RESPON.

Christus se primùm obtulit Patri sub speciebus panis & vini, antequàm dixit Apostolis, Accipite, comedite, bibite, ergò offerre & manducare non sunt idẽ. Quòd se obtulit Christus in cœna secundùm ordinem Melchisedech, manifestum est, Psal. 109. sicut credunt & docent omnes catholici doctores: nam non possunt ostẽdere hæretici, vbi aliàs Christus impleuisset hoc sacerdotium suum Melchisedechicum: ergò rectè verbum, sacrificare, accipitur pro eo sacrificio, vbi Christus sub speciebus panis & vini patri offertur in Missa. Deindè quòd hoc vocabulum, sacrificare, etiam de alijs rebus potest intelligi, non negamus: sic est sacrificium laudis,

dis, oratio, prædicatio, gratiarum actio. Sic opera dilectionis dicuntur sacrificia, Hebr. 13. Sic obedire Dei præceptis, dicitur sacrificium iustitiæ, Psal. 4. & Eccles. 35. Deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustitia. & Paulus Rom. 12. vocat sacrificium Deo acceptabile, mortificare veterem hominem,& obedire diuinæ volũtati. & ad Philip. 2. vocat fidem in Christum, sacrificium: at huiusmodi appellationes sacrificij, non derogant vero sacrificio Missæ, quò minus rectè sic nominetur. Præterea SS. Patres nominarunt vniformiter sacrificium altaris verum sacrificium, & eo intelligi & accipi voluerunt hoc sacrificij vocabulũ, nempè quòd senserunt de sacrificio corporis & sanguinis CHRISTI sub speciebus panis & vini secundùm ordinẽ Melchisedech, & non de alijs sacrificijs, qualia sunt oratio, prædicatio, gratiarum actio, commemoratiuum sacrificium,&cę. Tametsi comedere & bibere in memoriam passionis, etiam poterit dici sacrificium gratiarum actionis, commemorationis sacrificium, laudis, &c. non tamẽ pertinẽt hæc ad opus oblatiõis & consecrationis, quod ratione oblationis dicitur magis propriè sacrificium: nequaquàm igitur acceprat Ecclesia quòd idem sint offerre & manducare, nec quisquam doctorum veterum sic intellexit. Porrò quòd cauillantur, quasi sacrificium altaris æquemus sacrificio crucis,& quòd dicamus vtrunque reconciliare Deo tam viuentes, quàm mortuos, & quòd mereatur remissionem & salutẽ, hoc mendaciũ est: nam solum sacrificium crucis reconciliat Deo viuentes & mortuos,& tollit peccata,& donat vitam, hoc solum reperit æternam redemptionẽ. Esai. 53. Ipse peccata nostra portauit Iohan. 1. Ecce agnus Dei, 1. Iohan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & 1. Pet. 1. non corruptibilibus auro & argento empti estis, &c. Solum Christum constituit propitiatorem in sanguine suo, Rom. 3. 1. Iohan. 4. Sola igitur virtus huius sacrificij crucis, efficax est ad hæc omnia operanda & impetranda. Sacrificium verò altaris non reconciliat nec meretur remissionem, nec dat salutem, sed est memoria sacrificij crucis: deindè est petitio & obsecratio, vt illud sacrificium Crucis in nobis sit efficax tàm viuentibus quàm defunctis, & signanter deprecatiua & obsecratiua applicatio omnium illorum, quorum specialem agimus memoriã in Missa, vt Deus propter sacrificiũ Christi in cruce misereri dignetur illorum nobis recõmendatorũ. Postremò est præcepti Christi adimpletio, quia præcepit hoc ipsum opus sacrificij in cœna, dicens: Hoc facite. Præterea hoc altaris sacrificium non est derogatio vel obscuratio sacrificij crucis, neque hoc per illud diminuitur in minimo, sed potiùs honoratur & solennizatur: nam primò non tribuimus illi sacrificio remissionem & salutem, quòd tribuimus solùm sacrificio crucis, nec facimus diuisionem per hoc altaris sacrificium à sacrificio crucis, cùm idem sint in substantia, id est, idem corpus & sanguis effusus in cruce, hoc idem est in altari, licèt alio modo, id est, inuisibiliter & immortaliter & incruentè, in cruce autem visibiliter, pœnaliter & cruentè: in cruce seipsum, vt victimam patri obtulit pro peccatis totius mundi: in altari sistimus eum Patri, petentes & obsecrantes efficaciam illius sacrificij crucis, vt promerita salus nobis communicetur & approprietur, vt eius fiamus participes. At dicunt, Quid opus est Missa & huiusmodi oblatione? credo CHRISTVM pro me passum, & hæc fides mihi appropriat Christum & meritum crucis eius, sinè oblatione Missæ.

RESPON.

Si Christus solùm iussisset credere, & nihil aliud facere, tunc vera viderentur quæ dicunt, sed Christus non solùm credere iubet, sed etiam orare, eleemosynam dare, ieiunare, mandata sua seruare, Matt. 19. Exod. 20. ad quid hæc præcipiuntur? an vt mereantur gratiam passionis Christi? Absit. Gratia sic gratia dicitur, quia gratis datur, Rom. 10. Ad quid ergo? ad retentionem, vt efficacia passionis Christi retineatur, ideò Missa est oratio, vt distribuatur virtus sacrificij crucis CHRISTI, & retineatur, nè iterùm eam amittamus: ideò tametsi fides propria appræhendit, attamen vt distribuatur & retineatur, prodest oratio & petitio aliena: sic Missa & sacrificium altaris proderit. In summa, omnia opera quę nos in hoc mundo facim⁹, siue sint orationes, ieiunia, eleemosyna, Missa, cultus diuinus, religio, obseruantia præceptorum, vsus sacramentorum, &cæt. non ideò à nobis fieri debent, vt his velimus mereri remissionẽ & salutẽ: nam vnicũ est propitiatoriũ, id est, Christi sacrificiũ crucis, quod semel meruit omnibus & toti mundo salutem. Ideò

in alium finem debent fieri nostra opera, nempè vt nos reddamus habiles ad suscipiendam gratiam per fidem, id quod non faciunt infideles: deindè quòd retineamus apprehensam gratiam, ideò virtus remissionis peccatorum & salutis, semper manet apud sanguinem crucis CHRISTI. Omnia quæ de nostris facimus, sunt petitiones pro distributione & conseruatione beneficij crucis impetranda. Sic CHRISTVS non solùm iussit credere, sed etiam offerre: Deindè manducare & bibere corpus & sanguinem suum in memoriam eius: ideò solùm credere velle, & contemnere præcepta euangelica CHRISTI, maximè si non obstet sufficiens causa, hoc est erroneum, & obstinatæ mentis prætextus & argumentum, vt sic elabantur: stat enim hoc præceptum, Hoc facite in meam commemorationem: non dicit solùm, Hoc credite, licèt fides necessariò exigatur: non tamen sic elaberis cum sola tua fide, quia non sufficit. Tametsi virtutem & efficaciam meriti CHRISTI quilibet per fidem suam appropriat & applicat sibi quotidiè sinè vsu etiam sacramenti huius, tamen ad confirmandam fidem salubris est externa communio sacramenti, propter promissionem diuinam circa externa elementa factam, per quæ infirmi in fide corroborantur.

OBIECTIO HAERETICA DE MISSA PRIVATA. Cap. 63.

PONtificij per suas angulares & priuatas Missas horrendam planè idololatriam instituunt, & irrisionem CHRISTI, quia ipsi non dispensant in illis clancularijs Missis corpus & sanguinem CHRISTI iuxta clarum eius præceptum, Hoc facite in meam commemorationem, Comedite & bibite, Luc. 21. nec sacramentum rectè tractant: quarè fugiendæ sunt angulares ipsorum Missæ tanquàm idolum. RESPOND.

Primò nouit ecclesia iamdudùm prophetiam Danielis, qui cap. 9. prædixit, Antichristum oppressurum esse iuge sacrificium in ecclesia ad tempus, sed nihilominùs ecclesia non cedit iam illius præcursoribus hæreticis, sed seruat morem veteris Ecclesiæ celebrando Missam tam priuatam quàm publicam, tanquàm rem salutarem & pium ac sanctum opus, quo maximè passio CHRISTI commemoratur, honoratur & solennizatur. Nam hoc certum est, quòd nullus cultus diuinus in ecclesia totius mundi tractatur, in quo ità magnificè, gloriosè ac solenniter & deuotè passio CHRISTI & preciosum meritum sanguinis eius recolitur, repræsentatur ac honoratur, sicut in Missa, siue priuata siue publica fit, quæ cum omnibus suis accidentalibus, gestibus, cæremonijs, vestimentis, verbis & signis nihil aliud est, quàm viua & expressissima imago & figura passionis CHRISTI Domini nostri, si modò quis singula eius verba & signa rectè aduertat, consideret, & excutiat, sinè dubio in animo ipsius hærebit verus affectus erga preciosissimā mortem CHRISTI, & ità in deuotione & fide sua accendetur, & cor ipsius mouebitur, vt nullo alio cultu aut externo opere magis erga recolendum mysterium & beneficium passionis CHRISTI & redemptionis nostræ. vndè & mouebitur ad deuotissimè orandum & obsecrandum Deum Patrem cælestem vt sibi omnia sua peccata per meritum crucis filij sui clementer remittere dignetur: tales fructus secum fert sacrum officium Missæ. Est autem Missa aliud nihil, nisi opus in quo præcipuè verba CHRISTI tractantur Matth. 26. Hoc est corpus meum, quòd pro vobis tradetur: Hic est sanguis meus, qui pro vobis & multis effundetur in remissionem peccatorum: accipite, comedite, & bibite in meam commemorationem. In istis verbis tota vis & substantia Missæ sita est: omnia alia quæ circa Missam leguntur, id est, orationes, laudes, gratiarum actiones, ornatus vestimentorum ac cæremoniarum, non sunt propriè Missa, sed fiunt in eum finem, vt sacramentum cum maiore solennitate ac reuerentia consecretur ac conficiatur. ità enim ab initio Ecclesiæ SS. Patres ex instinctu Spiritussancti fecerunt. Nam DEO nostro sit iocūda decoraq; laudatio. Psal. 146. Sacerdos igitur celebrans tria facit istis verbis Christi. Primò cōsecrat panem in corpus, & vinum in sanguinē virtute Christi, cuius personam agit: deindè orat pro tota Ecclesia & sibi commissis, vt hæc virtus & promissio passionis, id est, corporis traditio in mortem & effusio sanguinis eius sit efficax, salutare & auxiliare omnibus, pro quibus fiunt preces, vt tollātur peccata, & donetur illis ꝓmerita per passionē Christi

ſalus æterna: ideò ſacerdus in omni Miſſa ter orat, Agnus Dei qui tollis peccata mūdi, miſerere nobis, Iohann.1. non ipſa Miſſa quam nos facimus, eſt agnus Dei qui tollit peccata &c. Sed ipſe Chriſtus, meritum & paſſio eius, ab illa eſt virtus: noſtrum opus Miſſæ eſt ſola petitio ad Deum, quatenùs nobis hæc virtus applicetur: tertiò ſacerdos accipit, comedit & bibit ipſe primus: deindè ſi qui adſtantes petiērint, diſtribuit illis in memoriam peragendā paſſionis Chriſti, ſcilicet quòd illius corpore & ſanguine redempti ſumus: nulla ergo Miſſa ſeruatur ſinè diſtributione corporis & ſanguinis CHRISTI & communione, quia omnis celebrans communicat, & ſi qui alij ſunt, illis quoquè diſtribuitur: & quia numerus communicantium non eſt præſcriptus, ſatisfit præcepto Chriſti, Accipite & comedite &c. etiam ſi ſolus vnus ſit aut ſolus celebrans. nā etiam ſolus vnus ęgrotus communicat ſinè alijs etiam apud Sectarios. Prætereà nuſquàm legitur prohibitum eſſe, quòd non liceat vni ſoli celebrare cœnam Domini, ſi non poteſt etiā alios ſecum communicantes habere: ergò Miſſa priuata cùm habet hæc tria iuxta Chriſti inſtitutum, id eſt, ſi conſecrat, cōmunicat, & agit memoriam paſſionis, vel quandò ſacerdos cœnam ſumit, nihil illiciti facit, nec committit idololatriam: ſed etiam circa Miſſam multæ fiunt preces & laudes &cæt. quæ proſunt toti mundo, & omnibus ſibi commiſſis, & omni ſtatui, ſicut Apoſtolus 1. Tim. 3. inquit, vt fiāt obſecrationes, oratiōes pro omnibus in ſublimitate conſtitutis. Sed hæc Antichriſti præcurſores ferre nequeunt. Nam tollere vel abrogare Miſſam, quod Sathan ſummo ſtudio conatur, nihil aliud eſt, quàm memoriam ſeu recordatiōem amariſſimæ paſſionis Chriſti ex cordibus fideliū eradicare ac delere, & homines in deſperationem ducere: ſemper enim tentat Sathanas peccatorem, & ratio noſtra eſt meticuloſa de remiſſione peccatorum impetranda, timens quòd non poſſit aſſequi ſalutem ob enormitatem ſuorum peccatorum, ſicut dixit Cain Gen. 4. maiora eſſe delicta ſua, &c. Vt igitur homo cōfortetur in fide pro conſequenda remiſſione & ſalute, eſt res plena conſolationis, cùm quotidiè audis in Miſſa quaſi Chriſtum dicentem ad te: Eccè hoc corpus meum pro te traditū eſt, hoc eſt, propter hanc mortem poteris impetrare remiſſiōem, ſi pœniteas ex animo, & ceſſes peccare, & credas in me, Marc. 1. Pœnitemini, & credite euangelio: non enī propter ſanctitatem tuam, dignitatem aut merita aſſequeris remiſſionem & ſalutem. Eccè hic eſt ſanguis meus pro te effuſus: illius virtus te iuſtificabit & ſaluabit. modò ceſſa peccare, & crede. Eccè habes meam promiſſionem, tibi tribuam omnem efficaciam & meritum paſſionis meæ. noli deſperare. Iſtius promiſſionis admonet ſacerdos Chriſtū in Miſſa, vt hanc velit præſtare ſibi & commiſſis quibus, & operari, vt ſit efficax: deindè, vt ſimplices laici, qui non intelligūt promiſſionem, eius fructu non priuentur, ſed precibus & obſecrationibus ſacerdotis fiant participes. ſi qui autem ſunt, qui ipſimet hoc facere poſſunt, tanto melius eſt, & ſacerdos non tantùm orat, ſed oſtēdit & eleuat in altum corpus Domini, propter quem Dominum Chriſtum nobis contingit ſalus & promiſſio. Et ſancti patres tradiderūt & permiſerūt, vt quotidiè hæc promiſſio remiſſionis & ſalutis propter mortem & ſanguinē Chriſti celebraretur, nè fieret vlla obliuio meriti Chriſti & paſſionis eius, ſed quotidiè renouaretur, & ſemper ante oculos verſaretur tam precioſum Chriſti meritum, & hinc ordinàrunt quotidianas Miſſas tam priuatas quàm publicas. & dici nō poteſt, quanta hinc deuotio ſit nutrita in populo Chriſtiano, quantæ orationes & preces & gratiarum actiones priuatæ & publicæ: deindè quanta charitas erga proximū, quantus timor Dei, pax religionis & vnanimitas &c. Nunc autem quandò hoc ſacroſanctum miſſę ſacrificium abolet ur & peſſundatur, dici non poteſt, quanta paganitas, quanta præſumptio, temeritas, prophanitas, impietas, irreuerentia Dei, cōtumacia, & quod manib⁹ palpatur, inteſtina diſſenſio religionis, quia in reprobum ſenſum traditi ſunt, indiès magis in mundo oritur? & timendum, nè breuibus pòſt temporib⁹ tota religiōis Chriſtianæ fides pereat, & fiat planè defectus fidei. Quòd autem obijciunt Sectarij, ſe quoquè habere cœnam Domini, communionem ſub vtraque, ſicut Chriſtus inſtituit, & rectiùs quàm nos, Reſpon. quòd illa Sectariorum communio fit extra vnionem Eccleſiæ, & contra charitatem & obedientiam, magis autem ex præſumptiōe & temeritate. nam Paulus inquit 1. Cor. 13. Si habuero omnē fidē &c. Sinè charitate nihil prodeſt. Prætereà illa Sectariorum cōmunio non concordat cum fide communionis catholicæ eccleſiæ. Nam eccleſia catholica credit, in

ſacra-

sacramento esse totum Christum, id est, animam, sanguinem, deitatem, humanitatem &c. Sectarij negant deitatem, & ob id non adorant sacramentū: Ecclesia nostra nō soluit, id est, diuidit Christum, hoc est, sanguinē eius à corpore in sacramento hostiæ, quod illi faciunt, & ob id tātoperè vrgent vtranq; speciē: Ecclesia nostra credit, quòd verba Christi prolata à legitimo sacerdote, consecrent & faciant hostiā, corpus Christi & sanguinem: illi autē volunt, quòd propria cuiusque fides hoc faciat, si modò credat sic: si verò non credat, non esse verum sacramentum. Sed vt hæc ad finem dicamus, si Deo non placet opus aliquod, nec vult munus vllum acceptare ad altare, nisi quisq; fratrem suum recōciliārit Matth. 5. & si non orationes vllæ, non eleemosynæ quicquam prosunt sinè charitate, quam gratiam putas à Deo inibunt cum sua cœna & cōmunione Sectarij, quā ex odio pontificis & omnium catholicorū atq; extra vnionis vinculū celebrant? quicunque ergò vult certus esse de efficacia huius sacramenti, ille maneat & cōmunicet cum ecclesia Catholica: aliàs enim iudicium sibi accelerabit, & tantùm naturalem panem manducabit, &c.

OBIECTIO CONTRA APPLICATIONEM MISSAE.

Cap. 64.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Pontificij docent, quòd priuata Missa sinè cōmunione & dispensatiōe corporis & sanguinis Christi, sit per se sacrificium propitiationis seu reconciliationis cum Deo, & q mereatur remissionem peccatorum & vitā æternam. Item quòd per priuatum Missæ sacrificiū vnicuiq; qui Missā sibi celebrari curat, applicetur & approprietur ipsum CHRISTI sacrificium & meritum &c. quòd falsum est & deceptorium, quia non est sacrificium peccatorum, quod meruit remissionem peccatorū &c. & ipsa fides cuiusq; applicat sibi meritum Christi sinè vlla missa priuata: nulla igitur prodest missa priuata &c. RESPOND.

Primò est apertissimum mēdacium hæreticorum, quod dicunt in Missa priuata non communicari nec dispensari corpus & sanguinem Christi. Nam quid facit sacerdos, quandò ipse inter Missam manducat è patena corpus, & bibit è calice sanguinem Christi? an nō hoc ipsum quoquè est communicare, & sibi ipsi dispensare? at inquis, alijs deberet dispensare, & non sibi ipsi. RESPON.

Proba hoc ex authoritate aliqua scripturæ, sed non potes: sacerdos non denegat alijs quoquè distribuere, si modò adfuerint communicātes: si verò inter sacrificandum & cœnandum nullus adfuerit, dic vbi prohibeatur in scriptura, quòd sacerdos non possit pro se celebrare cœnam Domini iuxta CHRISTI præceptum, id est, consecrare, manducare, bibere, & hoc facere in memoriam passionis Christi? aut cur ipsorum ministri consecrant corpus Domini, & soli infirmo decumbenti, & non simul alijs idem distribuunt, immò nec ipse communicat? Si hoc illis nō videtur esse contra institutū Christi, quomodò priuati sacerdotis Missa erit contra hoc institutū? Apostolus 1. Corint. 11. dicit: Vnusquisq; se ipsum probet, & sic de pane illo edat, & bibat de calice: non dicit, respice alios, quàm multi sint qui tecum communicent &c. non enim est certus numerus præscriptus in vlla scriptura, in duo vel tres simul communicare debeant: nam si hoc oporteret, tunc semper quotiès aliquis infirmus communicaret in periculo mortis, totiès oporteret etiam plures cum eo communicare, quorum il-lud licitè in Ecclesia & apud Sectarios est in vsu, hoc verò fieri non potest: sufficit igitur, vt in hoc sacramento satisfiat instituto & præcepto CHRISTI, nempe si vnus communicat ad memoriam Christi: si enim nullus prorsus communicaret, & solùm Missa legeretur sinè communione, hoc esset contra CHRISTI institutum, qui iubet manducare & bibere. Sed ad minùs omnis sacerdos in priuata Missa sibi distribuit corpus & sanguinē CHRISTI: est igitur commētum hæreticorum, quòd missa priuata fiat sinè communione. Ad secundum, quòd dicunt, Missam esse solùm per se sacrificiū, separatum à sacrificio crucis CHRISTI, & quòd mereat remissionem peccatorum, id quoquè falsò nobis imponunt: docemus enim omnes, quòd vnum & idem est sacrificium crucis & altaris in substantia, quia idem corpus Domini & sanguis eius in vtroque, licèt alio modo offeratur corpus & sanguis in Missa, quàm fuit oblatum in cruce: in hac enim pœnaliter, ibi in mysterio offertur: & ob id semper manet vnicum sacrificium, & non duo sacrificia. Deindè altaris sacrificium, quod solùm est memoria viua victimæ crucis, non me-

retur reconciliationem, remiſſionem peccatorum vel ſalutem æternam: hæc enim omnia transferûtur in ſacrificium crucis, quod ſacrificium ſemel oblatum reperit æternam redemptionem, Hebr. 9. nec ſacrificium altaris fit in eum finem, vt mereatur redemptionem, ſed in memoriam eius ſacrificij, quod ſemel cruento & pœnali modo meruit: deindè dicimus, quod eadem caro & ſanguis in myſterio offertur ſeu præſentatur, & propter id ſupplicatur & oratur, vt virtus & meritum ſacrificij crucis nobis applicetur, & eo fruamur & participes fiamus: nô eſt igitur aliud nouum ſacrificium, quod ex opere operato mereatur remiſſionem, ſed magìs petitio & obſecratio: vt, Agnus dei qui tollis peccata mundi, miſerere noſtri, Iohann. 1. Tota igitur virtus & efficacia ſalutis & remiſſionis transfertur in ſacrificium crucis: nô quærimus à cæremonia Miſſæ ſalutem, ſed à ſolo vnico illo ſacrificio propitiatorio, id eſt, à morte Chriſti, & illius mortis & paſſionis Chriſti memoria, eſt Miſſa. ſed non eſt ipſa paſſio & mors CHRISTI, non eſt ipſe actus crucis: ob id non habet eandem efficaciam remittendi peccata & ſaluandi, ſicut habet ſolum ſacrificium crucis: Deindè, quòd per Miſſam & ſacrificium altaris ex opere operato, id eſt, cùm opus Miſſæ à ſacerdote fit, debeat cæteris ſinè fide appropriari meritum CHRISTI, tanquàm ſacerdos cum miſſa ſua habeat in manu, cui ipſe velit diſtribuere meritum Chriſti & efficaciam, id mendacium eſt hæreticorûm, nec vllus ſacerdotû hoc ità præſumpſit. Sed in Miſſa fit oratio & obſecratio ad Deum, vt ipſe Deus, Deus inquam velit diſtribuere & dare efficaciã meriti paſſiõis filij ſui omnibus fidelibus, & ſignanter omnibus ſibi commiſſis, tam viuis quàm defunctis: miſſa non confert hæc, ſed DEVS donat, maximè permotus noſtris obſecrationibus: An non enim iubemur à Chriſto, vt petamus in nomine ſuo? cur dicit Iohan. 16. Petite, & dabitur vobis? & cur orationem Dominicam communem eſſe voluit, ſi non prodeſſet oratio aliena? ſic Collectæ & preces in Miſſa ſunt ſuffragia pro tota Chriſti Eccleſia, cur ergò Miſſa non poterit prodeſſe etiam alijs? At inquiunt. Sacerdos communicans ſolùm ſibi prodeſt, & non mihi: quis vnquàm docuit quòd alterius communicatio alteri proſit, ſicut nec cibus alterius meum ventrem ſatiat? attamen quæ ſunt in Miſſa, vt preces, obſecrationes pro efficacia meriti crucis Chriſti impetranda in communi, an non proſunt alijs, licèt non ſimul communicẽt? Iamdudùm docuit eccleſia, Miſſam cæteris per modum ſuffragij & orationis prodeſſe, id eſt, quãtùm ad preces & obſecratiões: ſed per modum ſacrificij quod comedit & bibit, id eſt, corpus & ſanguinem Chriſti ſibi, id eſt, communicanti prodeſſe, attamen prodeſſet & cæteris, quotcunque peterent communicare: nulli enim negatur. Sed ſi voluerint, diſtribuitur & illis corpus & ſanguis Chriſti. Præterea poſito caſu, quòd nullus laicorum velit communicare: nunquid igitur ſacerdos debet intermittere officium ſacerdotale, id eſt, non debet celebrare, orare, obſecrare pro alijs, & ſeipſum communicare? non puto: ſatisfit enim Chriſti inſtituto, etiam ſi ſit vnus tantùm cômunicans, nempè ſacerdos, ſi plures haberi non poſſunt: quòd ſi vnus, qui non ſecum habet tres vel quatuor ſodales communicantes, à communione non prohibetur: quarè ſacerdos non poſſit ſolus in Miſſa communicare? ſi illa fuiſſet intentio Chriſti, cùm cœnam inſtitueret, vt nullus ſolus ſumeret cœnam corporis ſui, tunc etiam nunc oporteret ſemper duodecim eſſe ſimul communicantes, ſicut in cœna duodecim apoſtoli ſimul cœnârunt: ſed hoc probari nulla ratione poteſt. In primitiua Eccleſia quotidiè ferè communicabãt, ſed iam ille ſolus, iã alius: ſi ergò ſacerdos pro officio ſuo ſacerdotali, quod illi incũbit, quotidiè communicet, oret ac obſecret Deum per ſacrificiũ altaris pro ſalute populi, qui quotidiè communicare & orare non poſſunt ob ſecularia negocia, an hoc videatur cuiquam abſurdum aut inconueniens? Inſupèr nemo docet, quòd adſtare in Miſſa, videre & adſpicere, cęremoniam, idem valeat quod communicare ſacramẽtum, & quòd ſibi ipſi poſſit applicare efficaciam Sacramenti per viſum & adſpectũ Miſſæ: nam viſus ille & auditus ſinè fide ad Deum & ſinè memoria paſſionis Chriſti nihil prorſus efficient, ſed ſi hoc ſit fide, & corde ad Deũ eleuato, & habita deuota recordatione paſſionis Chriſti filij eius, & cupit ſibi exhiberi promeritam ſalutem & remiſſionem ſacrificio crucis, etiam illo actu non communicet, id non erit ſinè fructu & vtilitate: non quòd ſic mereatur remiſſionem peccatorum, quandò nec per communionem realem illa ſimpliciter acquiritur, ſed fides in ſacrificiũ crucis appræhendit illam, attamen quatenùs

nobis

nobis distribuatur, ad hoc valet vtrunq;. Nec hoc negatur quòd eis, qui in fide sunt infirmi, maiorem consolationem ac confortationem adferat, si realiter communicant, quàm qui spiritualiter propter annexam promissionem: magis enim certificatur per visibilem communionem, quàm per inuisibilem: attamen spiritualis communio, quæ fit per fidem in sacrificiū crucis, propterea minimè est frustranea, immò in necessitate sufficit, iuxta regulam Augustini: Crede, & manducâsti. Et quomodò poterit Missa priuata esse sinè fructu: sacerdos petit, orat & obsecrat pro circunstantibus, & circunstantes hoc ipsum cupiunt, & credunt se participari, atq; ità applicant sibi per fidem, etiamsi actu realiter non communicāt: vbi est scriptura quę docet, quòd remissio peccatorum & salus sit ligata ad realem communionem manducationis & potationis? nusquàm enim reperitur, Christum dixisse, Accipite, comedite, bibite in remissiōem peccatorum
1.Co. 11. vestrorum: sed dixit, Hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur: &, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Nō simpliciter dicit, Corpus hoc edetur, & sanguis bibetur in remissionem &cæ. & quod Ioannes dicit 6. cap. Qui manducat meam carnem, & bibet meum sanguinem, habet vitam æternam: Hoc intelligitur de fide passionis Christi, vt hæretici ipsimet dicunt: nam per fidem manducare corpus & bibere sanguinem, est credere corpus Christi nobis propter peccata nostra esse traditum, & sanguinem eius preciosum effusum in remissionem peccatorum, &c. Ergò hæc fides appræhendit remissionem & vitam æternam, non ipsum opus manducationis & bibitionis. Sic Baptismi efficacia solùm prodest accipienti, sed an non etiam prosunt orationes quas fundit sacerdos ipsi baptizando? vt propria detur fides, vt efficax sit baptismi gratia, & illi distribuatur, vt illi infundatur Spiritussanctus, remittantur peccata, detur salus æterna? Pari modo prosunt orationes sacerdotis celebrantis alijs circunstantibus, vt distribuatur efficacia passionis, licèt actus communiōis solùm prosit communicāti: & si sufficit quòd vnus solus baptizatur, vnus solus pœniteat, confirmetur, cur non sufficit si vnus solus, id est, sacerdos cœnam Domini communicet? Missa non applicat meritum & efficaciam passionis Christi, sed petitio & deuota obsecratio est, quatenùs Deus velit nobis fidelibus illa applicare &c.

OBIECTIO, QVOD MISSA PRIVATA NON POSSIT probari ex scripturis. Cap. 65.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Non possunt Pontificij vel ex scriptura, vel ex mandato aut instituto Christi, nec ex veteribus patribus probare, quòd priuata missa & ipsorum sacrificium rectū sit, sed faciunt contra conscientiam propriam, contra veram institutionem cœnæ Dominicæ, & in contumeliam Christi & eius sacrificij crucis. Deindè verbum Dei & omnes SS. Patres ecclesiæ docent, quòd illud quod non est fundatum in verbo, aut non habet pro fundamento scripturam, sit reijciendum: & licèt quis velit allegare antiquam Ecclesiæ consuetudinem & conciliorum authoritatem, nihil efficit, si est contra verbum DEI, aut id non habet pro fundamento. Sed cùm Missa priuata sit huiusmodi, ergò abroganda est, nec curandum, si pontificij ascititios suos patres, concilia & alia antiquitatis patrocinia allegent. Hæc enim omnia non certificant conscientiam, sed verbum DEI. Præterea sic insaniunt, vt putent se per toc crucis signa facta in altari, per eleuatiōem manuum, per missalem vestem, cereos &c. consecrare & efficere corpus CHRISTI, quasi hæ cæremoniæ habeant vim consecrandi: nos verò simpliciter sinè omni crucis signatione, tacita murmuratione, manuum eleuatione, nolarum tinnitu, veste Missali, &cæt. consecramus, sicut ipse CHRISTVS fecit, cùm nullo horum vsus est in cœna &c. RESPOND.

Primò fundamentū Missę est hoc, quòd CHRISTVS in illa nocte qua tradebatur, & cruentum suum sacrificium propter redemptionem humani generis DEO patri facturus erat, tūc etiam alio modo corpus suum sanctum & sanguinem in sacrificium dedit ac vertit, nempè tunc cùm panem & calicem in manus suas accepit, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Corinth. 11. Gratias agens, transmutauit panem & vinum in corpus & sanguinem suum: & deindè dedit discipulis suis, idque primò ad cibum, qui animam & fidem confortaret, quòd ipse per eiusmodi mor-

tem

tem nobis impetrârit, ac promeruerit remissionem peccatorum & salutem: deindè, vt discipuli similiter illud corpus & sanguinem eius sisterent Deo patri & offerrent, sicut ipse fecit in cœna ante sacrificium crucis sub speciebus panis & vini, & vtrunq; modum sacrificādi facerent in memoriam passionis suæ, Luc. 22. Hoc facite in meam commemoratiōem &c. Hoc est aliud illud sacrificium incruentū, quod nos ex mandato Christi in Ecclesia celebramus, non ea intentione, quòd tali quotidiana oblatione de nouò acquireremus ac lucraremur, remissionem peccatorum & redemptionem, sed vt fieret in hoc sacrificio quotidiano memoria alterius sacrificij crucis, quo nobis impetrata est remissio & salus æterna, Hebr. 9. Deindè, vt gratiæ agantur pro tali beneficio nostræ redēptionis: & postremò, vt oremus quotidiè summa & ardenti deuotione, vt in nobis fit efficax, salutare, & planè nostrum totum illud meritum, quod Christus fecit, vt participemus, communicemus, & ad salutem nostram trahamus omē, quicquid Christus in cruce semel pro toto mundo persoluit, luit ac promeruit. Quòd autem Christus se in cœna obtulerit patri, hoc certum est ex hoc, quia oportuit implere Christum omnia, quæ de eo scripta erant, sicut ipsemet dicit Luc. 24. Necessè est omnia impleri quæ de me scripta sunt in prophetis & psalmis, at in Psalmo dicitur, quòd ipse deberet esse sacerdos in æternū, Psal. 109. non secundùm Aaronis ordinē, qui obtulit animalia irrationalia, sed secundùm ordinem Melchisedech, qui in sacerdotio suo obtulit Deo panem & vinum post partam victoriam Abrahæ: nam erat sacerdos Dei altissimi: hoc autem sacerdotale sacrificium impleuit Christus in cœna, præsentibus ibidēm duodecim apostolis offerens se patri sub speciebus panis & vini, se inquam offerens, nō nudum panē, vel simplicem haustum vini: qualis enim fuisset hæc oblatio coram Deo Patre? ideò seipsum qui vocat se panem viuum, qui de cælo descendit, obtulit Patri, nempè corpus & sanguinē in mysterio: deindè mandauit hoc discipulis, vt hoc idem facerent, offerētes ipsum patri sub speciebus panis & vini, idque in memoriam perpetuam sacrificij crucis, in quo se pœnaliter obtulit in victimam & preciū pro peccatis totius mundi, & sic apostolis Ecclesiæ suę legauit hoc sacerdotale sacrificium ob iugem memoriam pœnalis sui sacrificij. Hoc est fundamentum Missæ, in qua sacerdos ex mādato Christi accipit panem & vinū, & sub illis specieb⁹ sistit & offert Deo patri corpus & sanguinem filij sui, & suppliciter ac deuotè obsecrat, vt efficacia sacrificij pœnalis Christi in cruce nobis salutaris fiat, & celebrat memoriam, agitque humiliter gratias, ac laudes persoluit pro tali immenso beneficio redemptionis & remissionis peccatorum nobis exhibito. Hoc fundamentum Missæ habuerunt omnes apostolorum successores, omnes antiquissimi & illuminatissimi patres: omnia concilia sancta, quorum salutaris est authoritas & totus consensus ecclesiæ: quisquis igitur ab his omnibus dissentit, ac recedit ab vnanimi horum consensu, quid aliud est nisi subuersus hæreticus & blasphemus, quia omnes illos, immò totam Ecclesiam erroris ac mendacij arguit? quis sanæ ac humanæ saltem rationis compos dicat eius hominis doctrinam, quæ his prædictis omnibus contrariatur, esse ex DEO? immò ex diabolo patre mendaciorum. Nec mirandum est, ab hæreticis negari sacerdotium Melchisedechicum & oblatiōem eius, negantq; hoc figuram fuisse sacerdotij Christi, quandò & Iudæi hoc fecerunt. qui omnia testimonia scripturę de Christo dicentia inuerterūt, & ad aliū sensum traxerunt, vt ait Lyra super illud Gen. 14. Melchisedech obtulit in sacrificium Deo panem & vinum. vbi dicunt Iudæi, hoc non fuisse sacrificium, sed ipsum Melchisedech protulisse cibum panis & vini ad reficiendum Abraham, & populum eius ex bello redeuntem. sed hoc falsum esse, præcedentia eiusdem sacræ paginæ probant, quòd illi quatuor reges deuicti ab Abraham, secum abs portauerant vniuersa quæ ad cibum pertinerent, ex Sodomis: & ideò satis de victualibus habebat Abraham pro se & populo suo: non igitur mirum, si hodiè hæretici hanc Iudæorum falsam glossam sequantur, & testimonia patrū & conciliorum inuertant, aut planè reijciāt. Sed nobis satis esse debet Ecclesiæ matris authoritas, quam matrem qui spernit ac reijcit, Deum non potest habere patrem: patres enim omnes fidem suam circa hoc sacrificium altaris fundarunt super fundamentum scripturæ &c. Non est igitur Missa siue publica, siue priuata, sinè fundamēto scripturæ intellectæ catholicè: nec sacrificium Missæ Ecclesiæ per totum mundum eripi & aboleri poterit, donec Antichristus veniat: nobis autem potiùs moriendum

riendum est in fide SS. Patrũ & totius Ecclesiæ, quàm vt credamus illis Antichristi præcursorib⁹, qui nulla authoritate, nulla ratione, nec vllis miraculis suam glossam & falsam opinioné defendere possunt. Quia autem hęretici exigunt, vt ad quasdã quæstiones circa Missam illis certũ responsum demus, id haud grauatìm faciam: Prima est, an priuata missa, in qua nõ distribuitur corpus & sanguis Domini, sit à Christo instituta? RESPON. Nulla Missa fieri potest sinè distributiõe & cõmunione sacramenti, ob id in Missa priuata ad minùs sacerdos cõmunicat, & sic satisfit instituto Chr̃i, quãdò & ipsi sectarij credunt licere vnũ tantùm cõmunicare solum, qui cupiat, siue infirmus sit, siue sanus, & tamẽ ipsi tunc non cõmunicant: deindè qa Missa est à Chr̃o instituta, ideò Deo beneplacet: alioquì non præcepisset se offerri. Itẽ, an missa priuata sit instituta ad reconciliandum Deũ, & impetrandã remissioné, gratiam Dei & omne opus bonum? RESPON. Non in eum finem est instituta, sed hoc trãsfertur in aliud sacrificium crucis: ibi est causa efficiens & ipsa efficacia, hîc verò est memoria illius sacrificij, & petitio & obsecratio ad Deũ, vt propter sacrificium crucis filij sui nobis hęc distribuantur, & in nobis sint efficacia: hîc quoquè est gratiarũ actio & laudis persolutio pro tãto beneficio redemptiõis nobis exhibito. Item an in priuata Missa panis & vinum sit verum corpus & sanguis, cùm ipsa Chr̃i ordinatio nec opus sit? RESPON. Post prolationem verborũ Christi & consecrationem, panis non manet panis, nec vinum: sed fit totalis transsubstantiatio virtute & efficacia verborũ Christi, & est ibì non solùm corpus, sanguis, vita, sed etiã diuinitas Christi: hæc sunt inter se concomitãtia, nõ possunt separari mutuò, nec corpus viuũ à sanguine, dicente ipso Chr̃o, Ego sum panis viuus &c. nec à viuo corpore vita, nec à vita Christi qui de cælo descẽdit, Ioan. 6. Deitas. Est enim ipse & fuit semper Deus: porrò est ibì ordinatio Christi, q iussit apostolos vt se offerrẽt Deo patri sub specieb⁹ panis & vini, Lu. 22. Hoc facite &c. Itẽ an Deo patri de nouo vel iterùm offerri possit corpus & sanguis Christi? RESPON. Non est noua vel alia oblatio, sed illa ipsa oblatio in cruce, licèt tamen alio modo offeratur, i. incruento modo, & manet tamẽ semper vnum & idem sacrificium in substantia: Itẽ an cõmunio sacramenti corporis & sanguinis Christi & offertoriũ, sint res distinctæ, vel vnũ & idẽ sint? RESPON. Communio corporis & sanguinis Christi vnà cum oblatione res coniunctæ sunt, & non disiungi debent: ideò nemo celebrat seu offert sinè communione, licèt oblatio priùs fieri solet, anteq̃ communicetur corpus & sanguis Christi à sacerdote, sicut & consecratio ꝓcedit. Item an sacramentum, in quo nos à Deo recipimus gratiã, & sacrificiũ in quo nos Deo aliquid præstamus & offerimus, & ipsum pro Deo vero honoramus, nõ sint cõtraria inuicèm: nã accipere aliquid à Deo, nẽpè gratiam, & dare Deo & offerre aliqd, cõtraria sunt. RESPON. Hoc benè potest esse, vt illud ipsum quod Deus nobis dedit, ei rursus offeramus: an non enĩ Abel agnũ priùs à Deo acceperat, q̃ eum offerret? sic Deus dederat Abrahę filiũ priùs, q̃ ipsum Deo offerret. sic animalia veteris sacrificij an nõ erãt dona Dei? indè est quod dicitur 1. Para. 29. Tua sunt om̃ia, & quæ de manu tua suscepimus, dedimus tibi. sic oratiões, eleemosynę, & om̃ia bona opera an non à Deo accepimus? dicente Apostolo 1. Cor. 4. Quid habes quod nõ accepisti? Sic dedit Deus nobis filium, & in ipso omnia nobis donauit, Ro. 6. Esa. Paruulus nobis natus & filius datus est ad reconciliationé, ergò ipsum filiũ iterùm Deo offerimus, & rogamus ac obsecram⁹, vt illũ nobis natum ac datũ reconciliatoré ac saluatoré velit respicere & nobis propter hunc ipsum clementer oĩa dare ac tribuere velit, q̃ animę & corpori nostro sunt necessaria: est enim ipse propitiatio nostra, ꝓ peccatis nostris: idq; nõ semel, sed semper. & Paulus Ro. 3. ipsum constituit propitiatoré in sanguine suo per fidéi & quia nihil preciosius, maius, puri⁹ aut sanctius habemus in toto mũdo, q̃ hunc filium Dei nobis datum: ideò ipsum rursus Deo patri offerimus, & ꝓpter ipsum petimus & supplicamus misericordiã. Secunda probatio ex scriptura pro missa catholica, est ex prophetia Malachię 1. cap. vbi testatur Deus, q aliud sacrificiũ seu oblationé, q̃ qualem Iudæi offerrẽt, sibi elegerit, quod in futuro tẽpore in om̃i loco offerri debeat, quodq; mũda illa sit futura oblatio. Quæ oblatio non potest intelligi de spiritualibus oblationibus seu sacrificijs, vt sunt, oratio, laus diuina, gratiarũ actio, ꝓdicatio seu euãgelizatio &c. Nã & illa fuerũt in vsu vnà cum sacrificijs Iudęorũ, sicutì & semper fuerũt, & semper coram Deo immunda fuerunt: ideò necessariò sequitur, q Deus hîc locutus est de generali sacrificio Christianita-

tis, quam deus ex gentibus collegit: illa, i. ecclesia offert nomini dei oblationē mundam in oñi loco, nēpè verum Christi corpus & sanguinē sub speciebus panis & vini, in memoriā sacrificij crucis, in quo corpus suum traditū, & sanguis eius effusus est pro peccatis nostris: hanc doctrinā & expositionē super hunc scripturæ locum attulerūt omnes antiqui doctores ecclesiæ.

Tertia probatio est ex Daniele 8. & 11. capit. vbì dicitur ꝙ iuge sacrificiū supprimetur & abolebitur, sicut factū in synagoga per Antiochū regem Syriorū, 1. Macha. 9. Quod fuit figura, sed Christus ipsemet intelligit hoc etiā de nouissimis tēporibus Antichristi, & testatur ꝙ talis vastatio cultûs dei & iugis sacrificij nō solùm synagogæ euētura fuisset, sed etiā cōtinget Christianitati in nouissimis diebus, Mat. 24. at si aboleri debet, oportet vt sit externū sacrificiū. At dicunt, hoc iuge sacrificium est pdicatio euangelij, quod diuulgabitur in omni loco à solis ortu vsq; ad occasum. RESPON. Christus nusq̄ dixit cessaturā esse prędicationē euangelij, licèt habitura sit multas persecutiones, pericula, Pseudoprophetas, q surgēt sub pdicatione euāgelij, non tamē dixit ꝙ cessabit illa pdicatio in toto mūdo. sed dicit Matt. 24. quādò cessabit pdicatio euangelij, tunc statìm erit finis seculi, cùm prędicatū fuerit euāgelium, inquit, in toto mūdo, tunc erit cōsummatio, & hortatur quoquè constantiā in tempore Antichristi cum promissiōe salutis: ergò non poterit esse prędicatio euāgelij iuge illud sacrificiū quod cessabit. nā pdicatio illa nō cessabit, nisi in ipsa cōsummatione seculi: sed iuge sacrificium iuxta prophetiā danielis, cessabit per aliquod tēpus. Hoc igitur aliud esse non poterit, nisi sacrificium corporis & sanguinis Christi.

Quarta probatio Missæ fundatur in verbis apostoli 1. Cor. 5. Pascha nostrū immolatus est Christus: at Iudæi vtebantur suo paschate ad duo: primò, ad sacrificium, in quo recordabātur & memoriā celebrabāt redēptionis suę à percussione angeli trāseuntis, & liberationis à seruitute Pharaonis: & hoc docebāt filios & posteros suos, vt scirēt causam, cur immolarent agnū paschalem, vtq; recordarētur beneficij liberationis Exo. 12. Secundò vtebantur eo agno tanq̄ cibo, & comedebant illud: Ità quoquè Chr̄i corpꝰ & sanguis offertur seu immolatur in ecclesia in memoriā beneficij Christi, i. factæ semel redemptionis nostræ ab æternę dānationis maledicto, peccato, diabolo &c. deindè etiā manducatur eius corpus, & sanguis bibitur, & fit cibus & potus spiritualis, quo fideles animas suas reficiunt ad vitā æternam. Vt ergò vsi sunt Iudæi suo agno paschali, ità nos nostro, qui est Christus. Porrò licèt Christus nō nominat sacrificiū, sed euangelistæ in cœna corpus & sanguinē, vt nec sacramentum nominat, nec victimā crucis: attamen est vera victima & hostia. Ad illud autem ꝙ derident cæremonias & gestus in altari circa celebrationē, vt sunt crucis signatiōes, cāpanularum tinnitus, eleuatio manuū, &c. hæreticorum & prophanorū hominū more faciūt: nos dicimus verba Chr̄i quæ sacerdos in persona Christi profert si modò sit legitimus, illa consecrant & faciunt corpus & sanguinē Christi. cætera aūt externa accidētalia, fiunt honoris, venerationis, ornatûs, maiestatis causa, ad excitādam deuotionē & cordis eleuationem, ac memoriam passiōis Christi: semper enim consueuit hostia solennibus precibus, signationibus, benedictionibus & cæremonijs consecrari, &c.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Porrò obijcitur rursus à Sectarijs, dicētibus Missam priuatā esse traditionem humanā, pręter institutū apostolorum introductum, & nullā eius ante Gregorij tēpora apud antiquos scriptores factā esse mētionem, & dicunt priuatā Missam apud vetustiores nihil aliud fuisse, q̄ ipsam cōmuniōem corporis & sanguinis Chr̄i: & ideò publica vocata, quia in multitudine populi communicantis fuerat celebrata: priuata aūt dicta, quandò communio priuatìm in domibus circa infirmos martyres, excommunicatos, lapsos necessariò fuit seruata. Sed ex his non probari posse hodiernā illā priuatā Missam semper aut quotidiè fuisse in vsu, sed excogitatā potiùs à pontificijs ob lucrum &c. RESPOND. Primò, ex quo in qualibet Missa, siue ea priuata seu publica dicatur, fiunt hęc tria ex pręcepto Christi, nēpè consecratio seu transsubstātiatio, deindè cōmunio, tertiò cōmemoratio passiōis in cruce: ideò vna Missa est sicut alia in substātia, quo ad hæc supradicta tria: omnis eñ sacerdos in Missa consecrat & offert primò patri Christū sub speciebꝰ panis & vini: deindè ipse cōmunicat, & alij quoquè, si petāt: nam & Conciliū Toletanum sacerdotē, qui celebraret & nō communicaret, anno vno à cōmunione suspēdit, Canō 5. Vltimò fit cōmemoratio vtriusq; sacrificij Christi, tā eius quod in cœna,

na, q̃ illius quod in cruce habuit. Est igitur vna & eadem Missa, nisi quod nomen alquãdò variat, idq́; propter orationes, collectas & preces, quæ fiunt circa consecrationem & communionẽ & memoriã passionis. Vndè dicitur vel Missa de sanctis, vel de tempore matutino, pro defunctis, Missa animarum, Missa nuptialis, Missa rogationũ &c. quia tamen in qualibet harũ Missarũ institutio Christi seruatur in substãtia, vt iam pauló antè dictũ est, qũò poterunt esse cõtra scripturã aut præceptum Christi? Deindè de numero celebrationis Missarũ varia legũtur: in Alexandria ter in hebdomada celebrari consuetudo erat, alibì vt in epistola sua Augustinus ad Ianuar. ait, tantùm die Dominico: alibì nullus dies intermittebatur, quo nõ offerret &c. Eccè Augustinus duo memorat, de offerendo. ergò & ipse Missã credit esse sacrificiũ, sicut etiã in alio loco fatetur, & quod nullus dies intermittat, quin Missa fuerit celebrata: an nõ Augustinus diù fuit ante Gregoriũ? Quandò ergò Chrs iubet memoriã suę passionis celebrari, & Paulus 1. Co. 11. nõ pręscribit definitũ numerũ, quotiès debeamus cõmemorare amarissimam illius passionem, an semel in hebdomade, an bis in die &c. si igitur Missa est cõmemoratio passionis Chri, & gratiarũ actio pro tanto redẽptionis beneficio, quid (oro) vetat, quo minùs non solùm in omi hebdomade, sed etiã in omi die in Ecclesia Dei solennis illa memoria & supplex gratiarũ actio fiat? immò qs prohibeat sacerdotẽ deuotũ, quo minùs possit pro sua psona priuatìm vel pro sibi cõmissis ouibus quotidiè tãti beneficij Chri memoriã repetere, & summo Deo gratias agere? Apostolus dicit, quotiescũquè mãducabitis hunc panẽ, &c. non dicit, solùm Dominico die vel bis aut ter in hebdomade: sed ait, quotiescũquè. Alexãder 1. Papa & martyr vni sacerdoti duas Missas in ecclesia eadẽ permisit, priuatã pro defunctis, alterã de die. Vide de Consec. dis. 6. c. sufficit &c. id verò tũc fiebat ob defectũ personarũ, sed qa sacerdotum numerus iam creuit, cessauit ille mos. Porrò nihil magìs mouet Sectarios, nisi quod nõ adsunt in missis nris cõmunicantes: At certũ est, quotquot adstant Missæ, illos cupere efficaciã & participationem passiõis Chri, & sic cõmunicant fide cum sacerdote, qui communicat realiter, immò gratias agũt de beneficio passionis & redẽptionis exhibito: & quis, nisi diabolicus spiritus, vellet fideles Chri sic priuare deuotiõe & memoria passiõis, & gratiarũ actiõe, & obsecratione, pro conferenda sibi salute & remissione peccatorũ? Firmissimè igitur credendum est, abolitionẽ Missarum, i. pręcipuũ cultum Dei, non nisi à Sathana prouenire, qui cõtremiscit & horret crebrã passiõis & crucis Chri memoriã, immò ipsum crucis signũ ferre nõ potest. Igitur per hęreticos has suas prestigias exercet tanq̃ per instrumenta sua. Nos verò minimè probamus istam in vna Ecclesia & vna hora tot Missarũ multiplicationẽ indoctorũ & indisciplinatorũ sacerdotum, quorũ hodiè maior pars sinè propria deuotiõe ex sola cõsuetudine vel ob pecuniã celebrãt: hoc tamen, salua Missa, cum cæteris abusibus corrigi potest. Prætereà legimus in authẽticis historijs sanctos episcopos quõdàm & Patres in suis oratorijs seu sacellis priuatìm celebrâsse, vt de Gregorio Nazanzeno, q cùm Constantinopoli factus esset episcopus, intra ciuitatẽ in paruo oratorio sacra fecit: sic patriarcha Alexandrinus Iohãnes, cognomẽto Eleemosynarius, dixit ad populũ, qui tẽpore officij missę publicę in forũ exierãt fabulatũ: vbì oues, illic & pastor esse debet: Aut igitur introite in ecclesiã, & ego vobiscũ ero: aut si manetis hîc in foro, & ego vobiscũ manebo. nã propter vos in ecclesiã descẽdi. poteram aliàs mihimetipsi in episcopio meo, i. domo episcopali Missã celebrare. Eccè hîc quoquè priuatæ missæ mentio fit: Quòd si quis euoluat Legẽdas Sanctorũ, sępè inueniet sanctos episcopos in priuatis oratorijs suis missas celebrâsse. Et antiquitùs ordinatũ fuisse legi, vt in summis seu cathedralibus ecclesijs à latere adhærerẽt sacella seu parui chori, vt in ijs Canonici priuatìm celebrantes, populum à Missæ summæ solennibus in magnis festiuitatibus non abstraherent &c.

DE QVOTIDIANAE MISSAE CELEBRATIONE. Cap. 66.

INprimìs & ante oĩa necessariũ est, vt is qui celebrare vult missã, vt conscientiã suã interroget, quarè & in quẽ finẽ velit celebrare, an propter lucrũ & quæstum, quia hîc dat grossus, vel propter hominẽ eũ, ex cuius fundatiõe te oportet officiũ hoc propter beneficiũ pręstare, an ex cõsuetudine, an cum intellectu & propria deuotiõe ac fide celebrare psumat: huiusmodi fines si cõsiderat cõsciẽtia, securè celebrare potest. Rursus q se nouerũt carnaliter, molliter & in fornicatione viuere, hi certè mala consciẽtia sacra faciũt, & seipsos potiùs dãnant q̃ saluant. 1. Cor. 10. Nõ potestis participare mensæ Dñi & dæmonio-

rum &c. Rursus sunt quidam, qui cuperẽt in vno die tres Missas legere, vt tanto plus nummorũ accipiãt. Sed inquit apostolus 1. Cor. 11. qui indignè manducat, iudicium sibi manducat, i. damnationem &c. nõ dubium, quin Deus punit hodiè mundũ tot bellis, deuastationibus ac incendijs tẽplorum propter huiusmodi horrendum abusum, ꝙ pleriq; sacerdotes, qcunq; illi sunt, tam sacrosanctã rem tam negligẽter agãt, quæ est quasi petra nostræ salutis: Attamẽ nullus esse potest tãtus abusus, vt ꝓptereà velimus totam substantiam inuertere. Legimus Sanctos Patres quotidiè celebrâsse, vel in cryptis, vel in speluncis, hortis, carceribus, &c. quorum multi sunt martyrio coronati. at quæ fuerit causa & ratio illorum quotidianæ celebrationis, attẽdenda est. Et primò fuit deuotũ & cordiale ipsorum desideriũ, quatenùs semper magìs ac magìs vnirentur cum capite suo dulcissimo Christo, illi prorsus incorporarẽtur, & omnium bonorũ ipsius participes fierent, nempè promeritæ salutis, remissionis peccatorum, &c. sicut Iohãnes dicit 6. cap. qui mãducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in eo. Quid quòd hoc etiam præclaro exemplo Apostolorum Christi fecerunt, quos & scriptura dicit sæpissimè & continuò sacrum panem fregisse Actor. 2. Erant perseuerantes in doctrina, oratione & fractione panis. Magna igitur Patribus cura fuit, nè amitterent illam spiritualem vnionem & coniunctionem cum redemptore suo Christo & cum Ecclesia eius, de qua dicit Apostolus 1. Cor. 10. Panis quem frangimus &c. Ideò quotidiè ferè celebrârunt, & obsecrârunt Deum pro conseruatione illius communionis. Sciebant enim illud 1. Iohan. 3. qui peccat, ex diabolo est, id est, nullam habet communionẽ vel cum Christo, vel cum ecclesia eius. Deindè permouit eos ad frequentẽ celebratiõem petitio remissionis peccatorum tam suorum quàm aliorũ, idq; propter Dominũ Iesum Christum & illius victimam, qua seipsum obtulit Esai. 53. & ideò ex incontinẽti clamamus, Agnus Dei, agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Et quoniã nõ est numerus petitionis pro remissione peccatorum, quotidiè licitum est orare & petere remissionem peccatorum, Matt. 6. Dimitte nobis debita nostra: nec ipse Christus in cœnæ institutione præscripsit numerum, quotiès deberemus celebrare aut communicare. sed inquit, quotiescunquè, quasi dicat, quotiescunquè volueritis aut libuerit manducare panẽ hunc &c. hoc facite in meã commemorationẽ. Nemo autẽ negat, quotidiè commemorandã esse passionem Christi. piè igitur veteres & rectè quotidiè recordabanẽ passionis Christi, & gratias illi humiliter agebant, & orabãt ac petebant, vt dimitterẽtur sibi & alijs commissis peccata propter passionem & meritum Christi &c. Missa verò (vt sæpè diximus) nõ meretur remissionem, nec ad hoc est instituta, vt celebrans vel cõmunicans, hac velit mereri remissiõem peccatorum suorum. Hoc enim meruit solum & vnicũ opus Christi & sacrificium crucis. Sed missa est petitio & obsecratio, vt nos participes simus, nobis applicemus, & appropriemus promeritam salutem, vitã & remissiõem semel per victimam crucis Christi, & simul inter petendum sistimus & offerimus Deo patri cælesti Christũ filium suũ, cuius corpus & sanguinem in manibus habemus, & petimus propter illud corpus in cruce mortuũ & sanguinem effusum, mihi misericordiã exhiberi: & in missa oratio est omniũ efficacissima, Augustino teste, propter p̃sentiam corporis & sanguinis Chr̃i, per quod corpus traditum & sanguinẽ effusum ipse meruit hoc à patre, quod nos petimus & oramus. Et quoniam omni die peccamus & excidimus à communione, ergò & omni die resurgere debemus, & remedium quærere per Christum, vt iterùm intremus in communiõem Christi & sanctorum. Non sic Christus semel donatus est nobis, quasi solùm ad vnum vsum illũ habeamus: hoc est, quòd obiter credamus nos semel impetrâsse remissionem omniũ peccatorum & salutem propter Christum per fidẽ & baptismum, quasi post hàc peccare non possimus iuxta falsam Anabaptistarum interpretationẽ, qui ex Deo natus est, id est, baptizatus, non peccat, id est, nõ reputatur illi quicquid facit pro peccato: sed Christus nobis etiam ad hũc vsum datus est, vt quotiès post acceptam Baptismi gratiam in peccata recidimus, & amittimus ità gratiam & fauorẽ Dei ac promeritam Christi salutem, tunc per bonã fiduciam in illum ac refugium ac per pœnitẽtiam iterùm reconciliemur patri, & rursus intremus in communionem filij & sanctorum: Dixit enim Christus Iohann. 16. vt in nomine suo patrem oremus, & ipsum daturum nobis omnia quibuscunq; opùs habuerimus. Si quid petieritis, inquit, Patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Hoc igitur alterum motiuum esse debet quotidianæ

celebrationis, nempè orare sinè intermis-
sione pro remittendis peccatis nostris &
aliorum,& vt oratio illa efficacior sit pro-
pter Christum,cuius corpus & sanguis in
Missa tractatur, quod vnicũ est opus no-
stræ salutis. Porrò licet omni die laudare
Deum,gratias agere, honorare, glorifica-
re,benedicere, eò ꝙ etiam omni die frui-
mur clemẽti illius bonitate & donis,quòd
nos conseruat in vita, defendit, cibat &
vestit:ideò in Missa sunt collectæ, oratio-
nes,postulatiões, gratiarum actiones,lau-
des Dei,benedictiones, &cæ.quibus fides
nostra exercet̃,vt in epistola, canone &c.
propter quotidianam igitur laudẽ, de qua
regius propheta dixit, Benedicam Domi-
num in omni tempore, & laus eius in ore
Psal.118. meo semper,Psal.33. & in alio Psal. septiès
in die laudem tibi dixi,atq; propter grati-
arum actionem permittitur & fit quotidiè
celebratio Missæ,quandò etiã omnes cre-
aturæ omni die & hora laudant creatorem
suum in cælis,& ipsi sancti angeli sinè fine
clamant,Sanctus,Sanctus,Sanctus Domi-
nus Deus Zebaoth:cur igitur homo ratio-
nalis creatura,ob redemptionẽ per Chri-
stum factam,& omnia beneficia à Deo ac-
cepta,non omni die gratias agat Deo suo,
benedicat,laudet,glorificet ac oret per fi-
lium suum Iesum Christi sibi remitti pec-
cata sua? At inquiunt, licet quidem omni
die orare, laudes agere, sed non omni die
missam celebrare.est enim res ardua,omni
die communicare corpus Christi, id quod
& Augustinus neq; commendat,neq; vitu-
perat:vilescit enim & contẽptibile fit quo-
tidianum &c. RESPON. Communi-
care,& petere remissionem peccatorũ,idẽ
sunt:ideò enim communicamus,vt dimis-
sis nobis propter sacrificium crucis Chri-
sti peccatis ac delictis, iterùm recipiamur
in communionẽ Christi & sanctorum : &
peccatum ideò dimittitur; vt hanc cômu-
nionem intremus,i.Christi & omniũ dile-
ctorum Dei sanctorũ. Communicatio igi-
tur realis solùm in hoc differt à remissiõe
peccatorum,quia ibì plùs per sacramẽtum
homo certificatur de remissione peccato-
rũ,& accepta iterùm communiõe sancto-
rum,q̃ si sola fide aut spiritu hoc tenet: sa-
cramenta enim sunt sigilla & signa diuini-
tùs instituta, quibus certiores reddimur
de promissione diuina circa hoc sacramẽ-
tum facta:fides enim per se licèt appræhẽ-
dat promissionem,sacramentũ tamen vel-
utì sigillum & signum cum maiori effica-
cia certiorem reddit peccatorem,& paca-
tam facit consciẽtiam:quia ergò omni die
licet petere remissionem peccatorum,licet
quoquè quotidiè communicare seu Mis-
sam celebrare. Præterea licet om̃i die ora-
re pro omni statu ecclesiæ tam spirituali q̃
seculari,cùm quotidè noui motus,aduer-
sitates, & alia mala oriantur, & Sathanas
odit Christi ecclesiã, & eius mẽbra Chri-
stianos:quotidiè ergò orare debemus pro
tota ecclesia,nè inducamur in tẽtationem
diaboli,hæresin,sectas,seditionem, homi-
cidia,adulteria,blasphemias.Matth.6. Nè
nos inducas in tẽtationem, sed libera nos
à malo.sic Acto.12.orabat Ecclesia sinè in-
termissione Deum pro Petro.Sic orat Pau-
lus pro Philippẽsibus, & semper eorũ me-
moriam habet,Philip.1.Sic iubet fieri ora-
tiones pro regibus & omnibus in potesta-
te constitutis, & pro omnibus hominibus
& necessitatibus fundi obsecratiões,orati-
ones,postulationes,gratiarũ actiones, ad-
ditq; duas causas:primò,quia hoc bonũ &
acceptum est Deo & Christo filio eius: de-
indè,vt sic in omni pietate & castitate trã-
quillam agamus vitam:hæc quatuor fiunt
in omni Missa: primùm obsecrationes, id
est,admonitiones ad Deũ & laudes,dicen-
tes: Sursum corda,Dominus vobiscũ,ore-
mus &c. Deindè orationes seu deprecati-
ones,vt in Collectis,orationibus,Kyriee-
leyson: Tertiò postulationes,i. suffragia,
orantes pro alijs,pro omni statu Ecclesiæ,
tam pro viuis q̃ defunctis, vt patet in Ca-
none:Postremò gratiarum actiones, vt in
complendis,pro acceptis beneficijs, &c.1.
Tim.2. Huiusmodi igitur pia intẽtio & hi
debiti fines Missæ,excusant frequentem &
quotidianam celebrationem sacerdotum.
nam sacerdos est minister ecclesiæ & om̃i-
um statuum,& ipsius officiũ est quotidiè
administrare sacramenta,si opùs est com-
municare populum, baptizare,cõfirmare,
vngere oleo sacro, absoluere confitentes,
annũciare verbum Dei,orare, gratias age-
re & laudes dicera,& publicum ecclesię sa-
crificium agere pro omni populo, ac spe-
cialiter pro commissis sibi ouibus : credẽ-
dum est, hoc fine & intentione sanctos
quondàm sacerdotes quotidiè celebrâsse,
nec hodiè esset adeò periculosum, modò
vita sacerdotis sit bona,& à mundanis cõ-
tagijs libera & pura,& Deo soli vacans:nõ
verò ità sint indocti, vt ignorent quid sit
Missa nec auari,vt propter nummum tan-
tùm celebrent : nec fornicarij, vt sibijpsis
damnationem,& populo Missam ipsorum
audienti scandalum accelerent: Fiat ergò

quotidiè sanctior, qui quotidiè vult celebrare. Propter hos ergò fines si contingat celebrare, licet etiā viuere de altari, vt apostolica vox tradit 1 Cor. 9. qui altario seruiunt, de altario viuunt &c. Sic aūt ꝓderit alijs per modū sacrificij, gratiarū actiōis & laudis, sed sibijpsi per modū sacramēti seu cōmunionis. Summa, Chr̄s saluator vnico cruēto sacrificio crucis oīibus nobis meruit redemptionē & salutē: at Missa, solùm est petitio & obsecratio ꝑpter illud sacrificiū, non meret remissionē peccatorū: sed inquā petitio est, quatenùs nobis cōmunicetur ꝓmerita salus ꝑ effusionē sanguinis Chr̄i: & si ità patrē oramus, tunc ipse nihil nobis negabit honorās filiū: & dedit illum nobis propitiatorē, nō semel tātùm in actu crucis, sed semp per totā vitā, quotiès nobis opùs fuerit: aliàs nō iuberemur quotidiè orare orationē Dominicā, vt nobis dimittat peccata nostra, mediāte Chr̄o, qui est mediator & propitiatio nostra &c.

QVOMODO INTELLIGENDVS SIT CANON MISSAE.

Cap. 67.

Canon missæ, est forma & regula verborū q̄ circa verba Chr̄i ꝓfert sacerdos, qñ vult cōsecrare & bñdicere panē in corp⁹ Chr̄i, & vinu in sanguinē eius, i. sunt oratiōes q̄ ante & post consecrationē dicūtur, vt preces in Collectis, postulatiōes seu interpellatiōes, & gratiarū actiōes. Hęc oīa cum ceteris sunt ordinata, & ꝓ regula obseruata ab antiqs Patrib⁹, quatenùs cum oīi glorificētia, veneratione ac deuotione hostia cōsecretur &c. ob hāc igitur causam ordinata sunt verba canonis, cæremonię, gest⁹, vestimenta, altare &c. Sed tñ sciendū est, ꝙ nullū eorū verborum, q̄ vel in maiori vel in minori canone habētur, queat cōsecrare panē seu sacramentum facere, pręter illa verba q̄ Christus ipse suo ore ꝓtulit, s. Hoc est corpus meū: Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamēti, qui pro vobis & ꝓ multis effundetur in remissionē peccatorū: hæc verba sola consecrant, q̄ dicit sacerdos in persona Chr̄i, àc si Christus ipse ante altare stās ea diceret: in his verbis pēdet tota essentia seu caput totius Missę: cętera omnia ad venerationē, deuotiōem & ornatū adhibita sunt, quasi accidētalia. Ex hoc signanter notandū est, ꝙ quædā sunt verba in Canone, q non secūdùm sonū suum, sed secundùm intētionem sacerdotis intelligenda sunt, nempè nō de pane & vino, sicut iam sunt ante consecrationē, sed quod mox erūt post consecrationē: quēadmodùm sonāt hæc verba in Canone minore: suscipe sancte pater omnipotēs æterne Deus hāc immaculatā hostiam, quā ego indign⁹ famulus tuus offero tibi Deo meo pro innumerabilib⁹ peccatis meis, offensionibus & negligentijs, & pro oīibus hīc circunstātibus, pro oīibus fidelibus Christianis viuis & defunctis, vt mihi & illis ꝓficiat ad salutē æternam. Hæc verba priora non ità intelligēda sunt, quasi per oblationē panis & vini tātùm ante consecrationē velimus impetrare remissionē peccatorū nobis & defunctis, sed ꝙ ꝑpter ipsam hostiam, quę statìm erit post consecrationē, ipse Christus corpus ac caro eius sub speciebus panis & vini id facere velimus, vt tunc Deus propter sacrificiū seu hostiam crucis filij sui dignet nobis dare remissionē peccatorū. Eodē modo in canone maiore anteq̄ panis & vinū cōsecrātur, dicitur, vt accepta habeas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata, quæ tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica &c. & ꝓ quibus tibi offerimus. vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisq; omnibus pro redēptione animarū &c. hęc verba & cōsimilia nō ità sunt interpretanda, quasi panis & vini oblatio ante consecrationē ex opere operato hæc efficiat, sed tota intētio dirigi debet in corpus & sanguinē Christi, in quæ statìm panis & vinū immutabūtur, & petimus & oramus ꝑpter sacrificium crucis, quo Christus se obtulit pœnaliter, & meruit omnibus salutē & remissionē, vt virtus istius sacrificij in nobis sit efficax, & ipsa virt⁹ sacrificij crucis hoc opus operatū tollat à nobis peccatū, & largiatur necessaria, non panis & vinum ante consecrationē &c. Sic sæpè ipsa scriptura loquitur de aliqua re, quæ tamē nondùm existit, sed breuì erit, vt Gen. 25. Dixit Deus ad Rebeccā, quandò gemelli collidebātur in vtero: Duo populi sunt in vtero tuo, & maior seruiet minori &c. hìc nominat duos populos, qui tamē adhuc nō erāt, sed duo infantes, ex quibus posteà orti sunt duo populi: sic Abrahā dicitur ꝙ esset pater multarū gentiū, Gen. 17. cùm tunc talis nōdùm erat, cùm ità nominaret, sed in posterum talis factus est. Sic Elisabetha vocat Mariā ante partum matrem Dñi, qualis nondùm erat, sed paulò pòst fiebat, Luc. 2. Sic Chr̄s vocat apostolos piscatores hominū, quales tamē nōdùm erant, sed postmodùm fiebāt &c. Ità nominatur hìc panis & vinum

vinũ ſacrificiũ illibatum, hoſtia immaculata, ſancta, &c. nõ prout iam ſunt ante cõſecrationẽ, ſed quod mox erunt poſt prolata verba cõſecratiõis. Porrò illa quoquè verba, quę dicũtur poſt conſecrationẽ, rectè intelligere oportet, nẽpè ſupra quę (intellige ſacrificia) propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificiũ patriarchæ noſtri Abrahę, & melchiſedech &c. hęc inquã nõ ità intelligere oportet, quaſi ſacrificia Abelis, Abrahæ, &c. tanti precij eſſent aut nobiliora, q̃ ſacrificiũ Chriſti in cruce, aut quaſi oraremus vt Deus ità acceptũ habere velit filium ſuũ, ſicut Abelis & Abrahæ ſacrificia, &c. Abſit hoc, quãdò ſcimus & fatemur ſacrificiũ Chriſti in cruce longè & ineffabiliter ſuperexcellere oĩa ſacrificia totius mũdi, quæ vnq̃ fuerunt & ſunt: Nec eñ Abelis, Abrahæ & Melchiſedechi ſacrificia erant propitiatoria pro peccatis totius mũdi, ſicut eſt Chriſti ſacrificiũ: in hoc eñ ſacrificio Deus omnia reconciliauit ſibi, & pacauit oĩa quæ in cælis, & quæ in terris ſunt, Col. 1. nec rogamus vt patri placeat filius, q ab æterno & ſemper patri placet, vt teſtaẽ ipſemet, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui: ideò non eſt intentio horũ verborũ canonis, quaſi petamus vt ipſe acceptũ habere dignetur filium ſuũ, ſed potiùs vt noſipſos acceptos ſibi habere velit propter eundem filium ſuũ & ſacrificiũ crucis ſuæ: non igitur intentio noſtra eſt vt placeat patri filius ſu⁹, & corpus & ſanguis eius, vel vt hoc Chriſti ſacrificiũ illi æquè gratũ eſſe ſinat, ſicut Abelis & aliorũ electorũ: ſed hoc intendimus, quia ſacerdotes & offerentes vnà cũ populo non ſunt ſinè peccato: ideò petimus, vt hoc ipſum ſacrificiũ, quod in ſe totaliter ſanctũ & acceptum eſt, propter noſtra peccata nõ ſit inacceptũ, vt nobis ꝓpptereà fructus ſacrificij crucis non ſit inefficax, id eſt, nõ facimus hîc cõparationẽ cũ Abelis & Abrahæ aliorumq; ſacrificijs, quãdoquidẽ illud melius ac ꝓſtantius eſt, q̃ cælum & terra, ſed tãtùm hîc petitio fit, vt propter nos Deus illud digneẽ acceptũ habere: vt exẽpli cauſa, ſi quis alicui donat aurũ, argentũ & margaritas, is nõ orat, vt placeat illi aurũ, & gratum & acceptũ habere velit, & tanq̃ rem bonã ęſtimare, cùm per ſe bona & precioſa ſit, ſed potiùs vt ille qui offert, acceptus & gratus fiat, & admittatur. in gratiã ſuam & recõciliationẽ: hoc petitur & rogaẽ, vt offerẽs placeat, nõ oblatũ: ſic rogam⁹, vt quẽadmodùm Abel, Abrahã, Melchiſedech erãt Deo accepti, ſic & nos priùs placeamus Deo: nõ hîc fertur intẽtio ad ipſum ſacrificiũ, ſed ad nos, q̃tenùs nos placeamus, ſicut Abel & cęteri electi placuerunt. Non ſunt hæc colorata verba, nec blaſphemiæ, ſicut hæretici blaſphemant: nec docemus quòd characteres, id eſt, crucis ſignationes, eleuationes, tintinabula, &c. conficiant ſacramentum, ſed potiùs virtus verborum Chriſti in cœna, vt ſuprà dictum eſt.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Canon miſſæ eſt abominatio & blaſphemia in Chriſtũ, quia in eo ſæpè hoc nomẽ SACRIFICIVM vſurpatur: & ipſe Canõ à varijs põtificib⁹ eſt cõcinnatus, & ſemper aliqd noui additũ, in ignominiã ſacrificij crucis Chr̃i: ſed qa nemini licet in eccleſia dei nouũ cultũ diuinũ inſtituere, q non ſit fundat⁹ in verbo Dei, nec à Deo vel Chr̃o ordinat⁹ aut ꝑceptus, ideò offertoria miſſa vnà cũ canone ſuo eſt fugienda ac vitãda, tanq̃ carens oĩni fundamento, & ignominioſa Chr̃o, &c. RESPON. Salomon dicit Prou. 26. Qui operit odiũ fraudulẽter, reuelabitur malitia eius in Cõcilio: ſic hęretici tegũt & palliãt odium ſuũ, quod habẽt erga clerũ & Eccleſiaſticas traditiones cũ fraude & mẽdacio, in eo nimirũ, cùm ex iuſta accuſatiõe nõ poſſint reprobare aut dãnare veritatẽ Eccleſiæ, quã ſummè oderũt, ſicut fures patibulũ, tunc ad mendacia fraudulenta & horrendas blaſphemias ſe cõuertunt, & ſemper verbũ Dei in ore habent, quaſi ex zelo veritatis & cultûs diuini amore ipſi ſoli oĩa cãdidè & rectè agãt: vniuerſalẽ autem & antiquũ Chriſtianitatis ſeu Eccleſiæ conſenſum, quẽ ipſi Papas, Monachos & Epiſcopos per modũ contẽptûs deridẽt, errare in cultu Dei & blaſphemare dicũt: ſed crede mihi, ꝙ tandèm iuxta ſcripturã Salomonicã malitia ipſorũ reuelabitur in Cõcilio piorũ, ſi nõ hodiè, tñ in futuro tempore: nõdùm illi hæretici probârunt ea, q̃ nobis fraudulẽter impoſuũt: Catholici Patres, nõ erexerũt nouum cultũ in Eccleſia, qui nõ eſſet fundatus in verbo Dei vel à Chriſto ꝑceptus. an nõ eñ miſſæ oblationẽ in cœna Chriſtus inſtituit? & nũquid eã præter mandatũ & iuſſum ipſius celebramus? Deindè Catholici non concedũt, vt inimici & hoſtes Eccleſiæ catholicæ pro ſuo libito & peruerſo ſenſu velint rapere & interpretari verba Canonis aliter, quàm noſtra intẽtio & ſenſus, iuxta illud: Teſtimoniũ inimici eſt inefficax,

& odium cæcum facit iudicium: habemus à Deo ordinariã Ecclesiæ potestatẽ, illã audiamus vtrinquè. Dicimus igitur ꝙ verba Canonis rectè ac piè accepta, nullo modo sint blasphemiæ, nec derogant sacrificio crucis, sed potiùs extollũt, magnificant, & perpetuã eius memoriam referunt: verba autẽ Canonis, quẽadmodùm & intellect⁹ scripturarũ ab hęreticis interpretatus, est venenũ, à catholicis autẽ mel, sicut de eodem flore sugit apicula mel, & araneus venenũ: ità Canonis sensum & mysteriũ hæretici in malã partem & ignominiam rapiunt, catholici verò ac pij homines in bonã & Deo honorificã. Et licèt quædã preces, postulationes, & alia in Canone addita sint à sanctis Patribus, tñ profectò non ità insaniérunt, vel imprudentes aut indocti fuerũt, vt adderẽt sacro Canoni quicq̃ eorũ, quæ honori Christi & sacrificio crucis derogarent, sed magìs ob augendã deuotionem illa adiunxerunt.

OBIECTIO HAERETICORVM DE OFFICIO MEDIATORIS. Cap. 67.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

Licèt omñes sancti Dei qui mortui sunt, aut adhuc viuunt super terram, sunt membra vnius corporis, id est, Christi, & vnius cõmunitatis ciues, habentes vnum Dñm, vnam fidem, redemptionẽ & promissionẽ, & licèt illi sancti in cælo nobis oĩa bona faueant, & adhuc in animabus istis viget ꝓpensa voluntas & vinculũ dilectionis, sicut etiam angeli nostrã cupiunt salutẽ, &c. attamen negamus eos habere mediatoris officiũ, & intercessoris in cælo: sed hoc solus habet Christus, vt appareat vultui Dei pro nobis, Hebr. 9. & vnus est mediator, non duo aut tres, 1. Timoth. 2. Solus Christus est perpetuus & summus Pontifex, nõ habet iuxta se mediatores alios & summos Pontifices, quasi ipse solus non sufficeret, aut pater ipsum solum non exaudiret.

RESPON. Primò hoc verbum mediare, malè & perperàm interpretãtur nobis hæretici, quasi sentiremus sanctos ità inter Deum & nos mediare, sicut arbiter vel mediator hîc in terris facit inter duas partes contrarias, vbì iam ad hanc, iam ad illam partem declinat, colligit vota, & tandèm causam componit. Catholici nouerunt discrimen inter id, quod est orare simpliciter desiderio & mente ad Deum: & inter hoc, quod est constituere seipsum mediatorem inter Deum & peccatorem morte sua & sanguine: aliud enim est, orare pro alio in specie & genere, & pro alio effundere sanguinem: non omnis qui orat pro alio, effundit sanguinẽ pro ipso. Sancti quoquè non sunt mediatores per sanguinem suum, nec petimus vt Deus propter sanguinem sanctorum nobis velit indulgere peccata. Nam scriptura hoc de Christo dicit, Actor. 10. Huic omnes prophetę testimonium perhibent remissionẽ peccatorum accipere in nomine eius. Solus ergò vnus relinquitur Mediator, id est, per sanguinem Mediator Christus, qui dedit semetipsum in redemptionem pro omnibus, morte sua reconciliãs nobis patrem. ideò vnus dicitur mediator Dei & hominum, 1. Timoth. 2. Solus est ille qui sanguinẽ pro me, & nullus sanctorum effudit: ipse satisfecit pro peccatis meis, & ille est quem constituit Deus propitiatorem in sanguine suo. Et ità omni die, hora & momento Christus in cælo pro nobis intercedit, & pro suis membris quę in terra sunt, orat, vt propter suam obedientiã & effusum sanguinẽ pater nobis parcat, & irã suã & oĩa mala à nobis auertat, Matt. 6. & nisi Chrs sic perpetuò & indefessè oraret, vbì aut quomodò consistere queat fides? vbì ecclesia contra portas inferorũ, i. peccata horrenda & hęreticos? dicit eñ ad Petrũ: Ego rogaui ꝓ te patrẽ, vt nõ deficiat fides tua, Luc. 22. & Ioh. 14. Rogabo patrem, & alium vobis mittet paracletũ, &c. Iure igitur sanguinis effusi Christus mediat inter Deum & nos peccatores. Deindè licèt Christus sinè intermissione mediat, & orat patrem pro nobis, attamen iubet & nos petere & orare patrem in nomine suo, Iohan. 16. Non propterea frustraneæ sunt orationes nostræ: nec ideò nos quoquè oramus, quasi Christi mediatio esset imperfecta, vt nostra etiam oratione egeret: nec ideò oramus ad patrem, Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6. quasi Christi oratio sit insufficiens & inualida, cùm tamen sit omninò perfecta & sufficiens Christi interpellatio pro nobis: Sed quomodò Christus ꝓ te orabit, cùm tu ipsum non honores, nec laudes eum in sanctis & electis suis? Vt enim non derogant nostrę preces & suffragia interpellatiõi Christi apud patrẽ, quia totam nostram exauditionem in Christũ transferimus, vt illius sanguis sit causa efficiens exauditionis, non dignitas orationis nostræ vel prolixitas. Sic quorum sanctorum & omnium electorum Dei preces, quę fiunt desiderio

&

& méte ad Deú,tanq̃ pro spiritualibus cõmembris nó derogant officio mediatoris Chri, cuius sanguis sola & vnica causa est oĩs exauditionis. Nó sunt vocales vel verbales preces sanctorú in cælis pro nobis, quandò os & vocẽ non habent, sed sicutì est naturale parentũ desiderium pro filijs, q̃tenùs ipsis quoquè benè sit, & vnà secú particip es fiãt promeritæ salutis per Christũ, sicutì ipsi iam in cælis fruũtur, ità & sanctorũ sunt cordiales preces & vota. Est aũt hoc desideriũ naturale in illis, vtpotè cómembris nostris, quo gaudium ipsorú plenũ sit, Ioh.16. quatenùs cupiant nostrã salutẽ, vt corpus integrú constet cũ oĩbus membris & capite in cælis, i. caput q̃dẽ in cælis est, sed nondùm totum corpus Chri mysticũ. At inquiunt: Si naturaliter ad nos inclinãtur sancti sicutì membra, & nostrã cupiunt salutẽ, vt si S. Petrus, Paulus, B. virgo sunt mecú cómembra corporis Chri, ergò naturaliter pro me orant, nó opùs est mea oratione aut inuocatione, vt vnumquenq; nomine suo appellẽ: orãt in genere, & cupiút nostrã salutẽ. RESPON.

Istud nó consequtur ex eo quod proserũt. Similis est argumentatio, pater scit q̃ egemus omnibus illis, Matth.6. ergò non opùs est patrẽ orare. &, Christus interpellat pro oĩbus quos redemit, Heb.9. ergò nó est inuocãdus &c. Sancti, quia sunt nostra cómembra, orãt pro nobis: an nó igit deberem⁹ eos interpellare, salutare, inuocare, vt faciãt ea quæ faciũt? hoc esset ipsis honorẽ denegare: licèt enĩ propriè loquẽdò solus Deus sit inuocãdus, nos tñ eos alloquimur potiùs, q̃ inuocamus. Prætereà cur nó liceat eos noĩe suo appellare, S. Maria, S. Petre, cùm Deus velit nomina ipsorú scripta esse in cælo, Luc.10? & ad Philip.4. quorũ nomina sunt in libro vitæ, & Eccl. 15. nomina sanctorú viuunt in ęternum. & de damnatis dicitur, Nomẽ eorũ delèsti in æternũ Psal.9. & 82. Non memoretur nomẽ illius ampliùs, &c. q̃d igitur cõtra scripturã fiet, si beatorú nomina, qui in æternũ viuunt, exprimam & dicam, ô beatiss. virgo Maria, ô S. Petre, &c. orate Christũ pro me? Porrò licèt hæretici concedãt, q̃ angeli & spiritus sanctorum amant nos, & curã habeãt nostri in oĩbus illis, quæ salutẽ aĩæ nostræ cõcernunt, tñ hoc nolunt, quòd habeãt iuxta Christũ officium mediationis, quod soli Chro competit, eò q̃ solus sit mediator & ꝓpitiator. At Ecclesię Catholicę oratio ad sanctos, quid aliud est nisi allocutio vel interpellatio ad angelos, vt hoc ipsum faciãt quod credimus illos facere? Si fauẽt nobis Angeli, & libenter inseruiũt in ijs, quæ ad salutẽ nostram spectãt, cur hoc nó petũt pro nobis apud Deũ? vbi est ipsorũ suffragiũ pro nobis ꝓhibitú in scriptura? angelus Raphael cùm offerret Deo orationẽ Thobiæ, an non simul quoquè orat pro salute Thobię? & sic angelus orãs pro ciuitate Hierusalẽ, Zach. 1. Si angeli & sancti in cælo desiderãt nostrã salutẽ, quid aliud est hoc ipsorũ desideriũ, q̃ oratio pro nobis ad Deũ? Quòd si ꝓptereà nó deberemus eos alloqui, non cõcordaret nostrũ desiderium cum illorũ desiderio, ipsi cupiũt meam salutẽ, ego nolo meminisse aut cõcordare cũ illis, vt vnũ sit desideriũ, & cõiunctæ preces exaudiãtur ꝓpter Christũ mediatorem. Cur pro me inuito & nolẽte orarẽt? an nó mira res est, q̃ credere debeo, q̃ angeli ꝓ me orẽt, sed non debeo hoc petere ab illis vt faciãt? Nos nos tribuim⁹ illis officiũ mediatoris æquè àc Christo, mentiuntur hoc, vt alia q̃ plurima sectarij: sed petimus, vt hoc mediationis officium, quo Christus nobis in cælis & in terris inseruiuit, sit in nobis efficax, vt passio Christi, qua totus mũdus redemptus & nobis prosit: hoc nos petimus in terris, & credimus, simulq́; oramus, vt angeli & beati pro nobis faciant in cælis. Non tribuim⁹ causam efficientẽ salutis petitioni vel orationi ad angelos & sanctos habitæ. nam illa causa apud solũ sanguinẽ Chri manet: sed petimus, vt virtus sanguinis nobis prosit ad salutẽ & alia necessaria per simplex suffragiú cõmembrorum nostrorũ & fautorũ angelorũ: hæc est fides Catholica. Quòd autẽ aduersarij reijciunt scripturã, 2. Mach.15. de Onia & Hieremia, & similiter orationem angeli pro ciuitate Hierusalẽ, Zach.1. hoc hęreticorũ more faciunt, nobis autem in hoc sufficere debet cõsensus veteris & vniuersalis Ecclesię, & ꝓclara testimonia & argumẽta Patrum. At inquunt: Illa inuocatio sanctorũ nullã habet ꝓmissionẽ in scriptura, ideò cõsciẽtia mea non potest esse certa de exauditione petitionis sanctorũ, nec est articulus fidei hoc credere, nec cõsciẽtia est grauãda hac superstitione, q̃a nó habet verbũ Dei: hoc quod credere debeo, oportet vt habeat verbũ Dei & ꝓmissionẽ &c. RESPON. Habem⁹ omninò ꝓmissionẽ & verbũ Dei, q̃ idẽ velit nobis dare ea q̃ petim⁹ ꝓpter Chrm, Ioh.16. Si quid petieritis patrẽ, &c. ꝓpter hanc promissionem de Christo, nostra & sanctorũ fit petitio & postulatio. quarè p̃-

ceptum

ceptũ hoc, Petite & accipietis, in causa est, ꝙ petimus: etsi nõ est promissio quòd ꝓpter beatorũ suffragia exaudiri debeam⁹, id quod etiã nõ cupimus: cupimus em̃ ꝓpter Christum exaudiri, & nobis donari quod petim⁹ tamẽ suffragiũ beatorũ & angelorũ, q vnà nobiscum idẽ petunt, vt exaudiamur ꝓpter Christum, non est in vlla scriptura ꝓhibitũ, nec frustraneũ: non debẽt sancti dare dona, sed nobiscũ orare, vt propter Christũ donentur, qui & nostras petitiones cernũt in facie patris, Matt. 18. hæc vident in speculo Dei, qui omnia simul videt. Cùm ergò saluãdorũ per Christũ orationes angeli Deo quotidiè offerãt, ergò periculosè contẽnitur ille, cui⁹ desideria & postulationes ad æternũ Deũ angelorũ famulatu ac ministerio ꝓuehũtur.

OBIECTIO HAERETICA DE VIGILIIS ET MISSIS PRO defunctis. Cap. 68.

ARGVMENTA SECTARIORVM.

NOn reclamamus ꝙ memoriæ defunctorum in ecclesia circa eucharistiã à multis annis vsq; huc sit obseruata, sed illũ turpẽ ac dolosum abusum detestamur, q̃si huiusmodi memoriæ & Missæ pro defunctis, sint satisfactio ꝓ peccatis mortuorũ & redemptio & salus, atq; sic Chr̃o suus honor eripitur, q solus satisfecit & portauit peccata totius mundi in victima crucis. Deindè memoriç ꝓ defunctis olìm erãt potiùs pro gratiarũ actione in funeralibus, quòd Deus cõcesserit defuncto sic in fide cõcludere finẽ vitç: deindè admonebãtur viuẽtes, vt hoc idem peterent à Deo, & sese ad mortẽ præpararẽt. Porrò cùm sacramentũ eucharistiç sit solùm viuentiũ, qui eo frui & cõmunicare possunt, & etiam illis solùm ꝓdest qui cõmunicant, cùm aũt viuens nõ possit accipere pro alio sacramentũ, quomodò Missa celebratur pro defunctis? in summa, nullũ opus hominis valet ad satisfactionem vel redemptionẽ defunctorũ: ergò oĩa illa vana sunt, quæ fiunt circa vigilias & Missas ex auaritia sacerdotum.

RESPONO. Primò, non oramus, neq; celebramus missam, neq; eleemosynã damus pro defunctis, vt nostrũ opus operatũ sua dignitate & efficacia satisfaciat, liberet, saluet animã defuncti: sed media sunt circa fidem, per quæ oramus, vt Chr̃i meritum, satisfactio & efficacia crucis eius, qua omnibus promeruit salutẽ, illis subueniat, ꝓsit ad salutem aïæ & remissionem peccatorũ, &c. In eum igitur finẽ omnia quæ in hoc genere à nobis fiunt, facimus. ea est catholicorũ intentio, nempè vt Christi meritũ sit efficax tàm in defunctis q̃ in viuis, non vt opus nostrũ operatũ efficiat seu satisfaciat pro peccatis. de plenitudine Christi oportet accipere om̃ia, Iohã. 1. hæc Christi passio om̃ia operatur & efficit, non em̃ nobis, sed Deo damus gloriã. Porrò legimus quatuor modis sepulturas aut memorias defunctorum peragi solitũ fuisse: primò celebrata fuit Missa, & cõmunicârunt illi qui locum defuncti tenebãt. nam vt scribit Dionysius de ecclesiast. Hierar. cap. 7. quòd defunctus sit delatus in templum, & positus ante altare, ibì fecit plebanus orationes & gratiarumactiones ad Deum: secundò decantati fuerunt psalmi illi, q ordinantur pro defunctis, id quod nos vigilias dicimus: tertiò pleban⁹ fecit ꝑdicationẽ verbi Dei de miseria & cõtemptu huius mũdi, de morte & de memorãdis nouissimis, & de præparatione ad mortẽ: quartò plebanus accessit ad fun⁹, & super eo orauit, vt Deus defuncti huius animam misericorditer suscipere, & in manus suas commendatam habere velit: posteà defuncti corpus vnguento odorifico pollinctores vnxerũt, iuxta exemplũ Chr̃i, qui vnctus fuit à Nicodemo. indè adhuc ij qui sepeliunt mortuos, vocantur Latino vocabulo pollinctores, id est, vnctores mortuorum. Iste mos à Dionysio describitur, quẽ ille haud dubiè accepit ab Apostolis. Etiã tradũt doctores, vt Cyprianus lib. 1. epist. 9. Origenes lib. 3. in Tobiã, Tertullianus de exhortatiõe castitatis, & in cõcilio Vallẽsi constitut. 4. de sportulantibus, id est, q acceperũt donaria & oblationes in sepulturis. nam de relictis bonis defuncti dabantur donaria ad sustentationem ministerij ecclesiæ, siquidẽ eo tempore Ecclesia nõdùm bona possidebat: tum etiã ad subleuãdos pauperes & viduas, de qua re etiam Paulus dicit 1. Tim. 5. q̃ oblationes & donaria vocabãtur sportulç, sicut nos iam dicimus testamẽta: & ij qui acceperãt, dicebãtur sportulãtes. Ex quibus patet, quòd in memorijs defunctorũ nõ solùm fiebãt gratiarũactiones, & admonitiões ad mortem & de resurrectione, sed etiam orationes pro defunctis, vt Deus dignetur illos suscipere in misericordiam suã, & propitius esse, ac eis distribuere promeritam per Christum salutem &c. non preces populi dabant salutem defuncto, sed ad Deũ fiebant, vt ex misericordia distribueret illis meritum Christi, quod solùm causa est

salutis

ſalutis & quietis ęternę. Porrò nõ dicimus
ꝙ ſacramentum eucharistię proſit defun-
ctis, aut quòd viuẽs pro mortuo ſuſcipiat
ſacramentũ, vt per hoc liberẽt à peccatis,
ſed orationes populi circa Euchariſtiã, ꝓ-
deſſe illis dicimus, quatenùs Deus exhibe-
at ſuam gratiã, & meritum Chriſti per mo-
dũ ſuffragij, nõ ſacrificij, illis proderit. Vt
enim baptiſma ſolùm prodeſt recipienti,
ſic quoquè Euchariſtia: attamen preces &
ſuffragia circa ſacramentũ proſunt. ſcimus
enim illos erràſſe, qui ſe permittebant ba-
ptizari pro alijs, 1. Cor. 15. Sacramentũ eñ
pro alio nõ accipitur. ſed in ſacrificio Miſ-
ſæ fit precatio ad Deũ, vt propter ſacrifi-
ciũ crucis dignetur dare requiem & pacẽ
animæ defuncti. Et quandò in primitiua
Eccleſia ſportulanis dabãtur ex bonis de-
functi donaria, nũquìd videbitur abſurdũ
eſſe, ſi hodiè quoquè pauperibus vicarijs
presbyteris, qui ad hoc cõducuntur, done-
tur præſentia, vt vocant? ſed nihil eſt niſi
odiũ & inuidia hæreticorũ. Hoc igitur fi-
xum manet, quòd mẽbrum pro membro
orat & poſtulat, & quòd Eccleſia eſt indiſ-
ſolubilis ſpiritu, & pro ſpiritu ſeu anima
alteriꝰ defuncti orat, nõ pro cadaueribus.
Præcipuũ autẽ fundamentum hæreticorũ,
quo impugnãt orationem pro defunctis,
venit ex eo quòd dicunt corpora & aĩas
defunctorũ dormire, & nullũ eorum eſſe
vel in cælo vel in inferno, ſed dormire vſ-
que ad nouiſſimũ iudiciũ, & ideò vana eſſe
om̃ia ſuffragia & memorias. at nos dicimꝰ,
etſi corpus dormit & quieſcit in puluere
terræ, ſpiritus tñ immortalis eſt, nec dor-
mit nec moritur. non enim Deus eſt mor-
Mat. 22. tuorum aut dormientiũ Deus, ſed viuen-
tium. Quòd verò inſupèr vrgent hęretici,
vt ſcripturã adferamus, quòd pro mortuis
ſit orandũ, nobis illa reſponſio ſufficit, ꝙ
Chriſtus iuſſit quemlibet orare pro toto
corpore & Eccleſia, & non ſolùm pro ſua
priuata perſona, & Iacob. 5. cap. dicit, Ora-
te pro inuicèm. Quoniã ergò hoc corpus
non diſſoluitur morte vel ſpiritu, ergò in
cõmuni & in priuato nõ eſt peccatũ orare
pro commembris vnius corporis myſtici,
quę vel ſupra terrã, vel infra terram in pœ-
nis ſunt, & nõdùm cęteris ſuis membris in
cęlo adunata &c.

DE RERVM ECCLESIASTI-
CARVM CAEREMONIIS. Cap. 69.

PRo primo ſciendũ eſt, quòd cę-
remonię ſunt externus cultꝰ Dei,
vel condecoratio cultùs diuini,
quo ille cultus eo glorioſiùs ac
decẽtiùs in Eccleſia celebretur, tàm in diſ-
penſatione ſacramentorũ, quàm etiam in
obſeruatione ꝑceptorum Dei, & ad cõſer-
uationẽ honeſti ac Chriſtiani ordinis in
Eccleſia Dei, iuxta admonitionẽ Apoſto-
li 1. Cor. 14. & Pſal. 146. Deum noſtrũ de-
cet decora laudatio. Deindè in omni cęre-
monia duo ſunt notãda: primò res exter-
na corporea, quæ oculis cernitur, vel auri-
bus auditur aut ſentitur, exempli gratia, in
ſacramẽtis ſunt aqua, chriſma, oleũ, lumi-
na, veſtimẽta, &c. in Eccleſijs ſunt campa-
nę, vexilla, organa, altaria, thuribula, tabu-
læ, imagines, candelabra, ſal & aqua bene-
dicta, genuflexio, pectoris tũſio, veſtimẽ-
ta ſacerdotalia, &c. hæc om̃ia foris vidẽtur
oculis, & audiũtur auribus, & externa ſunt
& corporalia: deindè ſunt in cæremonijs
res quędã internæ ſpirituales, quę non ſic
vidẽtur, nempè intẽtio & fides ad Deũ, ſi-
gnificatio cæremoniæ, & illa licèt non vi-
deãtur, attamẽ cor in homine dirigitur in
aliquid aliud apud Deũ impetrandũ. Apud
om̃es cęremonias externas debemus orare
apud Deũ, in eo quod ſignificãt apud aquã
benedictã in ingreſſu eccleſiæ debemꝰ re-
cordari baptiſmi, ꝙ in eo renũciamus dia-
bolo, mũdo & peccatis, & vbi ſe ea adſper-
git, orare Deũ, laua me Dñe ab om̃i pecca-
to meo, quod à baptiſmi tẽpore vſq; huc
cõmiſi &c. apud ſal benedictũ orabimꝰ De-
um, nè gratiã quã in baptiſmo & ſacramẽ-
tis accepimꝰ, in nobis putreſcere ſinat, nè
in peccatis fœteamus corã ipſo: apud thu-
rificationẽ orabimꝰ cum Dauide, dirigantͬ
Dño orationes noſtræ in conſpectu tuo,
ſicut fumus ille thurificationis. Si vexilla
videmꝰ, cogitabimus de glorioſo triũpho
Chriſti filij Dei, q deuicta morte & ſatha-
na, reſurrexit &c. atq; ſic de cæteris alijs
om̃ibus. Non igiͭ ligamus iuſtificationẽ &
ſalutẽ ad vllas cęremonias aut traditiões,
ſed intentio, petitio & fides circa & apud
cęremonias ad Deũ & Chriſtũ mediatorẽ
dirigitur, à quo petimus oĩa noſtra neceſ-
ſaria. cęremonię ſunt res q̃ teſtãtur & nos
admonent eius petitionis, venerationis &
interioris cultùs Dei apertiſſimũ eſt igitur
mendaciũ hęreticorũ, ſicut etiã in om̃ibus
articulis cõtrouerſis, odioſis mẽdacijs ca-
tholicos grauãt & traducũt apud populũ,
quaſi per cæremonias eccleſiaſticas veli-
mus remiſſionem peccatorum, vel alia ne-
ceſſaria impetrare, cùm nõ per illas res ex-
ternas, ſed per orationem fidei cupiamus
& petamus gratiã & remiſſionẽ per Chri-
ſtum Ieſum.

FINIS.